

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
18
E
37
ROMA

I

TRACTATVS
DE IVSTITIA ET IVRE,

AVTHORE

P. GASPARE HVRTADO
Mondejarensi.

E SOCIETATE IESV DOCTORE Theologo Complutensi, & S. generalis Inquisitionis Qualificatore.

Olim in Academia Complutensi Artium liberalium publico professore, & Collega D. Ildephonsi, & in Collegio Complutensi Societatis IESV Primario S. Theologiæ professore.

Anno  1637.



CVM PRIVILEGIO.

Matriti, Apud Ioannem Sanchez.

Suma del priuilegio.

T*Iene priuilegio el Padre Gaspar Hurtado de la Compañia de Iesus por tiempo de diez años, para imprimir vn libro, intitulado* Tractatus de iustitia & iure, *como parece por el testimonio que dello dio Francisco Gomez de Lasprilla Escriuano de Camara, en Madrid adoze de Iunio de mil y seiscientos y treinta y siete.*

Suma de la Tassa.

LOs señores del Consejo tassaron este libro, intitulado, *de Iustitia & iure*, a cinco marauedis cada pliego, como parece por el testimonio de Martin de Segura Escriuano de Camara, en Madrid, a quatro de Nouiembre de 1637.

ERRATAS.

F*Ol.1.pag.2.lin.5.comodo, dic eo modo.fo.2.pag.1.lin.4.dominiũ, dic dominium, f.5.p.1.li.5.constituentur, d constituuntur, f 6.p.1.l.vlt.iuris quæ, d iurisque, f.7.p.2.l.13.dominis, d.dominij, f.8.p.1.l.8 substantia, d.substantiam, f.13.p.2.l.21.liberte, d libertate, & lin.25 prolibente, d.probibente.f.22.p.1.l.1.inoco, d.in loco, & li.38.fieri.deleatur, f 23.p.2.l.20.iure, d.rure.f.27.p.2.l.6.debiti, d debitis, f.28.p.2.l.29 que, d.quæ.f.32.p.2.l.4 & 24 Theologicæ.d Theologice.f.33.p.1.l.10.non, d.vel non.f.35.p.2.l.24.nõnulli, d.nonnulli, f.38.p.2.l.17.fiscus.d fisco, & li.26.spatiũ, d.spatio.f.39 p.1.l.7.precessit, d processit, & interrupi, d.interrumpi, & p.2.l.10.triennalis, d.tricennalis.f.40.p.1.l.29.Rei, d.rei, fol.49.p.1.l.30.propositione, d.proportione.f.53.p.2.l.10.quid, d.quis, f.55.p.1.l.7.commutatiuam, d commutatiua, f 55.p.1.l.28.sacta, d.facta, & p.2.l.9.respondimus, d respondemus.f.56.p.1.l.10.proprie iustitiam, dele iustitiam.f 57 p.2.l.39.etiam, d.eam, f.59.p.2.l.10.culpa, d.absque culpa.f.60.p.1.l.16.& f.62.p.1.l.9.sit, d fit, & p.2.l 15 pannis, d Ioannis.f.64 p 2 l 21.asseuerationis, d.assecurationis, f.65.p.1.l.31 illi, d.ille.f.69.p.1.l.6.teneatur, d.teneatur.f.72.p.2.l.31.ab, d.& ab, & l.34.illi, d ille, & l.39 liber, d.liberi, f.73.p.2.l.19.Cæsarem, d.Cæsareũ, f.74.p.1.l.15.valoris, d.valoris spei, & p.2.l 10.impedit, d.impediti.f.75.p.2.l 9.qui, d.quia.f.76.p.1.l.11.accepi, d accepit, & l.23.furcam, d.fur eam, f.*

77.p.1.l.13 Oblatione,d.ablatione, & p.2.l.14 & 24.aliam, die alienam.f.78.p 1.l.5.male,d.malæ, & l.7.retineat,d.retinet, & l. 25.eum,d valorem, & p.2.l.23.valor,d.valore.f.79.p.1.l.20.restitionis,d.restitutionis, & l.29.minoritate,d.minoritate.f.90.p.1. l.1.expectata,d spectata, & l.4 spectando,d.expectata f.91.p.2.l. 14 est,d. est in confessione f.94.p.1.l.26.grauius,d.grauis.f.96.p. 2 l.33 vi,d quia.f.67.p.1.l.23.aliena,d.aliqua,f.99.p.2.l.30.iniustitia,d iustitia,f.104.p.2.l 8.nociuius,d nociuus, & l.26.grau., d.grauis.f 106.p 2 l.1.E d. & f.110.probo,d.probro,f.111.p.2. l.9.effuderunt,d effuderint, & l.12. & 18. & 19. & 28. & 31.pecuniarum,d.pecuniarium,f.112.p.2 l.32.deiecerunt, d.deiecerint, f.114.p 1.l.8.benefactoribus,d.benefactoris, & p.2.l.34.dicatur d dicat.f.115.p.2 l.19.contrictarum,d.constrictarum,f.117 p.2. l.16 deflorata,d deflorator,f.118.p.1 l.28.peccādi,d.precandi. & p 2 l.7.adulteram,d.adulterū,f.120.p.1.l.1.opposuit, d.apposuit, & l.10.manifeste,d manifestet, & l.31.restituturus,d instituturus, & p.2.l.20.etiam,dele.f 127.p.1.l.31.priuatiuo,d.priuatiua, & l.32.mittens,d.omittens f.139.p.1.l.7.argentum d argenteum, f. 142.p 1.l.35.infert,d aufert, & p.2.l.37.ration,d.rationē f.144. p.1.l.17 quantitatis,d quantitas. & l.24.auferri,d.auferre & p. 2.l.20.quomodo d.quādo.f.145.p.1.l.15.teneatur,d.tenetur.f.153 p.2.l.12.ex d.est.f.156.p.2.l.20.uncutitur,d.incutitur.f.157.p. 1.l.3.fit,d.sit, & l.31 nubat,d ducat,f.158 p.2.l.29.ramenti,d. iuramenti,f.159 p.1.l.7.relaxari,d.relaxare,f.160.p.1.l.3.spectandam,d.expectandam.f.161.p.1.l.35.promissionum,d promissorio, & p.2.l.30.trabitur,d.traditur.f 162.p.1.l.9 priorem,adde, siue posteriorem, & l.13.amittit,d.amitti, & l.26.indicitur,d.inducatur, & p.2.l.22 appellent,d.appellant f.163.p.2.l.24 quod, d. quo f 164.p.1.l.27.absque qua non fieri,non fieret,d.absque qua nō fieret fieri: & l.33.irritauit,d.irritabit:f.165.p.2.l.11. aureum, d aurum,f 166.p.1.l.2.ex,d.in:f.170.p 1.l.6.valerem,d.valorē, f.171.p.2.l.24.intra,d.infra,f.176.p.1.l.17.vendituris,d.vendituris.f.181.p.1.l.8.suspiciatur,d.suspicatur f.182.p.2.l.25.venditoris,d.vendituris,f.183.p.1.l.3.acter,d.aliter,f.186 p.2.l.35. vendituris,d venditoris:f.187.p.2.l.12.venditore, d.à venditore. f.188.p.1.l.26.aureum,d aurum:f 190.p.1.l.6.quæ emitur,d.qua emitur, & p.2.l.33.trie,d.tria:f.193.p.2.l.10. quæst.d. quæst.1. f.200.p 2.l.13.nequid d nequit:f 201.p.2.l.21.qua,d.delectationis qua:f.202.p.2.l.11.secuno,d.secundo:f.203.p.1.l.19. etiam si,

d.

d.si etiam,& l.23.socro.d.scero: f.204.p.1.l.28.ad, dele: & p.2. l.8.immatuta,d immatura: f 210.p.2.l.32.vero,d.verbo.f.112.p. 2.l.34.illos,d.illas: f.215.p.2.l.8.fructifira, d.fructifera: f.117. p.1.l.6 licite,d.licita,& l.24 sed d seu: & l.31.sit.d sit: & p.2. l.8.vtriusque,d.vtrimque: f.219.p.1.l.38 alias,d.alia: f.221.p.1. l.34.defunctum d defectum: & p.2.l.12.ad,d.an: & l.37. tam, d. iam: f 223.p.1.l.1.iure.d.vero: & l.5.disputatio 1.d.disputatio 5. & l.14.patri.d.patriæ: & l.25. &,dele: f.224 p.1.l.31 regalẽ,d. legalẽ,& p.2.l.21.cũ,d.eã: f.226.p.2.l.30.qui,d.quia: f.228.p.1.l. 17.exerceri,d.exercere: f.231.p.1.l.14.emphyteuta.d.ab emphyteuta: & l.24.latore,d locatore: f.237.p.1.l.20.est,d.fit: & p.2 l.13. domini,d.dominij & l.23 pro,d.quo ad dominiũ vtile pro certa pensioni Reali statutis temporibus,soluenda in recognitionem dominij directi concedentis Feudum etiam à nomine incipiendo, dicitur à fide, seu fidelitate quam vassallus debet domino præstare. Definitur autẽ, quòd sit cõtractus quo res aliqua immobilis alicui ad longũ tẽpus cõceditur pro: f.238 p.1.l.13.quod,d.quo,& l.30.pro,d per: f.239.p. 2.l.30.cõdonatio.d.condẽnatio: f.240.p.1.l.27.oppignare,d.oppignorare: f.241.p.1.l.29.aduertunt.d.aduertit.f.243.p.1.l.13.indiuisibile,d.diuisibile f.245 p.1.l.7 pericula,d.particula: & l.8.quos licet,d.quoslibet: & p.2 l.3.pecundam,d.petendam: & l.5.neptæ, d. nepti f.246 p.2 l.17 & 23.quanti,d.quantum.f.248 p.2.l.24. medij,d modis.f.250.p.2 l.17.opere,d.operæ.f.251.p.1.l.30.superaddicta,d superaddita: & l.33 admittendi,d.amittẽdi.f.253.p.2. l.3 socijs d socius.f.256 p.2.l.14 maior,d nec maior.f.260.p.2.l. 20.nullo,d nulla f.261.p.2 l.25.illis,d illis.f.262.p.2.l.12 fideiiubeat,d si fideiiubeat.f.281.p.1.l.10.es,d.est.f.282.p.2 l 5.legis, d lege.f 286 p.1 l 18. à distinctione.d.ad distinctionem f 300.p. 1.l.25.excusare d excusari.f.302.p.2 l.27.iustitia.d.iniustitia.f. 304.p.1.l.31.exegit, d.exigit. f.305.p.2.l 9.seu,d.esse f.313.p. 2.l 7.vero,d primo: & l.23.ea ex dele ex.f.316. p.1.l.11. &,d. etiam.f.319 p.2.l.22 soluat,d.soluant f.324.p.2.l.5.compositione,d.compositio: & l.30.commodorum.d.communem f.325.p.1.l. 10.arctiori,d.altiori: & p.2.l.5.soluere,d solum.f.326 p.2.l.13. ablatum, d.oblatum.

El Licenc. Francisco Murcia
de la Llana.

Licencia de la Orden.

EGo Ioannes de Montaluo Præpositus Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. nostro Generali Mutio Vitelefchi facultatem, facio vt liber qui inscribitur *Tractatus de iustitia & iure*, Authore P. Gaspare Hurtado, Doctore Theologo Complutensi, & nostræ Societatis Religioso, & eiusdem Societatis grauium, Doctorumquè hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio, die 13. Maij, anno 1637.

Licencia del Ordinario.

LIcentiatus Laurentius à Yturrizarra Cantor Ecclesiæ Collegiatæ ac Magistralis SS. Iusti & Pastoris oppidi Compluti, Vicarius Generalis villæ Madriti, eiusque districtus, &c. Cùm viderim & commẽdari fecerim censuram Tractatuum de Iustitia & iure, à Reuerendo admodum doctissimo P. Gaspare Hurtado, Complutensi Doctore in lucem edendorum, & in eis nihil dissonum à Catholica Fide esse comprehensum, potius dignos mandandos typis censui, & quoad me attinet facultatem concedo, in hac Mantua Carpentana Curia Regis Catholici, die 22. Maij, anni 1637.

Licentiatus Laurentius
de Yturriçarra.

Mandato dicti domini Vicarij,

Ioannes Franciscus de Haro,
Notar.

Censura.

b

Censura.

EX Decreto domini Licentiati Laurentij de Yturrizarra, in Matritensi Curia Vicarij generalis, hunc librum de Iustitia & iure (Authore Reuer. admodum per doctissimo P. Gasp. Hurtado, Doctore Complutensi, & in celeberrimo D. Ildephonsi olim Collega) perlustrandum suscepi, & postquam semel, & iterum euolui, non parum emolumenti ex illius prælectione hauriens, nullum à Catholica Fide deuiunt, aut boni s moribus dissonū inueni: omnia namque multis alijs eiusdem Authoris lucubrationibus consonantia, altissimam sapientiam & speculationem, vndique redolentia, miram eruditionem, subtilitatem, resolutionē, ac claritatem, docendiq; dexteritatem eructātia, hinc continget, vt Tyrones legētes, docti, & docti doctissimi euadent. Igitur, quòd omnibus profuturum, in omnium vtilitatem, typis mandari, & præ omnium manibus semper haberi dignum iudico. Matriti in conuentu Redemptorum santissimi Trinitatis, die 20. Maij, anno Domini 1637.

Fr. Petrus Grima Magister,
S. Inquisitionis à censuris Minister.


Censura.

APprobatio P. Fr. Ildephonsi de Herrera, in sacro Minimorum Ordine Prouinciæ Definitoris, Theologiæ Magistri, studiorū Regentis, conuentusq; Victoriani Matritēsis præsulis Correctoris.

Imperio summi Senatus Castellæ reuisi opus de Iustitia & iure, à R. P. Gasp. Hurtado Societatis Iesu, primario Theologiæ Cathedrario, & Academiæ Complutensis Doctore grauissimo, & in clarissimo D. Ildephonsi quondam meritissimo Collega, elaboratum, quidquid in eo scribit, nec Fidei, nec pietatis, nec morum institutioni dissonum inuenio, imò doctrinam cum soliditate, variam cum eruditione coniunctā reperio. Opus hoc est opus Theologis, vtriusque iuris professoribus, non tantum vtile, sed necessarium. Vidi de hac re multos Dauos, sed video in ea maximum Ædipum. Quid non foret qui tanta enodauit? Petit opus excussionem de Iustitia & iure, meretur Author Doctor licentiam quam possit. Hoc est meum iudicium. In hoc conuentu D. Mariæ de Victoria Matritensi, Ordinis Minimorum, die primo Iunij, anno Domini 1637.

Fr. Ildephonsus de Herrera.

Deiparæ



TRACTATVS DE IVSTITIA ET IVRE.

DISPVTATIO PRIMA DE IVRE.

Difficultas prima, Quid sit Ius.



VS VARIIS Modis accipitur, præcipuè tamen tribus modis. Primò, prout idem est, quòd *iustum*, quia *iustum*, decurtatione, & quasi sincope dicitur *ius*: *iustum* autem, seu *ius*, dupliciter accipitur vno modo generaliter, prout idem est, quod *legitimum*, id est, legi, & rationi, conforme quomodo quodcunque opus bonum, dicitur iustum: altero modo specialiter, prout idem est, *quòd æquale alteri debitum*. Secundo ius præcipuè accipitur, prout idem est, quòd *lex* (tam positiua, quàm naturalis) quæ est regula iusti generaliter sumpti: & inde etiam sumitur pro sententia iudicis, quia hæc est quædam lex particularis. Tertiò *ius*, præcipuè sumitur pro facultate, seu potestate aliquid legitimè, seu inculpate agendi, & recipiendi, cui si absque legitima causa contraueniatur, fit iniuria habēti eam facultatem. Verbi gratia, facultas, seu potestas, laborandi, & bellandi, & recipiendi donatiuum, & aliter acquirendi rem, & ea possessa vtendi: iuri autem in hac tertia acceptione in vna persona, correspondet in altera, obligatio à qua res, in qua vel ad quam illa persona habet ius, dicitur

debita: est autem ius (& idem est de obligatione ei correspondente) non aliquid adhuc morale à parte rei ante operationem intellectus existens, sed relatio rationis: vnde ius & obligatio ei correspondens, sunt relationes mutuæ, & simul, neutra prior, altera eo modo, quo paternitas & filiatio. Obligatio tamen est natura prior quam res vt debita, quia obligatio est forma, seu causa formalis, à qua res est debita sicut filiatio est prior natura quam filius, & albedo prior quam album, & anima prior quam homo, quia causa etiam formalis est prior natura, quàm suus effectus formalis.

Disputatio ergo hæc procedit de iure, in tertia acceptione sumpto pro dicta facultate, seu pro competentia, circa rem aliquã qua res tanquam propria, vel quasi propria competit alicui. Disputatio autem secunda, procedit de iure sumpto primo modo pro iustitia, cuius obiectum est ius primo modo sumptum pro iusto specialiter sumpto: de iure autem secundo modo sumpto est peculiaris, & longus tractatus, qui inscribitur de legibus.

Difficultas II. Quotuplex sit Ius.

CIRCA Hanc difficultatem conueniunt Doctores, ius sumptum pro prædicta facultate, seu competentia circa rem aliquam, de quo sic sumpto procedit, hæc disputatio esse duplex alterum ius ad rem, & alterum in re, qua diuisione iuris vtitur Pontifex in Clement. vnica de sequestrat. possess.

Ius ad rem est, quod directè, & immediatè tantũ tribuit actionem personalem, seu in alteram personam habentem rem ad quam est ius, & non tribuit actionem realem, seu in rem ipsam: quia res non est immediatè, & directè obligata, seu debita habenti ius, sed persona ad dandam illam rem suo tempore ipsi habenti ius; & hoc ius acquiritur per promissionem, per donationem, per emptionem, & per alios contractus ante traditionem rei, & per electionem ad beneficium, imô & per collationem ante acceptationem.

Ius verô in re est, quòd immediatè, & directè tribuit actionem realem, seu in rem ipsam, ita vt res sit immediatè, & directè obligata, seu debita ipsi habenti ius: ac proinde ad quemcumque res illa transeat, manet obligata eidem habenti ius, quia quæcumque res transit cum onere quo affecta est, & hoc ius acquiritur per donationem, per emptionem, & per alios contractus secuta traditione rei, & per collationem beneficij secuta acceptatione: ita vt

si res sit alicui vendita, & postea alteri per donationem, aut per alium contractum tradatur, hic posterior acquirit ius in re, & non ille prior, sed tantum ius ad rem, & actionem personalem in eum, qui eam sibi vendidit; & hoc ius dicitur dominium, quia eo iure, quis dicitur dominus rei.

Difficultas III. Quid & quotuplex sit dominium.

DOMINIVM Sic in communi, nihil aliud est quam facultas disponendi de re, vel circa rem tanquam sibi subiectam, vel eam gubernando, si dominium sit iurisdictionis, vel eam vendendo, vel commutando, vel ea vtendo, si dominium sit proprietatis, vbi nomine rei etiam comprehendimus personam.

Dominium ergo est duplex vnum iurisdictionis, quòd à iurisdictione ordinaria non distinguitur aliud proprietatis. Dominium iurisdictionis est facultas ordinaria gubernandi subditos, & hoc dominium est multiplex (sicut facultas gubernandi.) Alterum est sæculare, & alterum Ecclesiasticum, & quoduis ex his, est multiplex sicut iurisdictio ordinaria, tam sæcularis, quàm Ecclesiastica.

Dominium proprietatis, (quod ad præsens institutum attinet) est duplex; alterum perfectum, seu plenum, & alterum imperfectum. Perfectum est illud, quòd includit ius in re, & ius vtendi, seu gaudendi commodis illius, & ob id dicitur perfectum, seu plenum. Dominium verò imperfectum est duplex alterum ius in re sine iure vtendi, seu gaudendi emolumentis illius, & hoc dominiũ dicitur directum, & qui habet illud, dicitur proprietarius. Alterum est dominium imperfectũ, quòd est ius vtendi, seu gaudendi commodis rei, sed alienæ, id est, sine proprietate, quamuis non sine iure in ea re, & hoc dominium dicitur indirectum, & vtile, & qui illud habet, dicitur vsufructuarius.

Hoc ergo supposito, dominium perfectum, seu plenum (quod absolutè & simpliciter dicitur dominium) *est ius in re ad perfectè & plenè disponendum de ea, nisi lege prohibeatur*, in qua diffinitione ius, ponitur pro genere, & reliquæ particulæ pro differentiæ: quia per particulam, *in re*, excluduntur à ratione dominij omnia iura *ad rem*, & dicitur in re, sic generatim non addendo particulam, *corporali*, quia non solum de re corporali (id est quæ tangi

potest) vt de veste, de domo, & de vinea, habemus perfectum dominium, vt volunt Bartol. & alij Iuris periti, sed etiam de rebus spiritualibus, id est, de rebus quæ tangi non possunt, vt de iuribus, de officijs, & de alijs, vt Theologi volunt; quia nõ minus disponimus perfectè de his rebus spiritualibus, quàm de alijs rebus corporalibus. Deinde in dicta definitione dicitur ad perfectè & plenè disponendum de ea (id est, ad omnino, & independenter disponendum) vbi per particulam, *plenè*, dominium distinguitur à iure in hypotheca, & in pignore; quia ius in eis nõ est ad omnem vsum, seu effectum, sed tantum ad aliquem. Tandem dicitur, *nisi lege probibeatur*, quia dominium perfectum, sua natura est tale vt si lege non impediatur, possit in omnem vsum exire: vnde quis habet dominium perfectum rei, quamuis prohibitus sit eam alienare, quia ea lege cessante sine noua collatione, aut extensione iuris, potest eã rem alienare ex vi iuris antea impediti, & postea expediti.

Definitio ergo qua dominium definitur à Iuris peritis, quòd sit *ius perfectum disponendi de re corporali, nisi lege probibeatur*, facile intelligitur ex dictis, ex ea tamen poterit particula illa, *corporalis*, auferri, vt Theologis placeamus.

Difficultas IIII. Quæ requirantur ad acquirendum dominium.

SVPPONIMVS, Bona quorum acquirimus dominium, esse in duplici differentia, quædam quæ nullius sunt, & quædã quæ sint sub dominio alicuius, & ideo ad acquirendum dominium horum requiritur translatio dominij ex vna persona in alteram.

Hoc ergo supposito conueniunt Doctores. Primò, ad acquirendum dominium rerum, quæ nullius sunt, requiri ex natura rei, seu iure naturali eorum apprehensionem: verbi gratia, ad acquirendum dominium auis, aut feræ, aut piscis, aut gemmæ in littore maris, quia stando in iure naturali, nullo alio modo potest res alias nullius alicui appropriari, & fieri illius: & ad id sufficit apprehensio illius, quia stando in iure naturali, nullo fundamento potest aliud exigi ad id, quia hæ res iure naturali fiunt primo occupantis, seu capientis illas, vt habetur instituta de rerum diuis. siue capiatur

piatur manu, siue inclusione illius in loco non valde magno septo, ita vt coerceri possint.

Conueniunt secundò Doctores ad acquirendum dominium rerum, quæ sunt sub dominio alterius, quòd acquiritur translatione dominij ex vna persona in alteram, requiri primò titulum aliquẽ seu causam, & radicem ob quam trãsferatur; qualis est contractus, & successio hæreditaria, & sententia iudicis, & lex Principis qua id tribuitur præscriptioni, & alijs. Titulus autem, non minus requiritur, vt qui erat dominus rei amittat dominium illius, quàm vt alter de nouo acquirat.

Secundò, ad acquirendum dominium rei, requiri traditionem (si antea non possideatur, vt in præscriptione supponitur possessa) siue veram, vt quando verè traditur siue fictam: verbi gratia, traditione clauis loci in quo adsunt, v.g. oleum, & frumentum, hæc autem duo requiri ad acquirendum dominium rei, nondum possessæ: constat ex l. 20. C. de pactis, dum dicitur: *Traditionibus, & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Et ex l. 31. ff. de acquirendo rerum dominio, dum dicitur: *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit.*

Titulus autem prædictus, qui primo requiritur, semper requiritur ad acquirendum dominium dictarum rerum, & non solum iure humano, sed etiam iure naturali. Traditio verò, seu apprehensio, non requiritur ex natura rei, quia ex natura rei sufficit voluntas prioris domini dantis rem exterius manifestata, & voluntas posterioris eam acceptantis exterius manifestata, sed requiritur iure tantum humano, non solum Cæsareo Instit. de empt. & vendit. §. vtique, sed etiam iure Castellæ, l. 50. titulo 5. part. 5.

Et quãuis traditio, & apprehensio rei, quæ secũdo requiritur iure humano, regulariter requiratur, nõ tamen semper: quia primò, non requiritur ad acquirendum dominium beneficij, quando ad id sufficit collatio beneficij, & acceptatio illius, vt constat ex cap. *si tibi absenti*, de præbendis, in 6. Secundò, non requiritur ad acquirendũ dominiũ hæreditatis defuncti; quia ad id sufficit sola additio, id est, acceptatio verbo, vel facto: vt constat ex l. *cùm hæredes*, 23. ff. de acquirend. possess. Tertiò, non requiritur ad acquirendum dominium legati, nec ad acquirendum dominium rei donatæ, aut venditæ, aut relictæ ciuitatibus, aut Ecclesijs, aut alijs pijs locis, aut in redemptionem captiuorum: nec ad acquirendum do-

 mi-

rit dominium, & non ante eam, quia dominium fructuum non perceptorum pertinet ad dominum rei, & per eam particulam differt ab vsu iuris iam definito, qui vt ab vsufructu dignoscatur, dicitur nudus vsus.

Habitatio est ius quoddam simile vsufructui, & tantum est circa ædificia: *est enim ius habitandi domum, salua eius substantia*, differt autem ab vsu nudo etiam domus, quia cui concessa est habitatio domus, etiam potest eam locare, non verò ille cui tantùm est concessus vsus nudus, quia iste tantùm potest eam habitare.

Superficies *est ius in superficiem, & aream alieni soli, vel ad plantandum, vel ad ædificandum*, quòd potest aut gratis, aut pretio concedi; de quo legi potest Molin. disput. 10.

Difficultas VI. Quibus modis constituatur, & finiatur vsusfructus.

CIrca prius conueniunt Doctores, vsumfructum formalem, de quo loquimur, duobus modis constitui. Vno, modo dispositione alicuius legis, qui dicitur vsusfructus *legalis*. Altero modo, voluntate, seu dispositione hominis priuati, qui ex suis proprijs bonis concedit alicui vsumfructum eorum bonorum, qui dicitur vsusfructus *conuentionalis*.

Circa posterius etiam conueniunt Doctores, vsumfructum formalem multis modis finiri, seu extingui: quia in primis finitur, seu extinguitur morte vsufructuarij, & si conceditur alicui communitati, quando non determinatur tempus, censetur concedi per spatium centum annorum. Secundo finitur, si vsufructuarius concedat vsumfructum ipsi domino, seu proprietario. Tertiò, si vsusfructuarius acquirat dominium, seu proprietatem rei, quòd dicitur, *consolidatio*. Quartò, finitur elapso tempore pro quo fuit concessus. Quintò, per maximam capitis diminutionem, id est, quando vsusfructuarius priuatur ciuitate, & libertate, vt quando damnatur ad mortem, vel damnatur perpetuo, siue ad bestias, siue ad metalla, siue ad triremes. Sextò, per mediam capitis diminutionem, id est, quando quis priuatur ciuitate, in nostro tamen Regno Castellæ, post legem 4 Tauri, non

extinguitur dictis 5. & 6. modis. Septimo, finitur ingressu Religionis, quæ nequit succedere in bonis Religiosi, sed an extinguatur per crimen hæresis, disputatur in tractat. de legibus.

Et eisdem modis quibus constituitur, & finitur vsusfructus, cōueniunt Doctores, etiam constitui, & finiri vsum nudum iuris, & etiam superficiem: & eisdem dictis duobus modis constitui habitationem, finiri verò sola morte illius cui concessa est, vt habetur lege *habitatio, & l. cum antiquitas*, C. de vsufr. & habitat.

Difficultas VII. Quid sit seruitus.

SERVITVS De qua loquimur dupliciter sumitur vno modo pro iure, quod quis habet in personam alienā, aut in rem alienam, vt sibi aliquo modo seruiat: altero modo, & præcipuè pro obligatione correspondente dicto iuri.

Seruitus ergo posteriori modo sumpta, diuiditur ex parte eius cui res, aut persona aliena est obligata, seu subiecta, in realem, & personalem. Personalis est obligatio, seu subiectio rei, aut personæ in ordine ad personam directè & immediate, vt cùm domus aliena obligata est personæ vt habitet in ea: & etiā cū mancipiū alienū obligatū est seruire alteri personæ. Seruitus verò realis est, obligatio rei in ordine ad rem alterius, directè & immediate, vt cùm domus vicina obligata est recipere stillicidium alterius domus: & hæc seruitus realis nō extinguitur morte domini ipsius rei, cui seruitur. Seruitus verò personalis, regulariter extinguitur morte personæ cui seruitur: aliquandò verò transit ad hæredes illius personæ, de quo legi potest Molina disput. 1 1.

Deinde seruitus realis subdiuiditur in rusticam & vrbanam. Rustica dicitur, quæ prædio rustico; & vrbana, quæ prædio vrbano debetur. In iure autem, prædium vrbanum dicitur quodcumque habitaculum, quamuis sit in villa, & etiam hortus habitaculo annexus, amenitati deseruiens. Rusticum verò dicitur quoduis aliud, vt ager, & stabulum pecorum à domibus seiunctum. Et ad prædium rusticum reducitur actió rustica, vt fossio, & transitus. Et ad vrbanum reducitur actio vrbana, & ideo obligatio qua ager vnius est obligatus, vt alter transeat per illum, est seruitus rustica: & obligatio qua domus vnius nequit, ita attolli vt officiat lumini alterius, est seruitus vrbana.

Rursus seruitus præsertim vrbana, subdiuiditur in affirmatiuam

&

& negatiuam. Affirmatiua est obligatio ad actum positiuũ, vt qua domus obligata est recipere stillicidium alterius: negatiua est obligatio ad aliquid negatiuum, vt qua vna domus obligata est, non ita atolli vt impediat lucem alterius.

Constituentur autem seruitutes, aut lege, aut pactis, aut donatione, aut vltima voluntate: extinguuntur verò, aut finito tẽpore pro quo concessæ sunt, aut remissione habentis ius, aut quando habens ius, acquirit dominium rei, vel personæ obligatæ; de quo lege potest Molin. disput. illa 11. imò etiam extinguuntur non vsu, aut actu contrario, de quo dicimus disput. 2. dif. 9.

Difficult. VIII. Vtrum vsus iuris distinguatur, seu separetur à dominio in rebus quæ vsu ipso facti consumuntur.

SVPPONIMVS Has res quæ vsu facti consumuntur, verbi gratia, vinum, panem, & pecuniam, præter vsum facti primarium & principalem, quo consumuntur, etiam posse habere alterum vsum facti secundarium, & minus principalem, quo non consumuntur, sed ostentantur, aut ad aliud acommodantur.

Hoc supposito, difficultas non procedit de vsu iuris, seu de iure vtendi his rebus secundario, & minus principali vsu facti, quia certum est dominium earum rerum, distingui, & posse separari à iure vtendi illis eo vsu secundario, quia potest quis habere ius vtendi his rebus alienis eo vsu, earum substantia, salua quod distinguitur, & separatur à dominio, quòd est alterius.

Procedit ergo difficultas de iure vtendi eis rebus, vsu principali, & primario eas consumente. An scilicet distinguatur, à dominio earum, & procedit de eo iure, quando non est, aut non conceditur ad omnem vsum, seu ad omnem modum consumptionis earum, sed tantum ad aliquem vt contingit in conuiuijs, in quibus alimenta conceduntur, vt manducentur, & non vt donentur, nec vt comburantur: quia tunc certum est dominium earum distingui ab eo vsu iuris, quia dominium est ius plene vtendi re, sed tantum procedit de vsu iuris, seu de iure vtendi eis rebus omni vsu, seu modo consumptionis. An scilicet, hic vsus iuris in eis rebus distinguatur, & separari possit à dominio earũ, ita vt quis possit quouis

modo, vti eis rebus, seu eas consumere; absque eo quòd habeat dominium earum.

Circa quã existimamus facultatẽ, seu ius vtendi plenè dictis rebus eas consumendo, quæ dicitur vsus iuris, distingui, & posse separari, & de facto separari à dominio earũ, quando dicta facultas nõ conceditur, vel nõ habetur omnino absolutè, & independẽter, sed dependenter, & reuocabiliter pro arbitrio concedentis, vel alterius, quòd à nemine negari potest: quia in eo casu, quamuis ea facultas sit plena, id est, ad omnem vsum consumptionis, non tamen est perfecta, quia non est omnino absoluta, & independens; dominium autem est ius, & facultas perfectissima.

Ex quo constat, facultatem quam habent Religiosi Franciscani minores, plenè vtendi omnibus rebus, etiam prædictis vsu ipso consumptibilibus, separatam esse à dominio earum, quamuis eis possint plenè vti adhuc eas consumendo, quia dicta facultas potest auferri & reuocari, vel ab illo, qui eis eleemosynam fecit, si non absolutè fecit, vel si absolutè fecit, reuocari potest à Sede Apostolica: quia hæc post Ioannem XXII. qui à Sede Apostolica earum rerum dominium abdicauit, iterum, rerum ipsis Franciscanis concessarum, dominium admisit, & ideo à Sede Apostol. vt pote earum rerum domina, possunt sine iniuria omnibus rebus, ipsis absolutè concessis, priuari.

Sed quamuis in dictis Religiosis, adhuc in eorum communitate non sit dominium earum: Est tamen in illis quando eis rebus vtuntur, non solum vsus facti, sed etiam vsus iuris, quia vsus facti non fuisset in eis licitus absque iure aliquo ad illum, quia tamen ius istud vtendi in eis Religiosis, est reuocabiliter, & dependenter à Sede Apostolica, & in ea est absolutè & independenter. Ideo à Nicolao III. ius hoc in his Religiosis, dicitur vsus facti, quia hic solus in eis est absolutus, Re tamen vera, etiam est & dicitur vsus iuris, sed reuocabilis, & conditionatus, vt supponimus: & etiam est dissimilis ei, qui à nobis definitus est Dis. 5. quia ius illud nõ solum est ius vtendi re aliena, salua eius substantia, (qua ratione defeniuimus vsum) sed etiã & ius eam consumendi. Et in hoc sensu sumpserunt Innoc. IIII. Alex. IIII. Greg. IX. & Nicol. III. in Extrau. *exijt qui seminat*, de verb. sig. in 6. Et Cleinẽs V. in Clem. *Exiui de Paradiso*, pro iure, se vtendi reuocabili, & dependente. Dum dicunt in rebus vsu consumptibilibus, vsum posse separari à dominio, vt dicant in dictis Religiosis posse esse vsum, etiam eatũ

rerum,

rerum, absque earum dominio quòd supponebant esse apud Sedem Apostolicam, quando qui eas res tribuit, non exprimit velle apud seipsum manere. Ioannes verò XXII. qui in Extrauagāte *ad Conditorem*, dum significat vsum rerum, vsu consumptibilium non distingui, nec separari à dominio earum, sumit vsum strictè, pro vsu iuris pleno & absoluto. Tamen dum supponit post abdicationem à Sede Apostolica dominij earum rerum, & etiam aliarum quas dicti Religiosi possunt consumere, quam ipse fecit, manere apud ipsos dominium earum rerum; loquitur minus probabiliter, & loquitur non vt Pontifex, sed vt priuatus Doctor, vt communiter supponunt Doctores.

Sed quæ res pro eo tempore quo Ioan. XXII. addicauit à Sede Apostolica, dominium rerum dictis Religiosis concessarum, qualem vsum habebant, & qualem paupertatem profiteri poterant. Respondemus, habuisse similem vsum ei quem antea habebant, & modo habent, & potuisse similem paupertatem profiteri, non solū quando ille qui eis bona tribuebat, sibi reseruabat dominium vt poterat, & modo potest, qui ea illis tribuit, sed etiam quando quantum est ex se ea illis absolutè tribuebat deferendo absolutè, & omnino dominium eorum, quia in hoc posteriori casu possent illi ea bona, vt pote derelicta, & absque domino, absque iure aliquo habere, & eis absque iure aliquo vti, & ea consumere, quia ad habendum, & ad vsum facti adhuc consumptionis eorum, quæ nullius sunt, nullum requiritur ius. Credimus tamen in hoc posteriori casu, bona illa ab ipsis habita, potuisse licitè accipi à quolibet etiam ipsis inuitis, absque iniuria aliqua contra eos illata; quia tunc nullum in eis, nec ad ea ius haberent.

Difficult. IX. Quid & quotuplex sit possessio.

NON Pprocedit difficultas de possessione sumpta pro re possessa, quomodo prædium quòd possidemus, dicitur possessio nostra, sed de possessione sumpta pro actu ipso possidendi, qui est forma à qua dicimus possidere res, & dicitur à pedum positione, quia pedum positio super bona immobilia, quæ sunt potissima bona, est potissimus actus quo eorum possessio comparatur.

Circa priùs ergo possessio, *est insistentia rei*, (id est, detentio rei) *corporis & animi iuris, qua adminiculo dicitur,* insi-

insistentia, quia qui actualiter, vel habitualiter non insistit seu insi lecti rei per se, vel per alterum, non dicitur possidere. Vnde apprehensio rei nisi vt perseuerās, saltem habitualiter (id est cum facta fuit & non est reuocata) non est possessio, sed acceptio possessionis. Deinde dicitur *rei*, sic generaliter, quia non solum res corporeæ, vt domus, & ager, sed etiam incorporeæ, vt census, & Beneficium, & similia iura, dicuntur verè possideri. Rursus dicitur, *Corporis adminiculo*, quia ad possessionem requiritur ex natura rei actus corporalis, quo verè rei insistamus, quamuis tantum habitualiter, quamuis aliquando dispositione alicuius legis sufficiat actus quo ficte apprehendimus, & insistimus rei: imò aliquando absque omni actu. Vlterius dicitur, *animi*, quia necessarius est animus, seu intentio insistendi rei tanquam propriæ, quamuis non sit propria, ex cuius defectu depositarius non dicitur possidere rem. Tandem dicitur, *iuris*, non positiue quasi necessarium sit ius, vt possessio facti sit vera possessio, quia absque iure aliquo, potest esse vera possessio (erit tamen iniusta si sit rei alienæ) sed negatiuè, quia necessariū est, ne iure aliquo inhabilitetur persona ad possidendum.

Obseruandum est non solum actum ipsum detinendi rem, seu ei insistendi formaliter esse, & dici possessionem (quæ dici potest *possessio facti*) sed etiam ipsum ius insistendi, seu detinendi (quod dici potest *possessio iuris*) ea proportione qua diximus actum ipsum vtendi, dici vsum facti, & ius vtendi dici vsum iuris, & vsum absolutè. Id tamen magis propriè & communiter conuenit vsui quàm possessioni, quia magis propriè & communiter actus insistendi, dicitur possessio, quā ius ad insistendum, quia qui habet ius insistendi, si iniustè impeditur, aut spoliatur, ipsa insistentia, seu detentione rei, communiter dicitur non possidere, & latro insistens rei contra ius, dicitur rem possidere quamuis iniustè.

Circa posterius, quamuis varijs modis possit diuidi possessio; nempè, pro varietate titulorum, quib. acquiritur res, & pro varietate fidei, vel bonæ, vel malæ, quibus possidetur, vsitatissima tamen est diuisio qua diuiditur in ciuilem & naturalem, & quamuis varie explicetur, quid sit possessio naturalis, & quid ciuilis: explicatio tamen qua id explicatur part. 2. tit. 3. l. 2. est communior: nempè, vt ille dicatur naturaliter possidere, qui eo actu corporeo quo possessionem rei acquisiuit perseuerante naturaliter, seu phisice, insistit rei tanquam propriæ. Ille vero dicitur ciuiliter possi-

dere

dere rem, qui ei suo animo tanquam propriæ insistit, dùm etiam eam physice, seu actu corporeo retineat, seu retinuerit, & eam retentionem non rebocauerit. Vnde possessio alia potest dici purè naturalis, illa videlicet, qua quis physice insistit rei tanquam propriæ, alius tamen eam possidet ciuiliter: & alia potest dici purè ciuilis, illa videlicet, qua quis absens insistit animo rei, quam physice habitualiter retinet, quia eam actu retinuit, & id non rebocauit: & alia potest dici simul naturalis, & ciuilis, illa videlicet, qua quis physice & actu insistit rei tanquam propriæ, absque eo quòd eam alius ciuiliter retineat. Ad ciuilem ergo possessionem rei, siue solam, siue simul cùm naturali, etiam requiritur quòd nullus alius eandem rem ciuiliter retineat. Addi etiam solet aliud membrum dictę diuisioni, nempè possessio ciuilissima, qua absq; omni actu præsenti & præterito, sola legis dispositione res possidetur.

Difficultas X. Quibus modis acquiratur, & amittatur possessio.

CIRCA Prius conueniunt Doctores, possessionem rei tribus modis acquiri. Primò vera apprehensione rei, quæ fit manibus, vel pedibus, & hæc est necessaria ad acquirendam possessionem rerum quæ nullius sunt; nempè, auium, ferarum, gemmarum, &c. & est necessaria ad acquirendam possessionem clandestinam, & per vim. Secundò acquiritur apprehensione ficta; nempè, aliquo actu, qui licèt non sit vera apprehensio, tamen dispositione legis eo traditur possessio, ac si eo actu verè apprehenderetur, vt ostensione rei, traditione scripturæ, traditione clauis, & alijs modis, quos enumerat Molin. disp. 13. & hæc ficta apprehensio habet locum, quando possessor rei tradit alteri possęssionem illius. Tertiò, acquiritur possessio, absque apprehensione adhuc ficta, sola legum dispositione qua lege aliqua id disponitur, quæ circa hcc solent esse variæ pro varijs Prouincijs.

Circa posterius, possessio rerum tam mobilium, quàm immobilium, amittitur sola voluntate domini possessoris exterius manifestata, nollentis eam amplius possidere, quamuis perseueret in eam retinendo. Possessio verò rerum mobilium, primò amittitur furto & rapina, nisi fur sit in potestate possessoris. Secundò, si subsit custodiæ alterius, qui eam incipiat tanquam propriam retinere.

Ter-

Tertiò amittitur possessio, vel quando amittitur res, verbi gratia, annulus bursa, &c. vel quando fugit res si sint animalia irrationalia, vt ouis quando aberrauit à grege, vel auis quando aduolat, si ea animalia non habent consuetudinem redeundi. Addimus *si sint animalia irrationalia*, quia possessio mancipij non amittitur fuga illius. Quartò, possessio rerum immobilium amittitur, si possessor sciat rem suam esse occupatam ab altero, & negligat: & etiam amittitur alijs modis, de quibus videri possunt Molin. disp. 15. & Lesius cap. 3. dub. 12.

Difficult. XI. Quid priuilegij conferat possessio.

IN Primis possessio, si sit bonæ fidei, parit præscriptionem, id est, efficit vt elapso tempore à lege assignato, res possessa, aliàs aliena, fiat possidentis. Secundò, in dubio dominis rei post sufficientem inquisitionem domini, efficit, quòd melior sit conditio possidentis, vt possit eam sibi retinere. Tertiò, efficit quòd in iudicio externo possessor habet locum Rei, non actoris, ita vt possessori non incumbat probare rem esse suam, sed petenti, & si hic deficiat in probatione, sententia fertur in fauorem possidentis. Quartò, possessio tribuit possessori ius ad eam defendendam adhuc armis. Quintò, possessor vi expulsus, potest etiam armis suam possessionem repetere, si id confestim fiat, seu absq; interuallo, id est, si fiat quam primum commode possit attenta rei difficultate, de quibus legi possunt Molin. disputat. 16. Lesius dub. 13. & Turrian. disp. 31. ad finem.

Difficultas XII. Vtrùm, omnia homine inferiora cadant sub eius dominium.

CONVENIVNT Doctores, primò, res omnes externas homine inferiores vsibus hominis subiectas, esse obiectum, seu materiam capacem dominij humani, vt agros, flumina, metalla, plantas, bestias, volatilia, &c. Aut quod idem est, hominem posse earum omnium dominium acquirere, seu fieri earum dominum, quod insinuatur Psalm. 8. *Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et ratione constat, quia omnes res prædictæ ita sunt hominibus subiectæ, vt possint

sint de omnibus disponere. Sunt autem materia capax dominij humani, non tantum quoad accidentia, sed etiam quoad substantiam: quia prædictæ res non solum sunt subiectæ homini quoad earum accidentia, quia de earum accidentibus, vt de calore, de frigiditate, & de quantitate, potest disponere eis vtendo, & ea quæ sunt corruptibilia destruendo, sed etiam quoad substantiam: quia de eis quoad earum substantiam potest disponere, eas quoad substantia immutando & destruendo.

Conueniunt secundò, Cœlos, & Astra non esse obiectum, seu materiam capacem dominij humani, quia quamuis suis effectibus nobis deseruiant, & famulentur, sed non possumus de eis disponere ad effectum aliquem aptando.

Difficultas XIII. Vtrùm, vnus homo possit cadere sub dominium alterius.

CONVENIVNT Doctores, vnum hominem posse cadere sub dominium alterius, aut quod idem est, vnum hominem posse esse obiectum, & esse materiam capacem dominij alterius hominis: quod supponitur in sacra Scriptura Genes. 12. & 20. Exod. 21. Leuit. 25. Deutheronom. 20. & 21. & 1. ad Chorint. 7. & id supponitur in Concilijs, & in iure Canon. & in Ciuili. Ita tamen, vnus homo potest cadere sub dominiũ alterius, vt nequeat quoad substantiam cadere, quia ex vi dominij proprietatis in illũ nequit eum occidere, sed tantum potest cadere quoad operas.

Obseruandum tamen est nullum ex natura rei nasci, nec effici seruum alterius, quia conditione naturæ, omnes nascuntur, & sunt pares.

Aristoteles verò, primo Polit. cap. 1. & 3. in eo solo sensu dixit: Quosdam esse à natura seruos, & quosdam dominos, quia à natura nonnulli sunt magis apti ad seruiendum, & alij ad imperandum, & non quia à natura verè & propriè sint serui, & domini. Sed quamuis nullus ex natura rei sit, nec nascatur seruus, nullus tamen nascitur incapax contrahendæ seruitutis propria voluntate, & iure aliquo: vnde seruitus non est contra naturam hominis, sed est conformis capacitati naturali quàm habet, & cum qua nascitur.

Diffi-

Difficultas XIIII. Vtrùm homo sit dominus suæ vitæ, & membrorum.

CONVENIVNT Doctores, hominem non esse dominum suæ vitæ, nec membrorum, sed tantum esse custodem, & vsuarium, nec Principem, nec Rempublicam, sed tantùm Deú, quod significatur Psal. 16. *Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*. Et in primis, ipse homo non est dominus suæ vitæ, quia non est dominus sui ipsius, qui non distinguitur à sua vita, nec est dominus suorum membrorum, quia membra sunt partes intrinsicæ ipsius; quarum nequit esse Dominus, sicut nec sui. Deinde, nec Princeps, nec Respublica est dominus vitæ, nec membrorum suorum subditorum, quia priuati tantum sunt subditi Principis, tanquam superioris, & tantum sunt membra, seu partes Reipublicæ, tanquam totius, superior autem non est dominus suorum subditorum: nec totum est dominus suorum membrorum, seu partium.

Quod si Princeps potest interficere delinquentem, & exponere subditos periculo vitæ in bello, & in alijs occasionibus non est, quia sit Dominus, seu habeat dominium in vitam, nec in membra subditorum, sed quia sit Gubernator Reipublicæ, & custos illius: sicuti etiam ipse priuatus homo, vt custos sui potest resecare mébrum putridum, ne noceat toti: imò & exponere suam vitam pro defensione bonorum quæ sunt necessaria ad decentiam vitæ.

Difficultas XV. Vtrùm, homo sit dominus suæ famæ, & sui honoris.

CAIETANVS Quæst. 73. art. 2. & in Summ. verb. *detractio*, partem negatiuam tuetur, quæ significari videtur Ecclesiast. 41 illis verbi: *Curam habe de bono nomine*. Et ratione probatur, quia fama, & honor sunt bona media inter vitam, & bona externa, & magis accedunt ad vitam cuius homo non est dominus, quàm ad alia bona externa.

S. Thom. verò quæst. 73. artic. 4. Lesius lib. 2. cap. 4. dub. 11. Malder. tract. 1. cap. 5. dub. 5. Adamus disp. 4. q. 1. dub. 4. & communiter Doctores, partem affirmatiuam tradunt, & merito, quia homo

homo post vitam quam à Deo accipit, sibi acquirit famam, & honorem sicuti & cætera bona externa, ergo etiã est dominus famæ, & honoris, & de eis potest disponere sicuti etiam est dominus bonorum externorum, & de is potest disponere: quamuis fama, & honor sint bona media inter vitam, & inter bona externa: & quamuis magis accederent ad vitam, quod est falsum.

Illis autem verbis Ecclesiast. 41. *Curam habe de bono nomine*, traditur Consilium procurandi bonum nomen medio exercitio virtutum, eis tamen non significatur hominem non esse dominum sui nominis, seu famæ, sed ad summum non posse ab homine prodigi absque iusta causa sicuti, nec bona externa.

Et non solum homo est dominus famæ, & honoris, sed etiam scientiæ, & gratiæ iustificantis, & aliorum habituum, & bonorum spiritualium, quia homo ea etiam sibi acquirit quamuis dono Dei.

Difficultas XVI. Vtrùm naturæ tantum rationali, seu intellectuali competat habere dominium?

CONVENIVNT Doctores, omnes, & solas naturas intelligẽtes posse habere dominiũ, quia dominiũ supponit in eo, qui habet illud, potentiam qua libere posit disponere de rebus quarum est dominus, in omnibus autem, & solis naturis intelligentibꝰ est dicta potẽtia. Deꝰ ergo habet dominiũ omniũ creaturarũ, quia de eis omnibus potest pro suo arbitrio disponere eas adhuc anihilando: imò habet dominium omnino indepẽdens, quia à nulla creatura impediri potest quamuis posit à seipso promisione sua impediri ad aliquid faciendum, aut omittendum circa creaturam aliquam: & ita habet dominium omnium, vt nullatenus posit illud ab se abdicare, nec illud alicui creaturæ communicare.

Angeli etiam habent dominium ad minus suorum actuum, & habituũ quos actibus acquirunt, & adipiscuntur: non tamẽ habent dominium rerũ corporaliũ, vt contra Salonem, & Aragonẽ aduertũt Sot. lib. 4. q. 1. ar. 2. Less. c. 4. dub. 1. & Malder. tra. 1. c. 4. du. 1.

quia quamuis administrent res corporales, non tamen tanquam proprias, nec in proprium commodum, sed commissione Dei tamquam ministri ipsius, qui non dicuntur domini rerum quas administrant.

Homines verò quamuis peccatores non tantùm habent dominium suorum actuum, sed etiam rerum corporalium, vt dixim dif. 12. quia verè possunt de eis tanquam de proprijs disponere, & ad sua commoda: quod non tantum habent homines vsu rationis præditi, sed etiam infantes ante vsum rationis: quod significat Paul. ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo cum sit dominus omnium.* Et ratione cõstat, quia quamuis careant vsu rationis, hic tamen quamuis requiratur ad liberam dispositionem, & vsum rerum, sed non ad ipsum dominium, quod supponitur ad eam liberam dispositionem, & vsum, & sufficienter, & immediatè fundatur in intellectu, & voluntate (quamuis hæ potentiæ ab extrinseco, & per accidens impediantur à suo vsu) ob quod infantes etiam sunt capaces iniuriæ passiuæ. Et idem ob eandem rationem dicendum est de omnino amentibus, quod etiam possint esse domini rerum.

Difficultas XVII. Vtrùm filij familias habeant dominium, & quarum rerum?

SVPPONIMVS Esse quatuor genera bonorum, quæ possunt competere filio familias, seu constituto sub patria potestate, nempè bona castrensia, & quasi castrensia, & aduentitia, & profectitia.

Bona castrensia sunt, quæ occasione militiæ, aut custodiæ præsidiorum, vel personæ Principis etiam in palatio, quæ fit à militibus palatinis acquiruntur à filio familias; nempè stipendia, & spolia hostium, & dona, vel legata à Commilitonibus, vel à Ducibus, vel à Principe facta occasione militiæ, vel dictæ custodiæ; & dona à parentibus, vel à cognatis facta filio profecturo, aut iam profecto ad castra, vel in præsidia, vel in custodiam Principis.

Bona

Bona quasi castrensia (quæ sic dicuntur, quia gaudent eodem priuilegio quo castrensia) sunt quæ à filio acquiruntur, vel stipendio ex officio publico, non mechanico; nempè, Magistri, vel Iudicis, vel Aduocati, vel Tabellionis, vel Medici, &c. vel donatione Principis, vel donatione parentum, aut cognatorum facta filio proficiscenti, vel iam profecto ad palatium Principis ad ei seruiendum, vel acquisita ex beneficio Ecclesiastico, vel ex titulo clerici gaudētis priuilegio fori: imò & quæ quocumque modô in eius dominium veniunt, quæ in alijs filijs aduentitia essent.

Bona aduentitia sunt, quæ filio familias adueniunt, non occasione castrorum, nec quasi castrorum, nec donatione patris, nec alterius intuitu patris, sed propria industria exhibita extra domumum patris, vel si in domo patris operis tamen extraordinarijs quibus plus lucretur, quam consumat, & significet sibi lucrari, non patri, vel donatione, vel legato à non Principe, vel hæreditate matris, vel ascendentium matris, vel fortuito aduenietibus, vt si inueniat thesaurum.

Bona profectitia sunt, quæ cum non sint castrensia, nec quasi castrensia, nec aduentitia, proficiscuntur filio ex bonis patris viuentis ipsi donatis, vel in administrationem datis, vel quæ filio ab altero donantur principaliter intuitu patris; nempè, ob obsequiū, vel amicitiam patris.

Hoc ergo supposito, conueniunt primò DD. filium familias, seu sub patria potestate constitutum verè habere dominium, & plenum bonorum castrensium, & quasi castrensium, seu quod idem est ad ipsum pertinere proprietatem, vsumfructum, & liberam administrationem eorum, itaut quasi paterfamilias possit de eis plenè disponere donationibus, & contractibus, & testamento si pubes sit.

Conueniunt secundò Doctores, bonorum aduentitiorum quamuis filiusfamilias habeat dominium, seu proprietatem, non tamen habere vsumfructum, nec administrationem: quia vsusfructus, & administratio eorum pertinent ad patrem. Excipiunt tamē DD. sex casus, in quibus non solum dominium, sed etiam vsusfructus, & administratio ad filium pertinent.

Primus est, si vsusfructus condonetur filio à patre, quod potest pater efficere, quia id non est donare de suis (quod pater

non potest) sed est id non vsurpare de bonis filij (quod pater poterat) ac proinde filius non tenetur condonationem vsusfructus conferre in legitimam quando cum fratribus cernat hæreditatem paternam. Secundus est, quando filio aliquid donatur, aut relinquitur ab aliquo sub ea lege, quod vsusfructus ad ipsum pertineat non ad patrem. Tertius est, quando filius adijt aliquam hæreditatem, & legatum, vel donum accepit suo patre contradicente: quia tunc æquum est, vt pater ex eo non reportet commodum. Quartus est, quādo filio relictus est ab aliquo vsusfructus nudus rei absque proprietate. Quintus, quando filius simul succedit cum patre in hæreditate fratris, aut sororis. Sextus est, quando pater crimine hæresis, aut alio amittit vsumfructum.

Extra hos prædictos sex casus, filius non potest de bonis aduentitijs disponere, quia extra eos, vtilitas, & administratio eorū pertinent ad patrem. Potest tamen ea patre consentiente causa mortis donare, & iure Cæsareo nequit de eis testari adhuc patre consentiente, nisi ad pias causas: in nostro tamen Regno Castellæ potest si pubes sit pro arbitrio suo de tertia parte disponere, vel testari: quod nonnulli etiam extendunt ad proximum pubertati, de quibus legendi sunt Molin. tractat. 2. disputat. 8. & 138. & Lesius cap. 4. dub. 3.

Conueniunt tertio DD. filium familias non habere dominium, nec vsumfructum bonorum profectitiorū, sed ea pleno iure ad patrem pertinere: id tamen est peculiare his bonis respectu filij, quod non conuenit alijs bonis patrimonialibus patris; nempe, quod publicatis alijs bonis patris illa non publicentur: & etiam quod ex bonis profectitijs acquisitis à filio sua industria ex bonis patris, possit extrahere æstimationem suarum operarum, de quo legi potest Petrus Nauar. lib. 3. c. 1. n. 79.

Difficult. XVIII. Vtrùm serui, seu mancipia habeant dominium aliquarum rerum?

CONVENIVNT Doctores seruum posse dominium aliquarum rerum habere, & illud in sex casibus de facto habere. Primò, si dominus expressè, vel tacitè velit, vt seruus aliquid habeat tamquam suum, & de eo pro suo arbitrio disponat,

siue

siue illud habeat donatione domini, siue aliter. Secundò, si aliquid seruo donetur, aut legetur ea conditione, aut eo modo, vt nullatenus pertineat ad dominū. Tertiò, si aliquid seruo detur in satisfactionē pro iniuria ipsi illata in his quæ nō subiacent dominis. Quartò, si bonis suis aliquid ludo, aut negotiatione, aut aliter lucretur absque præiudicio obsequiorum quæ domino debet. Quintò, si aliquid sibi subtrahat absque præiudicio domini, ex eis quæ poterat liberè consumere. Sextò, si aliquid ei detur ob opus factum, absque præiudicio domini.

Addimus, vt opte Molin. disp. 38. (quidquid alij dicant) in sex dictis casibus seruum habere dominium verū, & perfectum dictarum rerum, ita vt independenter à domino possit de eis disponere: & dominum non posse absque iniustitia in seruum ei aliquid earum auferre.

Iura verò quibus decernitur, *quidquid seruus acquirit, domino acquirere*, vel intelligūtur de acquisitis, operis domino debitis, vel iam contraria consuetudine esse mitigata.

Difficult. XIX. Vtrùm Religiosi habeant dominium aliquarum rerum?

SVPPONIMVS, Religiosos etiam professos in particulari, habere dominium, vel quasi dominium bonorum spiritualiū, ad quæ reduci possunt iura eligendi, & ad alimenta, & ad manendū in hoc, vel in illo Monasterio, & Religiosos beneficiarios si nō dominium fructuum suorum beneficiorum, saltem ius illos administrandi in proprios vsus.

Hoc supposito difficultas est, an habeant dominium bonorum temporalium, tam mobilium, quàm immobilium.

Circa quam conueniunt DD. Religiosos professos in particulari, nullum eorum habere dominium, quia sunt incapaces illius, vt significatur in cap. *Monachi*, & in cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum, & in can. non dicatis, 12. q. 1. & in Trident. Sess. 25. cap. 2.

Sunt autem incapaces dominij, ex iure Ecclesiastico, non ex iure diuino, nec ex natura voti solemnis paupertatis, de quo latè in tract. de statu Religioso.

Sed non solùm Religiosi professi sunt incapaces dominij bonorum temporalium, sed etiam nostri coadiutores formati tam spiri

tuales, quàm temporales, ex statuto Sedis Apostolicæ: scholastici verò approbati in nostra Societate; & coadiutores emissis votis post biennium probationis, quamuis sint veri Religiosi, possunt ante professionem, & ante formationem, habere dominium bonorũ tẽporaliũ, nõ tamẽ vsum eorũ indepẽdenter à superiore, vt cõstat ex Extrauagãte, *Ascendenti domino*, edita à Greg. XIII. an. 1584.

Excipimus à Religiosis professis Religiosos militares, quia isti habent dominium bonorum temporalium.

Est tamen difficultas, an Religiosi professi saltẽ in communi, seu communitas eorum habeat dominium bonorum temporalium.

Maior in 4. distinction. 24. quæst. 6. & Nauar. comment. 1. de regularib. n. 31. docent, nec communitatem eorum habere dominiũ eorum bonorum; sed illud esse apud Christum, quia in iure hæc bona dicuntur patrimonium Christi: apud Prælatos tamen esse administrationem eorum.

DD. tamẽ cõmuniter docent, communitatẽ ipsorũ Religiosorũ habere dominium bonorũ temporalium (excipimus Frãciscanos, Capucinos, & Minores de Obseruantia) quod exprimit Tridentinum Sess. 25. c. 3. & insinuat Nicolaus III. in Extrauag. *Exijt*, dũ ait: *Dominium rerum quibus Franciscani vtuntur, ad Papam pertinere, non autem ad Congregationem eorum*; quia his verbis insinuat in alijs Religionibus in quibus licitum est communitatem habere bona, eorum dominium ad ipsas communitates pertinere.

Et ratione constat, quia communitas Religiosorum non est incapax dominij bonorum temporalium, nec ex iure aliquo Ecclesiastico, quia nullum extat, nec ex natura voti solemnis paupertatis, quia Religiosi eo voto id non vouent, nec intendunt, sed tantum à seipsis in particulari excludere dominium, & illud non admittere de his tamen latius dicemus in tractatu de Statu Religioso.

Bona autem communitatis Religiosorum dicuntur patrimonium Christi, quia donata sunt ipsis propter Christum, & ad cultum Christi.

Difficult. XX. Vtrùm diuisio dominiorum fuerit licita?

SVPPONIMVS, Diuisionem rerum, & earum proprietatẽ non fuisse factã ex natura rei, seu iure naturali, quia ex natura rei, hæc res non magis pertineret ad hũc, quã ad illum: nec factã fuisse

iure

iure diuino, quia nõ constat Deum res diuisisse, & eas appropriasse, sed factam fuisse sola humana voluntate, & consensu saltem tacito: credi autem potest factam fuisse partim occupatione, partim sortitione, & partim authoritate superioris.

Hoc supposito, cõueniũt DD. rerũ diuisionẽ, seu appropriationẽ fuisse licitã, quia licitũ est, seu nulli iuri oppositũ, habere proprietatẽ rerũ, etiã inter Christianos: quod supponitur in Scriptura Matth. 19 ad Rom. 13. & Actor. 5. & id cõfirmat Ecclesię Chistianę vs⁹.

Addimus, in quo etiã cõueniũt DD. diuisionẽ, seu appropriationẽ rerũ non solũ fuisse licitam, sed etiã supposita misera hominum post peccatũ inclinatione ad cupiditatẽ, fuisse maximè vtilẽ, & ad pacẽ vt patet, & etiã ad meliorẽ rerũ administrationẽ, quia appropriatę colũtur à proprietarijs, etsi mãsisẽt cõmunes relinquerẽtur incultę, quia homines maximè curãt propria, & neglegũt cõmunia

Diffic. XXI. Quibus modis acquiratur dominium in homines tanquam in seruos?

QVAMVIS Ex natura rei nullus sit, nec nascatur seru⁹, seu mãcipiũ alterius, potest tamẽ quis fieri seruus alteri⁹, varijs modis. Primò, iure belli iusti in quo quis potest directè occidi, cõmutata occisione in perpetuã seruitutẽ, vt cõstat ex l. *& seruorũ*, ff. de stat. hom. Addim⁹ *, in quo quis potest directè occidi*, quia an innocẽtes possint capi in seruos, dicim⁹ tract. de charit. disp. 9. dif. 15. ab hoc tamẽ primo modo redigendi in seruitutẽ, excipiũtur Christiani (qui quãdo non deseruerũt totaliter fidẽ) iure inter Christianos ipsos cõsuetudine introducto Rom. Pontifice sciente, & nõcõtradicente, nequeunt adhuc in bello iusto ab alijs Christianis in seruitutem redigi; quod etiam statuitur leg. 1. Castellę, tit. 21. p. 4 benè tamen possunt à non baptizatis iustè bellantibus.

Secundò, potest quis in seruitutem alterius redigi in pœnã delicti, siue condemnatione iudicis, quia sicuti potest quis iustè puniri morte, ita etiam seruitute, siue lege aliqua, & hac Christiani deferẽtes arma, vel alia prohibita ad Sarracenos, possunt ab alijs Christianis eos capientibus, in seruitutem redigi, vt constat ex cap. *ita quorundam*, de Iudæis, & Sarracenis.

Tertiò, cõtrahitur seruitus iure Cæsareo, & Castellæ, ratione natiuitatis ex ea, quę sẽper à pũcto cõceptionis ipsius prolis vsq; ad

partum inclusiue, est ancilla; quod si pro aliquo momento totius tẽporis dicti libera fuit, proles manet libera dispositione iuris Cæsarei; iure tamen naturali credimus prolem ancillæ nasci liberam, quia quamuis sit fructus ancillæ, est tamen fructus intellectualis, & liberi arbitrij, qui sicut ratione natiuitatis non nascitur seruus matris adhuc liberæ, multo minus nascetur seruus domini suæ matris ancillæ. Vnde in Prouincijs, in quibus ius imperij non viget, aut non habetur aliud simile, proles relinquenda est libera.

Quartò contrahitur seruitus venditione qua quis ex libero fit sua voluntate seruus, quod quilibet liber potest ex natura rei valide efficere, quia non minus est dominus suæ libertatis, id est, suarũ operarum quam honoris, & famæ, & pecuniæ, vt tamen licite fiat, requiritur aliqua rationabilis causa alias esset prodigus, & profusor suæ libertatis, quæ præstantior est bonis fortunæ, honoris, & famæ. Vt tamen venditio libertatis valide fiat plures conditiones requiruntur iure, Cæsareo leg. 4 ff. quibus ad libertatem, & iure Castellæ l. 1. tit. 21. part. 4. Prima conditio est, vt quis non se ipsum immediatè vendat, sed per alterum. Secunda, vt qui patitur se vẽdi, sit maior vigintiquinque annorum. Tertia, vt intendat esse particeps pretij, & quod re ipsa sit particeps illius. Quarta, vt emptor credat illum esse seruum. Quinta, vt qui venditur sciat se esse liberum ante venditionem. Sexta, vt eum vendens sciat esse liberum.

Et quamuis Pater iure Cæsareo, & Castellæ possit valide, & licitè vendere filium existentem sub sua potestate, in seruum ob nimiam paupertatem causa victus, quia Respublica id potest vrgente causa disponere. Iure tamen naturali, secluso positiuo existimamus non posse (& multo minus matrem cui adhuc iure positiuo nõ conceditur) quia ex natura rei Pater non est dominus libertatis filij, quia non habet ius in operis filij, ergo nequit de libertate filij disponere. Vnde Pater non poterit vendere filium, nisi ob causam assignatam iure positiuo, quia isto solo potest. Et eodẽ iure filius potest restitui libertati collato pretio competente, vel alio seruo æquali.

Est tamen difficultas, an seruus ita transeat in potestatem domini, vt nequeat licitè fugere.

Circa quam certum est, seruum iniustè redactum in seruitutem posse licitè fugere, quia verè non est seruus: imò & posse recompensationem suarum operarum à domino subrripere: & seruũ à se, vel à Pa-

à Patre venditum non posse fugere licitè, quia legitimo cõtractu, cui stare tenetur, factus fuit seruus.

Et quamuis communius, & probabilius sit eum, qui in pœnam iustè condemnatus est in seruitutem, non posse licitè fugere, non tamen caret probabilitate, quod possit fugere oblata occasione commoda, præsertim si seruitus sit calamitosa, quia cõtrarium est durum, & supra conditionem humanam.

Circa seruos iure iusti bellicaptos, Anton. 3. part. tit. 3. cap. 6. Nauar. cap. 17. num. 103. Molin. disp. 37. docent, non posse licitè fugere, quia ea seruitus acquiritur in satisfactionem iniuriæ illatę, satisfactio autem impedietur si seruus fugiat.

Sotus verò, 4. de iustit. q. 2. art. 2. Couar. 1. variar. cap. 2. nu. 10. & Lesius c. 5. dub. 5. docēt, posse licitè ad suos fugere, & meritò, quia hæc seruitus siue acquisita, siue non, introducta est consensu, & consuetudine totius orbis, ita tamen, vt seruus nequeat vi resistere domino, eum reuocanti à fuga: addimus in conclusione *ad suos*, quia sic introducta est dicta seruitus, non verò vt seruus possit vagari.

Quod si talis seruus fugiens adhuc ad suos, potest à domino puniri, non est in pœnam fugæ, tamquam delicti, sed in custodiam, vt scilicet, timore punitionis sit magis custoditus.

Addimus, dictos seruos iure Cęsareo, & Castellæ, si ad suos peruenerint, ita cõsequi libertatē, vt quamuis postea causa mercaturæ, aut alia causa ad terram dominorum redeant, non possint in seruitutem retrahi.

Ita tamen serui, iure iusti belli capti, possunt licitè ad suos fugere, vt etiam possint quamuis sint venditi. Et idem est de filijs eorum, qui non alio titulo sunt serui, nisi quia sunt geniti ex eis.

Difficult. XXII. Quibus modis serui liberentur à seruitute?

CONVENIVNT DD. seruos duobus modis posse à seruitute liberari, vno modò ex voluntate domini: altero modò ex authoritate iudicis.

In primis, ex volũtate domini seruus liberatur à seruitute, quod fieri potest multis modis. Primò, quando dominus expressè manu mittit seruum. Secundò, quando dominus contrahit matrimoniũ

cum serua: & hoc non solùm iure Castellæ, sed etiam iure naturali matrimonij, seu ex natura, & efficacitate matrimonij, & ideò id vbique seruatur. Vnde idem erit, & nō minus efficaciter, si domina nubat seruo. Tertiò, iure Cęsareo, & Castellæ persona serua consequitur libertatem, si sciente domino, & non contradicente contrahit cum persona libera ignara seruitutis. Quartò, iure Cæsareo cēsetur libertatem cōcedere, qui seruum suum reliquit tutorem filij sui: & etiam ille, qui seruum suum instituit hæredem.

Deinde authoritate superioris seruus liberatur à seruitute, quod etiam multis modis fieri potest. Primò, iure Canon. & Cæsareo, si dominus exponat seruum suum infantem, aut alius domino sciēte, & non contradicente, aut si expositionem ab alio factam domino scio, ipse dominus postea approbet. Secūdò, si dominus seruū suū ægrotum exponat, aut deneget alimenta necessaria, seruus censetur derelictus, & cōsequitur libertatem. Tertiò, iure Cæsareo cōsequitur libertatem seruus infidelis circumcisus à domino iudæo. Quartò, iure Canon. c. vlt. de Iudæis, & Sarracenis prohibetur Iudæus posſidere seruū Christianum, vel volentem baptizari, & iure Cæsareo idē prohibetur pagano, & hæretico. Seruus verò eius, qui in hæresim labitur, si infidelis sit, pertinet ad fiscum; & si Christianus sit, liberte donatur etiam iure Cæsareo.

Difficult. XXIII. Quibus modis acquiratur, & retineatur dominium in res animatas?

SVPPONIMVS, Res animatas esse in duplici differentia, quia aliæ sunt sua naturali indole mansuetæ, vt canes, oues, boues, equi, sues, gallinæ, & aliæ plures, & aliæ sunt sua naturali indole, feræ, seu syluestres, & hæ sunt in duplici differentia, quia aliæ sunt, quæ vsu ipso mansuę fiunt, vt cerui, accipitres, columbæ, cuniculi, pauones, & res aliæ, quæ domi nutriuntur. Aliæ verò, quæ non mãsue fiunt vt apri, apes, pisces, & plura auium genera.

Hoc supposito, conueniunt DD circa prius, quascumque res animatas acquiri quoad dominium eo modo quo generaliter acquiruntur aliæ res, de quo diximus dif. 4.

Circa posterius conueniunt DD. res animatas sua naturali indole mansuetas, retineri quoad dominiū à suo antiquo domino, quãuis longe fugiant, & pro multo tempore absint (sicut retinetur dominium

minium rei inanimatæ perditæ, v.g. vestis) vt constat ex §. gallinarum, Institut. de rerum diuision. Ac proinde carnes, & pelles earum, & quidquid ex eis manserit, ad antiquum dominum pertinent. Ratio huius doctrinæ est, quia hæ res animatæ semel sub dominium redactæ, nequeunt libertatem acquirere, quia sua natura sunt domesticæ.

Conueniunt secundò DD. res animatas sua naturali indole syluestres, vsu tamen mansuefactas, vt columbas rellactas ad columbaria, etiam in syluis existentes, quamuis fugiant à columbarijs, dum retinent consuetudinem redeundi ad illa, retineri quoad dominium à suo antiquo domino, & non fieri alterius illas capientis (vt constat ex §. pauonum, eadem Instit.) quia dum eam consuetudinem retinent non acquirunt libertatem. Dum verò eam consuetudinem deserunt fieri primò capientis illas (vt constat ex dicto §.) quia censentur se in suam antiquam naturalem libertatem, & feritatem recepisse: censentur autem consuetudinem redeundi deseruise: V. g. columbæ si ad dies, vel ad horas consuetas redeundi, bis redire desinant, nisi fortè discurrant per domos vicinas, quia tunc tardius censebuntur eam consuetudinem amisisse, id tamen tunc arbitrio prudentis relinquitur iudicari. De alijs etiam rebus animatis prudentis iudicio attenta earum naturali indole relinquendum est. Illę verò, quæ vagari solent non pro paruo tempore si facilè reducuntur, vt contingit ceruis, quamuis sponte non redeant, non censentur libertatem recuperasse, & ideò dominus nō amittit dominium earum.

Conueniunt tertiò, res animatas syluestres, seu feras non mansuefactas (siue quia sua naturali indole nequeunt mansuefieri, siue quia quamuis possint, non tamen sunt de facto mansuefactæ) quas quisque acquirit quoad dominium, eas capiendo, earum dominium ab eodem retineri, dum ipsius custodia coercentur, quia verè retinentur sub sua potestate, vt cerui in viuarijs, pisces in lacubus, apes in albearijs, & aues in cauernis, vt constat Instit. de rerum diuis. amitti verò earum dominium, eo ipso, quod potestatem domini euadunt, & in suam naturalem libertatem se recipiunt, si earum reductio sit difficilis, quia tunc moraliter nō sunt sub potestate domini, ac proinde tūc fieri primò capiētis ipsas. Vnde examē apū, quod est syluestris indolis, si ita euolet ex albeario alicuius, vt eius prosequutio sit difficilis, in cuiusuis prædio, aut arbore detineātur, potest à quolibet capi, & fiet ipsius

capien-

capientis. Dominus tamen fundi poterit prohibere ne alius distinctus ab ipso ingrediatur in eum, vt ipse praeueniat, nihilominus si tunc ille alius ingrediatur, & capiat, examen erit ipsius stando in iure naturali quamuis domino fundi iniuriam irroget ingressu ipso. Addimus, *stando in iure naturali*, quia iure nostri Regni lege 22. titul. 28. part. 3. domino fundi praesente, & resistente non fiet illius, cui dominus fundi resistit.

In dubio autem, an animal quod acquisitum fuit quoad dominium, etiam retineatur, quia dubium est, an animal illud suam libertatem recuperauerit, praesumendum est retineri, & libertatem nō recuperasse, quia prȩsumendum est pro priori domino, quia pro eo stat possessio.

Addimus, vt indicant Salonius, & Bonacin. q. 3. punct. 7. num. 9. animalia syluestria in loco vasto quamuis septo contenta, vt in magna silua, & in magna palude nō acquiri quoad dominium à domino loci, ex eo quod in eo locô includantur, quia ob magnitudinem loci sua libertate, seu feritate gaudent, & se gerunt quasi libera: & quamuis ipsorum captione quando capta fuerunt, fuerint appropriata eo tamen ipso quod deferuntur, ea in eo loco constituēdo, non retinentur quoad dominium, quia in eo constituta, sua gaudent libertate.

Difficult. XXIIII. Vtrùm venatio sit licita?

NOMINE Venationis comprehendimus non solùm venationem animalium terrestrium, quae absolutè dicitur venatio; sed etiam aquatilium, quae dicitur piscatio, & volatilium, quae dicitur aucupium.

Circa difficultatem ergo conueniunt DD. venationem ex natura rei, seu iure naturali esse licitam, quia ex natura rei in homine est facultas capiendi animalia nulli appropriata qualia sunt multa.

Nihilominus venatio potest aliquibus modis fieri illicita. Primò, ratione periculi, vt si fiat cū periculo probabili vitae, aut alius damni corporalis, vt contigit in venatione aliquarum ferarū quādo venatores incaute se obijciunt periculo probabili: tunc autem est illicita iure naturali, & contra virtutem fortitudinis: & est mortaliter illicita quando fit cum periculo probabili damni corporalis considerabilis.

Se-

Secundò, venatio fit illicita in die ieiunij si ob ipsam frangatur ieiunium, & ipsa tantum fiat ob recreationem. Et etiam fit illicita in die festo, si ob ipsam omittatur Missa, & sic intelligitur Canon. *An putatis*, distinct. 28. Dum in eo significatur, quod sit illicita in die ieiunij, & in die festo: & in neutro est illicita ratione sui: & in primis non in die ieiunij, quia in eo die non prohibetur ratione sui. Deinde nec in die festo, quia ratione sui non est in eo die specialiter prohibita, nec generaliter sub prohibitione operis seruilis, quia venatio non est opus seruile, seu proprium seruorum.

Tertiò, est illicita iure Ecclesiastico Clericis, & Religiosis venatio animalium terrestrium, & volatilium. Quia ratione status sacri est ipsis prohibita, Clericis in capit. 1. & 2. de Clerico venatore, & in Tridentin. Session. 24. cap. 12. de reformation. & Religiosis in Clementin. 1. de statu Monachorum, §. porrò est autem Religiosis prohibita qualiscunque venatio adhuc ea, quæ non est clamorosa, & quæ non est cum strepitu: imò eis etiam videtur prohibitum inter esse tali venationi, quamuis id negent communiter Doctores; Clericis verò tantum est prohibita venatio clamorosa cum magno strepitu canum, & armorum, quæ fit per modum consuetudinis, vnde quæ non est dicto modo clamorosa, non est ipsis prohibita, nec ea, quæ est dicto modo clamorosa, si non fiat per modum consuetudinis. Venatio autem Clericis, & Religiosis prohibita, est peccatum sacrilegij contra obseruantiam sacram, seu duliam vtpotè prohibita intuitu status sacri eorum: non contra virtutem Religionis eadē ratione, & proportione, qua tractat. de incarnatione, disp. 20. dif. 8. diximus, irreuerentiam eis factam non esse contra Religionem, sed tantum contra duliam sacram virtutem minorem Religione; sed non erit peccatum mortale, vt aduertunt Salon. 2. 2. quæst. 64. artic. 1. Valent. punct. 1. & Les. ca. 5. dub. 9. quia dicta venatio præcisè ratione status sacri prohibita, secluso quocumque alio non videtur grauiter dissona rationi.

Difficult.

Difficult. XXV. Vtrùm venatio animalium iure naturali communium possit à Principibus prohiberi?

HOSTIENSIS, Ioan. Andreas, & Cardinalis in cap. *non est*, de decimis, docent, Principem non posse eorum animalium venationem prohibere, quia ea animalia iure naturali sunt omnibus communia, quamuis non positiue, sed negatiue tantũ, seu permissiue, ergo Princeps nequit eorum capturã, seu venationem prohibere, quia non potest iuri naturali derogare.

Sotus verò 4. de iust. q. 6. ar. 4. Vazq c. 5. §. 2. dub. 2. Les. dub. 7. & Bonacin. de resti. disp. 1. q. 3. pũc. 7. docẽt, Principẽ prohibere posse venationẽ eorum animalium, vel pro aliquibus annis, vel pro aliquibus anni tẽporibus, vel venationem faciendam aliquibus instrumentis, vt Sclopis, vel infectione aquæ (vt prohibita est in nostro Regno Castellæ, lib. 7. Recop. tit. 8) & merito, quia prohibitio venationis eorum animalium aliàs iure naturali permissæ, & licitæ, facta aliquo modò ex dictis, imò, & alijs, potest esse expediẽs Reipublicæ, vt patet ergo, potest fieri à supremo Principe, cui incumbit bono communi Reipublicæ prospicere, in eo autem Princeps non derogat alicui iuri naturali quo aliquid præcipitur, aut prohibetur, quod non potest, sed tantum iuri naturali quo aliquid permittitur, seu licitum est, quod potest & fit non paucis legibus, ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Princeps autẽ ita potest venationem eorum animalium prohibere, vt ipse ea prohibitione non teneatur adhuc quoad vim directiuam, & possit licitè venari, quando adest rationabilis causa ad id, vt si id sit necessarium Principi ad recreationem, quia Princeps quando adest rationabilis causa, non tenetur sua lege.

Obseruandum tamen est venari contra prohibitionem sic factam, quando non est purè pœnalis, esse peccatum, quia est contra veram prohibitionem superioris. Et esse contra virtutem temperantiæ, non contra iustitiam, quia non fit ea prohibitio venationis eorum animalium quasi alienorum, quia verè sunt, & manent cõmunia, & fiunt primò capientis: non tamen erit mortale, nisi quãdo ea venatione fiat notabile damnum, vt quando quis sua venatione notabiliter extinguit ferinam sobolem.

Et

Et non solùm potest Princeps venationem prohibere, quando prohibitio expedit bono communi, sed etiam quando est ipsi necessaria ad conuenientem recreationem, vel sustentationem: imò tunc ex consensu communitatis ad quam pertinet locus venationis, potest ius venandi, quod est commune, sibi reseruare, seu appropriare, quia communitas potest iuri suo cedere: imò Princeps id potest sibi appropriare absque consensu communitatis, si communitati tribuat valorem priuationis iuris quo eam priuat, & non aliter: quia ea communitas non magis tenetur ad conuenientem recreationem, & sustentationem Principis, quàm reliquæ aliæ cõmunitates sibi subditæ: cuius valoris tributio fieri potest ex bonis suorum subditorum seruata inter eos proportione, sicuti seruatur in tributis, quia subditi tenentur Principi subuenire ad conuenientem recreationem, & sustentationem ipsius, quia pro eis laborat.

Et non solùm potest Princeps modò prædicto, ius venandi sibi appropriare quãdo sibi est necessarium ad conuenientem recreationem, vel sustentationem, sed tunc etiam potest animalia ipsa sibi appropriare, si communitati tribuat valorẽ modò prædicto: appropriatio tamen iuris ad venandum, imò & ipsorum animaliũ sic facta non tollit quin etiam apud peregrinos non subditos Principi, maneat ius ad venandum, & ad acquisitionem dominij eorũ animalium, quod est omnibus gentibus commune, quia non subiti non cesserunt dicto iuri, nec ipsis facta est satisfactio pro eo iure: prohibitio tamen venandi subditis facta, etiam comprehendit peregrinos, quia in eo loco existentes tenentur legibus illius, & etiã naturalis prohibitio ingressus ipsorum in locũ in quo sunt ea animalia animo illa venandi comprehendit illos, quia absque dubio erit contra voluntatem Principis, & ipsi iniuriosus non minus quã ingressus subditorum eo animo factus.

Addimus, *Appropriatio iuris ad venandum, imò & ipsorum animalium sic facta*, quia quando animalia sunt Principi appropriata, quia ipse sepiuit locum, seu agrum suum in quo sunt animalia, nullus, nec peregrinus potest absque iniustitia contra Principem ea animalia venari: quia ea septione sunt facta illi omnino propria, & nullo modò manent communia adhuc peregrinis, nisi quando locus in quo continentur est admodum vastus, vt diximus dif. 23. in fine.

Obseruandum est venari contra prohibitionem qua Princeps sibi appropriauit ipsa animalia, imò ius ipsum, solum esse peccatũ contra

contra iustitiam: quod rarò erit mortale quamuis sit circa materiam alias grauem, quia Princeps rarò id reputat tamquam graue damnum.

Et non solum Princeps, sed etiam domini temporales Principe inferiores, possunt quãdo id expedit Reipublicæ venationem prohibere, nõ lege perpetua, quia nequeunt leges condere, sed præcepto ad summum durante pro vita ipsorum: & possunt eã prohibere, itaut ipsi non teneantur suo præcepto, si ad sui exemptionem adsit rationabilis causa, vt si ea exẽptio sit ipsis necessaria ad conuenientem recreationem. Ob solam tamen sui recreationem non attendendo ad bonum commune, nequeunt prohibere venationẽ, nec ius venãdi sibi appropriare, & multo minus ipsa animalia: quia nullus ad id ipsis inest titulus. Venari autem contra hanc prohibitionem etiam est peccatum contra temperantiã: & rarò erit mortale, vt diximus de simplici prohibitione Principis nõ appropriatiua.

Et non solum dominus temporalis Principe inferior, potest venationem animalium iure naturali communium prohibere, sed etiam dominus agri in quo sunt animalia, non prohibendo directè venationem ipsam, quia non habet authoritatem ad id, sed indirectè prohibendo, seu non permittendo ingressum in agrum suum, ita vt quamuis ingressus ipse ratione sui sit iniuriosus domino agri, non tamen venatio ipsa, nisi quãdo aliàs animalia etiam sint ipsius domini, quia intra agrum ipsius nõ admodum vastum muro aliquo humana industria facto coercentur, quia tunc fiunt propria domini agri, quia ea septione censentur apprehensa, & capta à domino agri. Addimus: *Muro aliquo humana industria facto*; quia quando coercentur muro aliquo naturaliter facto, nõ censentur à domino apprehensa, quæ autem aliàs fuerint ab ipso in eo agro naturaliter septo inclusa, & ex eis genita, erunt ipsius si ante inclusionem erãt ipsius. Et eodem modo quo dominus agri potest indirectè prohibere alijs venationem in suo agro: etiam communitas eam potest prohibere extraneis; venari autem contra prohibitionem qua dominus agri prohibet, seu potius non permittit ingressum in suum agrum, est contra iustitiam, & tantum est veniale, quia præcisè eo ingressu leuis illi irrogatur iniuria.

Dissi-

Difficultas XXVI. Vtrùm prohibens venationem, teneatur damna inde sequuta resarcire?

CONVENIVNT Primo DD. damna illata agris alienis ab animalibus quorum venatio est iure naturali prohibita; quia animalia sunt domini loci in quo existunt, restituẽda esse à domino animalium ipsorum, ita vt si negligentia culpabili illius sint illata, restituenda sint in totum quamuis damnificatio excedat valorem animalis damnificantis: si verò absque negligentia culpabili illius sint illata, restituenda sunt dum non excedant valorem animalis: & si excedant, restituendum est ipsum animal damnificans, vel valor illius.

Conueniunt secundò, damna ab animalibus iure naturali communibus nulli appropriatis quorum venatio est à superiore in gratiam Reipublicæ prohibita, illata ob prohibitionem; quia ob eam multiplicãtur animalia, & ob id damna inferunt, si prohibitio omnibus pensatis expediat bono communi, vt prohibitio qua venatio eorum animalium prohibetur tempore generationis eorum, & tẽpore niuis, non esse restituenda, quia tunc prohibitio est iusta, & in bonum commune cedens.

Conueniunt tertiò, damna illata ab animalibus quorũ venatio est prohibita à Principe in gratiã sui ipsius, & nõ Reipublicę, reseruando sibi facultatem, vel ius venandi, & hęc reseruatio non sit sibi alio modo licita, nisi quia est ipsi necessaria, vel ad recreationẽ, vel ad sustentationẽ, restituenda esse à Principe ipsis damnificatis (nisi populus in ea reseruatione consenserit, vel nisi ea reseruatio facta sit in terra antea hostili ab ipso occupata ante diuisionem agrorũ) quia tunc soli dãnificati nõ tenentur prospicere recreationi, nec sustentationi Principis: & nõ minus imò, & melius teneri ad restitutionem damnorum dominum particularem loci in quo sunt animalia, quando quia non permittit ingressum in suum locũ, ita multiplicantur animalia, vt ob id damna inferantur; quia tunc ipse dominus sua prohibitione, seu potius sua non permissione, est causa eorum damnorum.

Quod si in dictis casibus domini animalium, & venationem prohibentes, tenentur ad restitutionẽ dãnorum, etiã tenentur prę-

uenire ne damna inferantur, vel sepiendo locum in quo animalia existunt, vel aliter: & si non præueniant peccant contra iustitiam in damnificatione, quæ ab animalibus fit.

Obseruandum est, quod quamuis is qui venando canibus, aut equis, aut pedibus, aut aliter, damna infert satis, vel alijs rebus, teneatur ad restitutionem damnorum, tamen nõ semper peccat, dãna illa inferendo, si animum restituendi habeat, & possit notitiam sufficientem habere damnorum, & personarum quibus inferũtur, vt ipsis possit sufficiens satisfactio fieri: tunc, scilicet, quando dãna illata non sunt magna. Imò, vt aduertit Bonacina quando sunt magna (quod raró contingit) excusatur à peccato mortali, quia quando à venatore facienda est integra satisfactio, non censetur venator ea damna grauia inferendo grauem iniuriam irrogare domino, nec dominus id solet multum ægrè ferre.

Diffic. XXVII. Vtrùm capta per venationẽ prohibitam, sint ex obligatione restituenda?

CONVENIVNT Primò, DD. animalia communia, quia nulli sunt appropriata, capta per venationem prohibitam ratione status, qua ratione prohibita est Clericis, & Religiosis, non esse restituenda ex obligatione; quia ea venatio tantum est contra virtutem duliæ sacræ, nõ contra iustitiam (ex cuius solius violatione oritur obligatio restituendi) quia ea prohibitione animalia illa, nec desinunt esse communia, nec capiens illa fit inhabilis ad eorũ acquisitionem.

Conueniunt secundò, animalia capta, per venationem simplici prohibitione prohibitam, nempè, prohibitam fieri tempore generationis eorum, aut fieri instrumentis prohibitis, si ea nulli sint appropriata, non esse restituenda ex obligatione; quia ea venatio nõ est contra iustitiam, quia ea prohibitione animalia, nec desinunt esse communia, nec capiens illa, fit inhabilis ad acquisitionem illorum.

Addimus, venantem in agro alieno (siue alicuius communitatis, siue Principis, siue priuati) contra volũtatem domini agri: imò & contra prohibitionem Principis non teneri ad restitutionem animalis capti: quia animal captum ex eo, quod sit in agro alieno, &

& ex eo, quod captio illius sit contra prohibitionem Principis, nō est domini agri; quamuis ager non habeat alium fructum, sed manet commune, & fit primo capiẽtis: quia supponimus, nō esse appropriatum domino agri septione aliqua facta humana industria: imò ad nullius restitutionem tenetur ex eo, quod iniuriam irrogauerit domino agri, quia contra eius voluntatem ingressus est: quia iniuria ea quamuis sit contra iustitiam non exigit restitutionem: quia ea in nullo damnificauit domino. Huic autem doctrinæ non obstat lex 17. part. 3. tit. 28. dum decernitur, quod qui præmonitus ceperit in fundo alieno bestiolam, vel quid aliud, illud domino fundi obueniat, quia id potuit à Principe decerni in pœnam iniuriæ factæ domino fundi: & id decreuit decreto non obligante ante sententiam iudicis.

Si ergo domino agri ob venationem contra eius voluntatem factam quamuis etiam factam contra prohibitionem Principis, non est restituendum animal captum, nec aliquid pro iniuria facta, nec est restituendum ei, qui agrum illum conduxit ad venandum, quia dominus agrum illum locans, conducenti non tribuit maius aliquod ius, sed tantum ius, quod ipse habet.

Et non solum non est restituendum domino agri, & consequenter, nec conductori, animal captum, nec aliquid pro iniuria ingressus ob rationem dictam, in quo Doctores conueniunt: sed nec restituendum est luchrum aliquod cessans domino, aut conductori ex eo, quod alius venetur, vt contra Molinam, & Bonacinam disputation. 1. quæstion. 1. puncto 7. aduertunt Vazquez cap. 5. §. 2. dub. 7. Tolet. libro 5. capit. 20 & Turrian. disputation. 36. dub. 2. quia dominus agri, & consequenter conductor illius non habet ius, vt ipse solus venetur, sed tantum vt ipse solus licitè, & impunè venetur, contra quod ius non est, quod alius venetur: imò, nec quod deuastet animalia, quia ex eo non impedit ius domini venandi, si inueniat aliquid, sed ad summum tantum impedit capturam, aut in partem si non deuastet animalia, aut in totum si illa deuastet.

Difficultas XXVIII. Vtrùm qui venatur animalia alicui appropriata teneatur ei illa restituere.

CONVENIVNT DD. venantem animalia alicui appropriata dum appropriata, seu propria manent, teneri ei illa restituere, quia verè sunt illius.

Est tamen difficultas, quando animalia censeãtur appropriari alicui, seu fieri illius, & appropriata manere, vt qui ea venatur, teneatur ei illa restituere: & quamuis de eis duobus generaliter egerimus dif. 4. & specialiter dif. 23 ea nihilominus summatim repetimus, vt præsenti difficultati clarius, & minutim satisfaciamus.

Circa prius ergo conueniunt DD. ea animalia aliàs communia appropriari alicui, seu fieri illius, quando apprehenduntur, siue manu, siue ratione inclusionis in loco non magno septo, itaut coerceri possint.

Circa posterius etiam conueniunt DD. animalia aliàs communia, quæ sua naturali indole sunt mansueta, qualia sunt canes, oues, boues, æqui, gallinæ, sues, semper manere appropriata, seu propria illius, qui illa apprahendit, quamuis longe fugiant, & pro multo tẽpore absint: animalia verò sua naturali indole syluestria, seu feras vsu tamen mansuefacta, qualia sunt columbæ redactæ ad columbaria, tandiu manere appropriata quandiu perseuerant in eo loco, in quo possunt coerceri sub potestate domini: & si fugiãt quandiu retinent consuetudinem redeundi ad eum locum: & animalia sua naturali indole syluestria, non tamen mansuefacta (siue posint, siue non posint mansuefieri) manere appropriata dũ custodia domini coercentur: imò quamuis exeant è custodia dum eorum reductio est facilis.

Constat ergo ex dictis eum qui venatur animalia sua naturalia indole mansueta, verbi gratia, gallinas, oues, boues, sues, æquos, & canes, postquam appropriata sunt alicui, quamuis longe fugerint, & pro multo tempore, teneri ea restituere ei cui fuerunt appropriata, quia verè manent ipsius adhuc post longam fugam, & diuturnam absentiam: & eum qui venatur animalia

sua

sua natura syluestria, sed mansuefacta, v. g. cuniculos, & columbas, quamuis extra fundum domini existentia quandiu consuetudinem redeundi non amittunt, teneri illa domino fundi restituere, quia tandiu manent domini fundi. Et eum qui venatur animalia sua indole syluestria, non tamen de facto mansuefacta, siue non possint, vt apes, pisces, & apros, siue possint vt cuniculos, & columbas, teneri ea domino fundi restituere dum custodia illius coercentur: imò quamuis potestatem domini euadant, si attentis circunstantijs possint facilè reduci: quia tamdiu verè manent ipsius.

Difficultas XXIX. Vtrùm animal sit illius, qui laqueum tetendit, an illius qui illud ex laqueo extraxit, & apprehendit.

NAVARR. Cap. 17. num. 176. Maior, Couarruuias, Corduba, & Azor existimant pertinere ad illum, qui ex laqueo extraxit, & apprehendit, quia illud vtpotè aliàs nullius fit primo capientis.

Molina verò disputation. 42. Lesius dubio 11. Rebel. & Bonacina existimant pertinere ad eum qui laqueum tetendit, quando ex laqueo non poterat se extricare; quia tunc verè capit, seu apprehendit illud medio instrumento, quia res non solum capiuntur media manu, sed etiam medio instrumento.

Circa hanc rem existimamus Principem posse legem ferre qua disponat vtramuis partem ex his duabus; nempè, vel quod animal illud pertineat ad apprehendentem illud ex laqueo, & non ad tendentem laqueum: & sic dispositum est iure Cæsareo in leg. *in laqueum*, ff. de acquirendo rerum dominio, & iure Castellæ in leg. 21. titulo 28. part. 3. vel è contra quod animal illud pertineat ad tendentem laqueum, & nõ ad apprehẽdentem illud ex laqueo: & sic dispositum est iure positiuo Regni Lusitaniæ, libro 5. ordinat. titul. 41. §. penultimo: quia Princeps maximam habet authoritatem circa dispositionem rerum externarũ,

præsertim, quando non est certum ad quem pertineant iure naturali: vnde in quolibet loco obseruanda est lex si per dicta re, lata, aut consuetudo habens vim legis.

Vbi autem nulla fuerit lex lata, nec consuetudo, existimamus attendendo ad ius naturale, animal illud pertinere ad vtrumque; nempe, ad tendentem laqueum, & ad extrahentem animal ex illo, ad extrahentem, quia verè & perfectè illud, primo capit, & ad tendentem laqueum, quia illud primo capit imperfectè, & inchoatiuè, & ea sua inchoatione adiuuit éum, qui illud primo perfectè capit. Ad eum autem ex ipsis duobus pertinebit maior pars valoris animalis, qui omnibus pēsatis maiorem partem habuit in acquisitione illius: quando autem non potest perfectè discerni quis eorum alterũ excedat, valor animalis capti, est ex æquo inter ipsos duos diuidendus. Etsi incertum sit an animal laqueo conclusum poterat se ex laqueo extricare, non est valor animalis ex æquo diuidēdus; sed minor pars concedenda est ei, qui laqueum tetendit seruata proportione minoritatis incertitudinis.

Et idem ob eandem rationem dicendum est attento iure naturali de eo, qui in fluuio extraxit pisces ex nassa, aut ex reti alterius; quod scilicet, pisces pertineant ad vtrumque seruata etiam proportione ad iuuamem vtriusque. Ita vt maior pars valoris pertineat ad eum, qui maiorem partem habet in acquisitione piscium.

Et quando quis animal aliquod prosequitur, v.g. cuniculum, & incidit in laqueum alterius, animal illud pertinet ad vtrumque æqualiter: ad eum verò ex his duobus, qui illud apprehendit, duplus valor animalis capti pertinet. Si verò alius tertius illud apprehenderit, dimidius valor ad eum pertinet, & altera medietas valoris diuidenda est inter persequentem, & inter tendentem laqueum in quem incidit.

Animal etiam ab vno vulneratum, & sic vulneratum, captum ab altero, vulnere conducente vt ab eo altero capiatur, credimus etiam ad vtrumque pertinere, & valorem illius esse inter vtrumq; diuidendum, ei tamen esse maiorem partem valoris tribuendã, qui maiorem partem habuit in captione illius, ita vt si vulnus parum conduxit ad captionem, parum valoris tribuatur vulneranti, & si multum conduxit, multum valoris ei tribuatur ad arbitrium prudentis, seruata semper proportione inter conducentiã vulneris ex vna parte, & inter laborem, & industriam capientis ex altera.

Dispu-

Difficultas XXX. Vtrùm licitum sit habere columbaria?

PALVDAN. In 4. dist. 15. q. 2 & Maior q. 28. docent, id non esse licitum, quia columbæ semper inferunt damnum agris vicinis saltem tempore messis, & seminationis.

Nauar verò cap. 17. num. 16. Molin. disp. 50. Vazquez cap. 5. §. 2. dub. 4 Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 7. & communiter Doctores docent, id esse licitum. Et meritò, quia nulli inferunt notabile damnum (& si fortè aliquando inferunt ei sit satisfaciendum) imò nulli inferunt perceptibile damnum, & quod inferunt recompensare videntur vorando segetes noxias, & vermes noxias, & aliqualiter sterçorando agros: & quamuis non semper recompensetur in totum, non est contra rationem non obstãte aliquali damno, quod nequit facilè vitari, nec discerni, habere colũbaria: quia sunt Reipublicæ vtilia in cibum, & in ornamentum: & ob id à Republica proteguntur: & ob quod qui simile damnum patitur, vel non patitur illud inuitus, vel si inuitus non rationabiliter, sed irrationabiliter. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Addunt communiter DD. contra Armillam verb. *columbarium*, dominum columbarij teneri sub peccato mortali columbas pro maiori parte alere.

Difficultas XXXI. Vtrùm licitum sit venari columbas columbariorum?

NON Procedit difficultas stando in solo iure naturali [illegible] existente, seu secluso iure positiuo id prohibente: quia hoc secluso, seu non existente licitum est illas venari vbicumque existant extra columbarium, quando amiserunt consuetudinem redeundi iuxta ea quæ diximus dif. 23. sed procedit existente [illegible] positi[illegible] nostri Regni Castellæ leg. 7. lib. 7. tit. 8. vbi non solum præcipitur vt nemo, qui non habet columbarium possit columbas vendere [illegible] sic impediatur furari columbas, sed etiam præcipitur, vt à nemine intra spatium vnius leucæ à columbarijs capiantur, ne columbæ columbarij occidantur.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an qui in nostro Regno illas capit extra leucam peccet, & teneatur ad restitutionem, quando non amisserunt consuetudinem redeundi; quia si amisserunt certum est non peccare, nec ad restitutionem teneri.

Circa difficultatem ergo Sot. libro 4. quæstion. 6. articul. 4. & Molina disputat. 50. docent, non peccare, nec ad restitutionem teneri, quia dispositione dictæ legis tantum censentur domesticæ, & propriæ domini columbarij intra leucam, non verò extra: ac proinde auferri dominium earum à domino columbarij: aliàs illa lex esset iniqua: quia absque causa rationabili permitteret, vt colũbæ alienæ impune capiantur: & denegaret domino actionem cõtra venantem.

Corduba verò quæst. 121. Couarru. in reg. peccatum, 2. part. § 8. num. 16. Vazquez dub. 9. Turrian. disputat. 37. dub. 2. & Reginald. lib. 11. capit. 8. docent, illum peccare, & teneri ad restitutionem. Et meritò, quia ex vna parte columbæ illę etiam extra leucam sunt domini columbarij; quia etiam extra eam retinent consuetudinem redeundi, vt supponimus, & ex alia parte ea leg. 7. nõ aufertur dominium earum à domino columbarij; quia nullo verbo dictæ legis id indicatur, nec ea lege conceditur licentia, vt extra leucam capiantur, sed tantum prohibetur intra leucam capi, nec ex eo quod dicta lege permittatur, vt columbæ alienæ impune capiantur, & denegetur domino actio contra venantem, est iniqua; quia id non fit absque rationabili causa, quia fit ad euitandas lites.

Et quamuis dicta lege prohibeatur captio earum intra leucã, possunt tamen absque peccato, & absque obligatione restitutionis capi, si amiserint consuetudinem redeundi (sicuti etiam possunt in Prouincijs vbi non est similis lex) quia etiam extante illa lege desinunt esse domini columbarij: dicta autem lex id prohibet supponens columbas esse domini columbarij: ac proinde non habet locũ quando amissione consuetudinis redeundi desierunt esse illius: imò [illegible] non est obligatio restituendi illas quamuis capiantur [illegible] prohibitis; quia prohibitio hæc non irritat captionem, etiam si eam efficiat venialiter illicitam contra temperantiam.

Itaque tamen dicta lege 7. prohibitum est intra leucam à columbario venari columbas, [illegible] tantum sit prohibitum venari columbas

co-

columbarij existentis intra leucam, non verò columbas alterius columbarij existentis extra leucam, quamuis existentes intra leucam illius alterius columbarij, cuius non sunt, quod potest licitè fieri dum saltem probabiliter constat eas columbas non pertinere ad columbarium existens intra leucam; quia qui in dubio illas venatur, constituitur in periculo irrogandi iniustitiam domino columbarij existentis intra leucam, si fortè sint illius.

Difficultas XXXII. Vtrùm qui pascit pecora, & cædit ligna in alienis syluis, peccet, & teneatur ad restitutionem?

SVPPONIMVS, Communitatem, aut dominum populi prohibere posse ne pro aliquo tempore subditi pascant, nec lignentur in syluis communibus quando id sit expediens Reipublicæ.

Hoc supposito, conueniunt primò DD sumentem ligna ex agro alicuius particularis peccare cõtra iustitiam, & teneri ad restitutionem: quia id est, manifestum furtum, non verò quando ligna sunt sicca, & parui fiunt à domino.

Conueniunt secundò, eum qui in sylua adhuc suæ communitatis, seu populi efficit insignem extragem, seu extraordinariũ damnum, peccare mortaliter contra iustitiam, & ad restitutionem teneri, quamuis sit dominus oppidi: quia accipit alienũ in materia graui contra volũtatem rationalem domini saltem interpretatiuam: quia accepit id quod etiam conuenit alijs, & eis rationabiliter inuitis; quia absque dubio nollunt insignem extragem ab aliquo adhuc à domino oppidi fieri.

His suppositis, difficultas est, an pascere, aut lignari in sylua suæ communitatis, seu populi absque extrage, seu damno enormi sit peccatum, & obnoxium restitutioni, præsertim quãdo id fit extante prohibitione positiua ipsius communitatis, aut domini oppidi.

Circa quã existimamus vt optimè Corduba, Castro, & Vazquez capit. 5. §. 1. id in rigore esse peccatum, & obnoxium restitutioni, quamuis id non sit positiuè prohibitum, quia id etiã absque prohi-

Hoc ergo supposito, difficultas est, an qui in nostro Regno illas capit extra leucam peccet, & teneatur ad restitutionem, quando non amisserunt consuetudinem redeundi; quia si amisserunt certum est non peccare, nec ad restitutionem teneri.

Circa difficultatem ergo Sot. libro 4. quæstion. 6. articul. 4. & Molina disputat. 50. docent, non peccare, nec ad restitutionem teneri, quia dispositione dictæ legis tantum censentur domesticæ, & propriæ domini columbarij intra leucam, non verò extra: ac proinde auferri dominium earum à domino columbarij: aliàs illa lex esset iniqua: quia absque causa rationabili permitteret, vt colũbæ alienæ impune capiantur: & denegaret domino actionem cõtra venantem.

Corduba verò quæst. 121. Couarru. in reg. peccatum, 2. part. § 8. num. 16. Vazquez dub. 9. Turrian. disputat. 37. dub. 2. & Reginald. lib. 11. capit. 8. docent, illum peccare, & teneri ad restitutionem. Et meritò, quia ex vna parte columbæ illę etiam extra leucam sunt domini columbarij; quia etiam extra eam retinent consuetudinem redeundi, vt supponimus, & ex alia parte ea leg. 7. nõ aufertur dominium earum à domino columbarij; quia nullo verbo dictæ legis id indicatur, nec ea lege conceditur licentia, vt extra leucam capiantur, sed tantum prohibetur intra leucam capi, nec ex eo quod dicta lege permittatur, vt columbæ alienæ impune capiantur, & denegetur domino actio contra venantem, est iniqua; quia id non fit absque rationabili causa, quia fit ad euitandas lites.

Et quamuis dicta lege prohibeatur captio earum intra leucã, possunt tamen absque peccato, & absque obligatione restitutionis capi, si amiserint consuetudinem redeundi (sicuti etiam possunt in Prouincijs vbi non est similis lex) quia etiam extante illa lege desinunt esse domini columbarij: dicta autem lex id prohibet supponens columbas esse domini columbarij: ac proinde non habet locũ quando amissione consuetudinis redeundi desierunt esse illius: imò [illegible] non est obligatio restituendi illas quamuis capiã- [illegible] prohibitis; quia prohibitio hæc non irritat captionem, etiam si eam efficiat venialiter illicitam contra temperantiam.

Ita tamen dicta lege 7. prohibitum est intra leucam à columbario venari columbas, [illegible] tantum sit prohibitum venari columbas

columbarij existentis intra leucam, non verò columbas alterius columbarij existentis extra leucam, quamuis existentes intra leucam illius alterius columbarij, cuius non sunt, quod potest licitè fieri dum saltem probabiliter constat eas columbas non pertinere ad columbarium existens intra leucam; quia qui in dubio illas venatur, constituitur in periculo irrogandi iniustitiam domino columbarij existentis intra leucam, si fortè sint illius.

Difficultas XXXII. Vtrùm qui pascit pecora, & cædit ligna in alienis syluis, peccet, & teneatur ad restitutionem?

SVPPONIMVS, Communitatem, aut dominum populi prohibere posse ne pro aliquo tempore subditi pascant, nec lignentur in syluis communibus quando id sit expediens Reipublicæ.

Hoc supposito, conueniunt primò DD. sumentem ligna ex agro alicuius particularis peccare cõtra iustitiam, & teneri ad restitutionem: quia id est, manifestum furtum, non verò quando ligna sunt sicca, & parui fiunt à domino.

Conueniunt secundò, eum qui in sylua adhuc suæ communitatis, seu populi efficit insignem extragem, seu extraordinariũ damnum, peccare mortaliter contra iustitiam, & ad restitutionem teneri, quamuis sit dominus oppidi: quia accipit alienũ in materia graui contra volũtatem rationalem domini saltem interpretatiuam: quia accepit id quod etiam conuenit alijs, & eis rationabiliter inuitis; quia absque dubio nollunt insignem extragem ab aliquo adhuc à domino oppidi fieri.

His suppositis, difficultas est, an pascere, aut lignari in sylua suæ communitatis, seu populi absque extrage, seu damno enormi sit peccatum, & obnoxium restitutioni, præsertim quãdo id fit extante prohibitione positiua ipsius communitatis, aut domini oppidi.

Circa quã existimamus vt optimè Corduba, Castro, & Vazquez capit. 5. §. 3. id in rigore esse peccatum, & obnoxium restitutioni, quamuis id non sit positiuè prohibitum, quia id etiã absque prohi-

bitione positiua in rigore est furtum, acceptio videlicet rei ferè in totum alienæ: quia est rei etiam alijs multis conuenientis ergo si fiat illis alijs inuitis, vt fieri potest, erit peccatum furti contra iustitiam: ac proinde etiam obnoxium restitutioni: imò cōtra Sotum, & Lesium, & Bonacinam addimus, esse peccatum mortale, si materia sumpta, aut consumpta sit grauis.

Addim⁹, pascere, aut lignari in sylua suæ communitatis esse in rigore peccatum, & obnoxium restitutioni: quia de facto quando communitas cuius est sylua, contenta est pœna assignata ad quam pascens, aut lignans tenebitur, si ad eam condemnetur (vt regulariter esse solet, quod constabit si à lignante, aut pascente capto nihil aliud exigat) tunc nec peccat contra iustitiam: quia tunc id non est contra voluntatem efficacem communitatis: quod est verum quamuis id fiat contra prohibitionem: quia tunc prohibitio tātum est censenda pœnalis, quamuis vtatur verbis prohibitiuis, nec ad restitutionem tenetur: quia tunc communitas contenta est assignata pœna: imò eam non exigit nisi quando pascens, aut lignans capitur, & ad eam condemnatur.

Id autem est verum, non solum quando quis pascit, aut lignatur in sylua communitatis, cuius ipse est pars; sed etiam quando pascit, aut lignatur in sylua aliena communitatis, cuius ciues etiā solent pascere, aut lignari in sylua communitatis ipsius, si vtraque communitas contenta est mulcta, vt regulariter esse solet.

Pascere verò, aut lignari in sylua alius communitatis, cuius pascens, aut lignans non est pars, quando ciues illius non solent idem facere in sylua communitatis personæ pascentis, aut lignantis, est peccatum contra iustitiam, & obnoxium restitutioni, sicut pascere, & lignari in sylua particularis personæ, dum non constet eam communitatem, aut personam particularem contentam esse pœna assignata, si ad eam condemnetur pascens, aut lignans.

Addimus, quod quando alicui locatur à communitate sylua aliqua, siue quantum ad ligna, siue quantum ad herbam, is qui tunc pascit, aut lignatur in ea, quamuis sit pars communitatis cuius est sylua, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem; quia ille cui locatur, non consentit in eo sicut posset non consentire communitas, & tenetur totum, quod assumpsit, aut consumpsit restituere: quia totum est illius, qui syluam conduxit, & nihil particulariū, etiam si pecunia qua syluam conduxit, fiat communis omnibus illius communitatis loco lignorum, aut herbæ contractu ipso locationis

tionis facto à habente authoritatem ad id, qui verò venatur in loco communitatis, quamuis locato alicui particulari (quamuis peccet si sit contra veram prohibitionem) non tenetur ad restitutionē animalium quæ venatur: quia animalia illius loci nō mansueta, nec mansue facta, sed syluestria, & non coercita, non sunt communitatis: ac proinde nec illius cui locus locatur, secus verò herba, & ligna, quia hæc sunt domini loci, quia sunt fructus ipsius loci, animalia verò non sunt fructus illius.

Obseruandum est, quòd quamuis, qui in casibus dictis lignatur, aut pascit in sylua communitatis, non teneatur ad restitutionem: custos tamen illius syluæ, tenetur ad restitutionem damni sequuti ex omissione ipsius non impedientis, si possit, quia custos tenetur ex pacto ad id, quia fuit ad id liberè obligatus quasi primo loco independenter ab obligatione damnum inferentis: & ideò pascentes, aut lignantes, qui custodes inducunt, vt eos nō impediant, peccant contra iustitiam, sicut ipsi custodes quos inducunt: quia eos inducunt, & tenentur ad restitutionem damni, non primo loco, sed secundo in defectum custodum. Custodes autem, qui se abscondunt, vt capiant eos, qui ingrediuntur in loca vetita, non peccant: quia ex vna parte se abscondere non est contra iustitiā: quia se abscondendo, non decipiunt illos: & ex altera non est contra charitatem, nec misericordiam in eos, qui capiuntur: quia id fit ex rationabili causa, quia fit vt omnes timeant, & arceantur ab ingressu, quamuis non appareat custos, quo non debent priuari custodes, vt euitent pœnam in delinquentibus: quia ipsi poterant eam euitare, quod si se abscondat eo animo, vt alter ingrediatur, peccat si alter ingrediendo peccat: quia tunc intendit peccatum alterius.

Addunt Doctores, dominum oppidi non eo ipso habere dominium syluarum: quia hoc pertinet ad communitatem, quæ non amittit illud, nec vendit, etiamsi iurisdictio alicui donetur, aut vendatur: posse tamen vti eis syluis non minus, imò magis quam alios oppidanos: quia non est minus, imò est magis oppidanus quam sui subditi, & ideò posse plura ligna scindere, & plura pecora inducere, quàm quemlibet alium oppidanum: ita tamen vt ingenti aliquo damno non noceat alijs oppidanis: alioquim peccabit contra iustitiā in oppidanos, & tenebitur ad recōpēsationē dāni, à qua nō excusabitur remissione fieri à cōmunitate facta, nisi quādo prudēter iudicetur eam liberè fieri, & non ex timore erga dominum.

Addit

Addit Couarr. cap. 27. quæst. pract. num. 1. in nostro Regno Hispaniæ receptum esse, vt dominus oppidi possit tot pecora inducere in pascuis, quot duo ex præcipuis oppidanis inducere consueuerunt.

Difficultas XXXIII. Vtrùm domini particulares agrorum possint collectis iam frugibus, prohibere conciuibus ne in suis agris pascant animalia ex herba sponte nascente?

SVPPONIMVS, Dominum particularem agri prohibere posse ne quis lignetur in eo suo agro, quamuis ligna sponte sint nata: quia sunt fructus naturales sui agri.

Est tamen difficultas, an prohibere possit adhuc conciuibus, ne in suo agro pascant ex herba sponte nascente collectis iam frugibus.

Circa quam Cassan. in consuetudinibus Burgundiæ, rubr. 13. § 2. & Auendaño tract. de exequendis mandatis, cap. 4. num. 24. docent, dominum agri non posse id prohibere: quia quilibet potest in alieno agro, quod sibi prodest, & non nocet domino agri.

Molina verò disput. 59. Vazquez cap. 5. §. 3. & Turrian. disp. 39. dub. 2. docent, dominum agri id posse prohibere (vbi iure aliquo positiuo dominus non sit impeditus id prohibere.) Et meritò, quia herba quamuis sponte nascẽs, est naturalis fructus ipsius agri, ergo pertinet ad dominum agri, ergo potest impedire seu prohibere, ne quis ex ea pascat: id ergo potest non solum indirectè prohibendo scilicet, ingressum in suum agrum (qua etiam ratione potest prohibere venationem animalium nulli adhuc communitati appropriatorum) sed etiam directè, prohibendo scilicet, pastum ipsum herbæ, etiam si pastus non noceat domino ipsi; quia herba verè est ipsius, de qua ipse potest pro libito disponere.

Addimus in conclusione: *Vbi iure aliquo positiuo dominus non sit impeditus id prohibere*; quia in Regno Castellę vsu receptum est, vt collectis frugibus, agri, maneant communes ad pastum: & ob id leg. 13.

Leg. 13. & 14. tit. 7. lib. 7. Recopil. decretum est, vt nullus ager priuatus posit absque facultate Regis pratum fieri ad pastum, ne reliqui conciues priuentur iure pascendi in eo collectis frugibus, potest tamen fieri vinea, aut oliuetum, etiam in eis locis in quibus vineæ, & oliueta adhuc collectis fructibus non sunt pastus communes; quia id non est prohibitum; is tamen qui pascendo in prædio alieno collectis fructibus, aut frugibus damnum aliquod efficit domino, tenetur ad restitutionem.

Obseruandum est in nostro Regno Castellæ l. 23. tit. 7. lib. 7. Recop. neminem posse condcere prata ad pastum, nisi habeat gregem. Permiti tamen ei qui gregem habet conducere prata suo gregi necessaria, imò & aliam tertiam partem: ita tamen vt si aliquid pastus suo gregi superfit, posit illud locare alij habenti gregem, sed non maiori pretio quam eo quo ipse conduxit.

Difficult. XXXIV. Quomodo acquiratur dominium in res inuentas.

CONVENIVNT DD. inuenientem, & capientem, vel occupantem ea, quæ nullius domini sunt, nec fuerunt, v.g. insulam in mari natam, lapillos, gemmas, ambarum, coralium, & alia quę in mari procreantur, fieri & acquiri quoad dominium ab ipso, quia verè nullius sunt, & nulli sunt appropriata sicut animalia syluestria libertate sua gaudentia; sed quamuis insula in mari nata, fiat primo occupantis, insula tamen quæ in flumine oritur, si in medio fluminis oriatur, pertinet ad eos qui vtrimque eregione habent prædia, si tamen coniuncta sit vni parti ripæ, pertinet ad dominum prædij cui coniuncta est, sicut etiam iure communi Alueus relictus à flumine pertinet ad dominum prædij cui Alueus est coniunctus.

Est tamen difficultas, primo ad quem pertineant venæ, quæ inueniuntur, nempè, lapidicinæ, & venæ auri, argenti, plumbi, argēti viui, ferri, & aliorum metallorum.

Circa quam conueniunt DD. Mineralia, seu venas metallicas inuentas in loco, qui nullius sit ad nullum pertinere iure naturali, & sic eo iure fieri primo occupantis. Et communiter conueniunt inuentas in loco, seu fundo alicuius, siue communitatis, siue alicuius particularis ad dominũ fundi iure naturali pertinere: quia

hæ

hæ venæ sunt fructus naturales fundi, vtpotè procreatæ vi Solis, & terræ sicut herba, & arbores, quæ sponte nascuntur. Vnde, non placet Sotus libro 5. quæst. 3. articul. 3. dum ait, omnes dictas venas esse nullius, & fieri primo occupantis illas: quod probabile sentiunt Less. dub. 12. & Bonacin. q. 3. punct. 6.

Addimus, *Iure naturali*, quia iure positiuo potest aliud decerni, & iure Castellæ venæ, seu mineralia auri, & argenti, & argenti viui, applicata sunt patrimonio Regio, & inuenienti leg. 4. titulo 13. lib. 6. Recopilation. vbi cuicumque conceditur facultas. fodiendi terram in quocunque loco adhuc alicuius priuatæ personæ dum ei fiat satisfactio damni, si aliquod fiat, & inuenienti conceditur tertia pars deductis expensis, & reliquæ duæ partes patrimonio Regio applicantur: conceditur autem inuentori tertia pars quousque accipiat centum mille ducatos, & deinceps eidem conceditur quarta pars, quousque accipiat alios centum mille: in posterum quinta tantum pars; hæc autem applicatio potuit fieri à Regibus distribuendo in suo Regno prædia sub ea conditione.

Reliquæ autem venæ, quæ iure positiuo non sunt applicatæ patrimonio Regio, nec inuentori, quæ in iure dotali inueniuntur, iure naturali pertinent ad vxorem quoad dominium si natæ sunt ante matrimonium; quia quamuis sint fructus naturales fundi, sunt tamen habiti ante matrimonium: ac proinde pertinent ad augmentum dotis, quæ verò natæ sunt post matrimonium, & crementum earum, quæ ante matrimonium natæ sunt, habitum post matrimonium, iure naturali etiam pertinent ad maritum, vtpotè fructus habiti tempore matrimonij, & ideò hæc sunt obseruanda, vbi non sit aliud iure positiuo dispositum. In nostro autem Regno Castellæ l. 27. titulo 11. part. 4. decernitur, quod si lapis excisus ex vena lapidicina non renascitur, pertinet ad solam vxorem, quod est conforme iuri naturali, & quamuis renascatur, quod ante matrimoniũ erat iam natum, etiã pertinet ad solam vxorem.

Et venæ quæ iure positiuo non sunt applicatæ inuentori, & patrimonio Regio, inuentæ in fundo maioratus si ante institutionem maioratus natæ erant, iure naturali ad maioratum pertinent, quæ verò natæ sunt post maioratus institutionem, iure naturali pertinent ad possessorem maioratus; quia sunt fructus fundi maioratus, fructus autem maioratus ad possessorem pertinent: & eodem iure

iure ad eum pertinet incrementum earum, quæ erant natæ ante institutionem maioratus, habitum post illam: quia verè est pars fructus, & habita post institutionem maioratus: & ideò hæc obseruāda sunt, vbi aliud non fuerit positiuo iure decretum.

Ex dictis contra nonnullos deducimus, eum qui emit fundum in quo latet vena pertinens ad dominū fundi, sciens in eo, latere eam venam, non posse illam absque iniustitia emere pretio currente non aucto ob eam venam, quia tunc pluris valet quasi intrinsecè ob venam.

Diffic. XXXV. Quomodo acquiratur dominium in thesauros.

THESAVRVS in leg. *nunquam*, ff de acquirend. rerum dominio, definitur, quod sit depositio adeo vetus pecuniæ, vt eius non extet memoria, vbi nomine pecuniæ etiam comprehēditur quæcunque res mobilis, vt torques, gemma, vas, vt dicitur lege vnica, C. de thesauris, lib. 10. Thesaurus ergo ob eius vetustatem censetur carere domino, etiamsi possit sciri à quibus maioribus fuerit conditus, quia desitio possessionis adeo antiqua, fecit amitti dominium, & censetur esse derelictum: ac proinde iure naturali censetur esse nullius, & fieri primo occupantis.

Iure tamen Cæsareo in dicta lege vnica, & in Instituta de rerum diuision. §. thesauros, nonnulla circa thesauros statuta sunt, quia in primis statuitur thesaurum inuentum in proprio fundo fieri ipsius domini inuenientis, siue ex industria, siue à casu illum inueniat, quod est iuri naturali satis conforme. Deinde statuitur thesaurum inuentum in fundo alieno si fortuito, seu à casu inueniatur, dimidium illius fieri inuentoris, & alterum dimidium fieri domini fundi: si tamen ex industria, seu data opera quæratur, & inueniatur, totum fieri domini fundi, quod est verum, nisi consensu domini cædentis iuri suo, quæratur ex industria, quia tunc totum fit inuenientis.

Est tamen difficultas, primò, an lex hæc dandi totum domino fundi, quando ex industria inuenitur, obliget in cōscientia ante sententiam iudicis, sicut obligant duæ aliæ priores vt Doctores conueniunt.

Nauar.

Nauarr. cap. 17. num. 175. Bonacin. q. 3. punct. 6. Caietan. Aragon, & Couarr. affirmant, quia hęc lex 3. sicut alię duæ priores est dispositiua, & non pœnalis, nec fundata in falsa præsumptione furti.

Vazquez verò cap. 5. §. 4. Lesius cap. 5. dub. 15. Laiman. libr. 3. c. 5. Bañnez, Mercado, Rebell. Turrianus, & Becanus negant. Et meritô, quia hæc lex fundatur in præsumptione furti; quia eo ipso quod inuentor ex industria quæsiuit, & inuenit, præsumitur sciuisse, aut suspicatum fuisse ibi esse aliquid nouiter, & non ab antiquo domino depositum: ac proinde præsumitur furari, & in pœnã delicti decernitur puniri redditione etiam dimidiæ partis domino fundi, quæ ad ipsum inuentorem pertineret si ex industria, nõ quęsisset illum, quia nulla alia causa cogi potuit ad reddendum totum ex eo, quod ex industria quæsierit illum, ergo si verè non fuit furatus illum, quia verè non sciuit fuisse nouiter depositum, non est obligandus totum reddere, & medietate, quæ ad ipsum alias pertinebat priuari.

Secundò est difficultas, ad quem pertineat thesaurus inuẽtus in loco sacro, vt in Templo, & in Cœmeterio.

Nauar. cap. 17. num. 175. Bonacina puncto 6. num. 5. Syluest. & Angelus, docent, diuidendum esse inter inuentorem, & inter Prælatum, vel Ecclesiam cuius sit ille locus; quia locus sacer semper sit Prælati, aut Ecclesiæ.

Vazquez verò cap. 5 §. 4. & Couar. 3. part. relect. regula peccatu, §. 2. docent, & meritò, quod si locus sacer in quo inuenitur sit nullius tanquam domini, vt regulariter contingit, quamuis pertineat ad iurisdictionem alicuius, totus thesaurus pertinet ad inuentorem, & quod si fortè contingat locum sacrum esse alicuius tanquam domini, tunc est diuidendus cum domino, si à casu sit inuẽntus, & si ex industria absque cæssione domini, totus est domino loci conferendus post sententiam iudicis.

Tertiò est difficultas, ad quem pertineat thesaurus inuentus in loco publico prophano, vt in platea, in calle, in flumine, in via publica.

Nauarr. vbi supra Syluest. & Ang. docent. diuidendum esse inter inuentorem, & inter fiscum, vel ciuitatem, quia supponunt locum illum esse ciuitatis tanquam dominę.

Vazquez verò, & Couar. vbi supra, Lesius, Turrianus, & Laiman. docent, totum ad inuentorem pertinere, & meritò, quia locus

ℓus ille nullius est tanquam domini.

Quartò, est difficultas, ad quem pertineat thesaurus Arte Magica inuentus, circa quam lege 1. C. de thesauris, lib. 10. dispositum est, pertinere ad fiscum quoad partem ad inuentorem pertinentem, quamuis inuentor sit dominus fundi in quo inuenitur, in pœnam suæ superstitionis. Hæc tamen lex non obligat ante sententiam iudicis, vt contra Molinam, & Turrianum aduertunt Vazq. Nauar. Arag. Less. & Bonacin. pūct. 9. quia est purè pœnalis, addidimus, *quoad partē pertinentē ad inuentorem*; quia si thesaurus inueniatur in fundo alieno ei est reddenda dimidia pars, si casu inueniatur, totus si ex industria, post iudicis sententiam: & si inueniatur in loco nullius, totus est fisco applicandus.

Quintò, est difficultas, ad quem pertineat thesaurus inuentus in fundo accepto in feudum, vel emphyteusim.

Molina disputatione 353. Turrianus disputation, 43. dubio 2. & Bonacina puncto 6. docent, diuidendum esse quoad partem pertinentem ad dominum, inter proprietarium fundi, & inter feudatarium, vel emphyteutam; quia non solum proprietarius est dominus, sed etiam feudatarius, vel emphyteuta; & nonnulli Iuristæ docent, quoad dictam partem tantam pertinere ad feudatarium, vel ad emphyteutam, quia isti sunt actu domini dominio vtili, & actu possident, & non possidet proprietarius.

Vazquez verò capit. 5. §. 4. dubio 2. docet, quoad istam partem tantum pertinere ad proprietarium, & quoad nihil ad feudatarium, nec ad emphyteutam. Et meritò, quia hi non sunt absolutè domini, sed tantum proprietarius; quia solus hic habet dominium absolutè, & directum, illi verò tantum dominium secundum quid, & indirectum, seu vtile.

Ex dictis constat, thesaurum inuentum in fundo habito in pignus, aut conductum, aut vsurariè, quoad partem competentem domino, tantum pertinere ad eū à quo ille, qui habet fundum accepit in pignus, vel conductum, vel vsurarie, quia iste tantum est dominus, & non pignorator, nec conductor, nec vsurarius, & thesaurum inuentum in fundo dotali quoad istam partem tantum pertinere ad vxorem, quia sola ipsa est domina illius fundi.

Sextò, est difficultas, an qui sciens in fundo alieno latere thesaurum, emit fundū illum à domino fundi id ignorāte acquirat ius

ad thesaurum, siue ad totum, siue ad partem quale ex iure positiuo habebat dominus fundi.

Conueniunt DD. acquirere, quia ea emptione verè fit dominus fundi, non minus quam erat ille à quo illum emit, quia ius ad thesaurum est annexum domino fundi.

Quod si acquirit ius ad thesaurum emptione fundi, à domino ignorante in eo latere thesaurum, non minus acquirit emptione à domino id sciente, & si sciens in fundo latere thesaurum, emptione fundi acquirit ius ad thesaurum, non minus illud acquirit, si ignorans in eo latere thesaurum emit fundum illum.

Est tamen controuersia, an sciens in eo fundo latere thesaurũ, possit licitè fundum illum emere pretio communi, nihil augendo ob thesaurum latentem.

Sanctus Thom. Bannez, Salon. & Aragon. quæstion. 66. art. 5. Vazquez cap. 5. §. 4. dub. 2. Les. Sylu. Bec. Bonacin. puncto 6. & communiter Doctores docent, posse: quia thesaurus ante inuentionem, seu captionem nullius est, nec domini fundi, quia non est fructus fundi, ergo qui emit fundum illum attendendo tantum ad valorem fundi, & nullatenus ad thesaurum, nullam irrogat iniuriã domino fundi.

Ang. verbo, emptio, §. 4. Armilla, verbo, inuentum, numero 2. & Tab. verbo, restitutio, §. 26. docent, non posse licitè, & absque obligatione restitutionis. Et meritò, quia fundus in quo latet thesaurus, supposito iure positiuo lato in fauorem domini fundi, pluris valet quasi intrinsicè, quàm absque thesauro latente; quia supposito eo iure habet ius ad totum thesaurum, si ab ipso inueniatur, & etiam si inueniatur ab altero ex industria illum quærente, & habet ius ad dimidium si à casu inueniatur ab altero, ius autem prædictum alicuius valoris est supra valorem fundi præcisè.

Ad rationem ergo constat, quod quamuis thesaurus ante inuentionem, seu captionem nullius sit, nec domini fundi. Quia non est fructus fundi, & ideò nec fiat ementis, nihilominus, quia existens in fundo aliquo efficit non naturaliter, sed iure positiuo Cæsareo, quod fundus ipse pluris valeat quasi intrinsecè ratione iuris prædicti ad ipsum thesaurum si inueniatur, ideò nequit licitè, & absque iniustitia emi pretio communi à sciente adhuc tantum suspitiosè in eo latere thesaurum. Addimus, *A sciente*, quia ab ignorante, & bona fide procedente potest absque iniustitia, & absque obligatione restitutionis. Et idem est de emente bona fide fundum

in

in quo latet vena, & de emente bona fide lapidem pretiosum, quia res istæ quando bona fide emuntur, & venduntur, emuntur, & venduntur subiectæ malis, & bonis euentibus, præsertim valdè extraordinarijs, vt vsus & consuetudo ostendit.

Septimò, est difficultas, an consuetudine, vel decreto Principis statui possit, quod thesauri ad Principem pertineant.

Syluestr. verbo, inuentum, & Sotus de iustitia quæst. 3. art. 3. docent, non posse, quia iure naturali fiunt primo occupantis, seu inuenientis.

Paludan. verò in 4. distinction. 15. quæstion. 2. artic. 2. Vazquez cap. 5. §. 4. dub 2. & Bonacina disputation. 3. quæst. 3. punct. 6. docent, posse. Et meritò, quia quamuis iure naturali gentium pertineant ad inuentorem, iure tamen positiuo ex rationabili causa, vt ad sustētanda onera, & sumptus necessarios, potuit impediri ius illud naturale inuentoris, & applicari Principi.

Quibus autem de facto applicati sint iure Cæsareo thesauri iam inuenti diximus in principio huius difficultatis: quod etiam seruatur in Regno Castellæ, excepto quod inuentori thesauri latētis in fundo Regis tantum assignatur, 4. pars, l. 1. tit. 13. lib. 6. Recopi. vt contra Couar. qui existimat, id esse decretum circa omnes thesauros in quocunque fundo sint, aduertit Vazquez.

Difficul. XXXVI. Ad quem pertineant bona incerta inuenta?

BONA Incerta dicuntur, quæ verè habent dominum, ignotum tamen, qualia sunt bona recenter perdita, quæ sunt media, inter bona derelicta, & inter bona domino ex antiquo carentia: & quia illorum dominus ignoratur, ideò est difficultas, cui sint conferenda, seu ad quem pertineant ad vsum in defectum domini veri ignorati, cui quia ignotus est non possunt conferri, nulli autē sunt conferenda, nisi post prudentem diligentiam ad inueniendum verum dominum, & eo non inuento, nec relicta prudente spe illum inueniendi, qui ante eam diligentiam ea bona distribuit adhuc pauperibus, si postea compareat dominus, tenetur illa ei restituere, si prudenter credatur, quod si ea diligētia adhiberetur, compareret dominus.

Circa præsentem ergo difficultatem Pal. in 4. distinction. 15. q. 2. Molin. disput. 746. Vazquez cap. 5. §. 4 Bonacin. disput. 1. q. 3. puncto 4. & plures alij docent, ea bona inuenta, conferenda esse pauperibus; sub pauperibus autem etiam comprehenduntur, egentes ad decentem statum, adhuc ipse inuentor, & quęcunque alia opera pia adhuc Missæ pro defunctis.

Ratio eorum est, quia ea est voluntas interpretatiua domini ignoti, quod, scilicet, sua bona distribuantur in pauperes, & non retineantur ab inuentore non paupere, vt sic distribuuta, cædăt in vtilitatem spiritualem ipsius.

Ex authoribus huius sententiæ non pauci existimant ea posse distribui pauperibus, nullius alius expectato consensu, nec consilio.

Medina verò in Summa libro 1. cap. 14. §. 34. Petrus Nauar. libro 4. cap. 2. numer. 57. Saa verbo, thesaurus, & Layman. libro 3. tractatu 1. cap. 5. docent, inuentorem eorum bonorum posse ea sibi retinere (quod probabile censent Vazquez cap. 5. §. 4. num. 43. Lesius cap. 14. dub. 7. & Becan quæstion. 45.) & meritò, quia illa bona nullo iure sunt ex obligatione conferenda pauperibus: quia non iure positiuo, quia si aliquo maximè Ecclesiastico, capit. *cum tu*, de vsuris, eo autem non, quia in eo cap. *tantum est sermo*, de bonis incertis acquisitis per vsuram, & non de alijs aliter iniustè acquisitis, & multo minus de inuentis, de quibus procedit difficultas. Imò in eo c. nõ pręcipitur ipsis vsurarijs, quod restituăt sic acquisita, sed tantum decernitur, quod cogantur ad id à Iudicibus: nec iure naturali ea bona incerta inuenta, sunt ex obligatione cõferenda pauperibus, quia domini non habent eam voluntatem, sed potius, quod seruentur, vt si ipsi fortè compareant ipsis restituantur. Et quamuis eam voluntatem haberent non sufficeret, vt ob id essent pauperibus ex necessitate eroganda, quia eo ipso, quod dominus nõ cõparet, nec est spes prudens, quod comparebit, ea bona moraliter censentur carere domino, sicut censetur carere thesaurus ab antiquo absconditus: ac proinde ea dicta bona fiunt primo inuenientis illa, ea tamen cõditione, quod si dominus compareat, ipsi restituantur, si extent, & si non extent ei restituatur id in quo quis factus est locupletior ob eorum consumptionem, si verè ob id factus est locupletior.

Obseruandũ est hæc bona incerta inuẽta, posse applicari à Principe adhuc sæculari, cui voluerit, dum id non prohibeatur ipsi

ab Ecclesia, quia Princeps super his bonis externis magnam habet authoritatem: & ita in nostro Regno Castellæ nonnulla; nempè, animalia perdita errantia (quæ Hispani dicuntur, *mostrenca*, quia antiquitus applicata fuerunt Præmonstratensibus) applicata sunt Regi, & ei debentur, addit Nauarra, *post condemnationem, non antea*. In eorum tamen applicatione præferendus est Pontifex, si ea applicare velit in opera pia: imò, & Episcopus, & idem est quoad applicationem debitorum incertorum, nisi quod debita incerta saltem aliqua iam sunt applicata ab Ecclesia pauperibus, vt dicimus difficultate sequenti: vnde tuta conscientia possunt retineri bona incerta, & debita incerta, quæ per compositionem ab aliquo ex dictis, qui ea possunt applicare, conceduntur retineri, vt plura conceduntur virtute Bullæ in fauorem Hispanorum expeditę à Pontificibus.

Diffic. XXXVII. Ad quem pertineant debita incerta?

PROCEDIT Difficultas de debitis, siue ratione rei bona fide acceptæ nō inuentæ, siue ex contractu iusto, siue ex delicto, vt ex furto, vel ex vsura, vel ex fraudatione alia contractus, & non de quibuscumque, sed de incertis quorum creditor ignoratur: & quia creditor ignoratur, ideò ęst difficultas cui sint conferēda, quia creditori vtpotè ignoto conferre nequeuat, nulli autem sunt conferenda, nisi post prudentem diligentiam ad inueniendum creditorem, & eo non inuento, nec relicta prudente spe illum inueniendi, qui ante eam diligentiam illa destribuit adhuc pauperibus, si postea compareat creditor, ei tenetur soluere, si prudenter credatur, quod si ea diligentia adhiberetur compareret creditor, si autem post prudentem diligentiam fortè compareat creditor, ei sunt soluenda (quamuis iam fuerint pauperibus distributa) si extent, vel si non extent soluendum est id in quo ille cui collata sunt factus est ditior ob illa.

Circa præsentem difficultatem conueniunt DD debita ex delicto contracta, vt ex vsura, & ex furto soluenda esse pauperibus (sub quibus etiam comprehenditur quodcumque aliud opus piū) quia in cap. *cum tu*, de vsuris, bona acquisita per vsuram applicata

sunt pauperibus ne vsurarius suo delicto ditescat, & quia eadem ratio currit in debitis ex quocunque alio delicto contractis. Idem etiam de illis docent DD. quod mihi difficile est, quia id non est necessarium iure naturali, vt constat ex dictis difficultate præcedē ti: quod autē id sit necessariū iure positiuo mihi est difficile, quia quāuis eadē ratio currat, ac in debitis ex vsura cōtractis, id nō est iure ipso dispositum, sed tantum de debitis ex vsura contractis: nihilominus non audeo à doctrina ab omnibus recepta discedere.

Est tamen controuersia circa debita incerta contracta, vel ex contractu iusto, vel ratione rei alienæ non inuentæ, sed bona fide acceptæ, vt si quis duas vlnas panni pro vna accipiat bona fide à mercatore, quem non cognouit, vel qui ob distantiam conueniri nequit an sint soluenda pauperibus, an verò possessor, aut debitor posſit ea sibi retinere, & non soluere.

S. Thom. 2. 2. quæst. 62. artic. 5. Vazquez cap. 3. §. 4. dub. 1. Bonacina quæst. 3. punct. 4. & communiter DD. docent, soluenda esse pauperibus, quod plures probant, quia creditor saltem interpretatiuè, vult quod sibi debita ipsi spiritualiter prosſint, ac proinde, quod pro ipso pauperibus soluantur. Alij verò id probāt, quia id habet praxis, & consuetudo piorū, quæ videtur habere vim legis positiuæ.

Petr. Nauar. verò lib. 4. cap. 2. num. 46. & Layman. libr. 3. de iustit. tract. 2. cap. 9. docent debitorem posse ea debita sibi retinere (quod probabile censet Lesius cap. 14. dub. 6. num. 38. & meritò, quia debitor non tenetur iure naturali ad eroganda illa pauperibus, ob rationem traditam, difficultate præcedenti de bonis inuentis, quæ etiam sunt debita ratione rei inuentæ acceptæ aliàs nō posset fieri compositio à Pontifice remittendo magnam partem debiti vt verè fit, nec ad id tenetur debitor iure positiuo, quia non diuino, vt patet, nec humano, quia tantum extat Ecclesiasticū pro debitis vsurarie contractis, & ad summum etiam pro debitis ex quocunque alio delicto cōtractis: quia currit eadem ratio motiua pro his, ac pro illis.

Ad priorem ergo rationem negamus eam esse voluntatem creditoris: & quamuis esset, non sufficeret, quia dum non compareret, censetur carere iure ad illa relicta, & ad posteriorem cōcedimus, quod plures pij id efficiant, ducti tamen opinione aduersariorum, quod non sufficit vt habeat vim legis.

Obser-

Obseruandum est primò, debitum incertum; cuius dominus in particulari, & determinatè ignoratur, creditur tamen prudenter ad aliquem ex nonnullis determinatis pertinere, diuidendum esse (vel in se ipso, si diuidi potest, vel in pretio si diuidi nequit) inter eos inter quos est dubium ad quem ex ipsis pertineat iuxta quantitatem dubij, nisi ipsi certiores facti aliud velint, si tamẽ debitum incertum pertineat ad plures ex quibus nonnulli cognoscũtur, & alij ignorantur, vt quando quis plures defraudauit in mensura vini, vel in pondere carnis, vel aliter eis qui cognoscuntur dãdam esse portionem ipsis correspondentem, aliam verò portionẽ correspondentem ignoratis, dandam esse pauperibus si debitum sit ex delicto si verò aliter debitum sit, posse à debitore retineri iuxta ea quæ diximus.

Obseruandum est secundò, id quod diximus faciendum de bonis incertis inuentis, & de debitis incertis siue ex delicto, siue aliter contractis, quando dominus ignoratur, idem etiam esse faciendum quando dominus scitur, ignoratur tamen vbi habitet, aut quando est ita absens, vt ei nequeat absolutè bonum, aut debitum conferri, aut si nequit commodè fieri, si bonum est inuentum, aut si debitum non est contractum ex delicto: si tamen commodè admoneri posit, admonendus est quid velit fieri de eo bono, aut debito.

Obseruandum est tertiò, debita incerta, quæ iuxta supradicta conferenda sunt pauperibus, posse à debitore sibi applicari, si verè sit pauper, aut egens ad decentem statum, in quo DD. communiter conueniunt: & id posse absque licentia & consensu alterius (vt non pauci docent) nisi vbi oppositum sit lege aliqua stabilitum.

Obseruandum est quartò, debitorem debitorum incertorum posse ex eis Capellaniam, aut Hospitale, aut Monasterium instituere, vt aduertit Henriquez l. 7. cap. 33. num. 5. quia sunt opera pia: & posse sibi & suis successoribus ius patronat' applicare, quia ex vna parte, eo non minuit opus pium, & ex altera eo nulli facit iniuriam cum ipse sit eorum bonorum distributor.

(?)

Diffic. XXXVIII. Ad quem pertineant bona vacantia, & derelicta?

BONA Vacantia (domino, videlicet dicuntur, quæ remanent post mortem domini qui sine testamento decesit, nullo vel incognito relicto hærede, qui ab intestato succedat.

Hoc supposito, conueniunt DD. bona vacantia, quando non sunt alicuius peregrini, iure communi, lege vacantia, C. de bonis vacantibus, & iure Regni Castellæ pertinere ad fiscum. Addimus, *alicuius peregrini*, quia bona mobilia illiusin hospitio reperta, iure communi, & iure Castellæ distribuenda sunt in pias causas, & ab Episcopo loci in quo moritur.

Bona derelicta dicuntur, quæ dominus abijcit, & animo ea nō recuperandi. Vnde bona quæ in periculo ob leuandam nauim eiecta sunt in mare, non eo ipso sunt derelicta, quia non eo ipso eijciũtur animo ea non recuperandi: qui autem eripit aliquid alienum, quamuis certo periturum si non eripiatur, vt qui ex naui submergēda eripit papirũ, & qui ouem alienam à faucibus lupi eripit, & qui aliquam rem ab incendio eripit, non efficit bonum illud suum, sed manet sui domini, quia nec censetur derelictum à domino, nec ob periculum amisit dominium illius boni. Eripiens tamen poterit exigere valorem suæ operæ consumptæ in liberatione illius boni, quæ aliquando potest tanti, imò & pluris valere quàm bonum ipsum, vt regulariter contingit quando cum periculo vitę quis eripit bonum non magnæ æstimationis aliàs certo periturum.

Illa etiam bona dicuntur, seu censentur derelicta, quæ dominus non curat recuperare quando facilè potest, imò & illa quæ non recuperat, ob difficultatem, quæ erit in eorum recuperatione, quia verè ob eam difficultatem desistit à recuperatione eorum, & ea derelinquit. Ligna autem, & alia similiaque fluminum vi deferuntur, non eo ipso censenda sunt derelicta, sed arbitrio prudētis, attentis circunstantijs standum est, quia si sint parui momenti, & dominus multum distet, censenda sunt derelicta, secus verò si parum distet quamuis sint parui momenti, aut si illa sint magni momenti quamuis multum distet.

Hoc supposito, etiam conueniunt Doctores, bona derelicta fieri primo capientis illa, & non solum iure naturali; quia carent

ent domino, ſed etiam iure communi ex Inſtituta de rerum diuiſione, §.alia ſane.

Diffic. XXXIX. Quomodo acquiratur dominium formatione, acceſsione, alluuione, confuſione, commixtione, ædificatione, & plantatione?

IN Primis formatione, ſeu effectione alicuius ſpeciei ex aliena materia, vt quando ex argento alieno fit aliquod vas, & ex vbis alienis fit vinum, ſi ſpecies facta, poſsit ad materiam ipſam reuerti, vt vas argenti poteſt ad ipſum argentum, tunc dominus materiæ fit dominus ſpeciei, v.g. dominus argenti fit dominus ipſius vaſis, ſi verò ſpecies nequeat reuerti ad ipſam materiam, tunc effector illius ſpeciei fit dominus illius ſpeciei, v.g. effector vini ex vbis alienis fit dominus vini: ita tamen, quod ſi id mala fide effecerit, ſpecies illa poſsit à domino materiæ vindicari. Ita decernitur lege adeo, §. cum quis, ff. de acquirendo rerum dominio, & ex Inſtit. de rerum diuiſ. §. cum ex alien.

Secundò, acceſsione qua res aliena noſtris accedit, noſtro labore, aut induſtria, res aliena quæ accedit, ſeu adijcitur noſtræ, vt quando margarita aliena inſeritur noſtro auro, aut veſtimento noſtro intexitur purpura, res quæ accedit fit noſtra, ſeu acquirimus dominium illius, vt conſtat ex lege *& ſi non ſunt*, §. perueniemus, ff. de auro, & argento legato; quia acceſſorium ſequi congruit naturam principalis, reg. 28. in 6. conceditur tamẽ domino rei accedentis, actio furti aduerſus dominum rei cui accedit, etiam ſi hic bona fide proceſſerit, vt conſtat ex lege 1. ff. de condictione ſine cauſa.

Tertiò, alluuione acquirit quis dominium eius, quod adijcitur ſuo fundo, ita latenter vt ignoretur quantùm adijciatur, quoquo temporis momento: non verò acquirit dominium, quando apertè pars aliqua de prædio alieno detracta fuit, & adiecta fundo illius; quia tunc remanet domini illius prædij de quo fuit detracta, niſi quando pars adiecta ſecum deferens arborem tanto tempore adhæret fundo cui fuit adiecta, vt arbor radices egerit, quia ex eo tempore fit domini fundi cui fuit adiecta, vt conſtat ex dicta lege

adeo §. 1. & ex Instituta de rerum diuisione, §. præterea.

Quartô, confusione rerum diuersorum dominorum ex quibus resultat vna substantia, vt cum confunduntur vina duorum, & resultat vnum vinum: & cum confunduntur massę duorum, & ex eis resultat, vna tertiam vt ex argento vnius, & ex auro alterius resultat electrum, & ex vino vnius, & ex melle alterius, resultat mulsum, siue confusio earum rerum fiat communi consensu dominorum, siue à casu, tertium illud resultans fit cõmune vtrique quoad dominium, vt constat ex Instituta de rerum diuision. §. si duorum, & etiam iure naturali, quia cum fiat vnum tertium non est maior ratio, cur ad vnum pertineat, quam ad alterum.

Quintò, commixtione rerum diuersorum dominorum ex quibus non resultat vna substantia, sed quasi vna, quia res manent in se distinctæ, vt quando commiscentur frumenta duorum dominorum, & oues duorum, & pecuniæ eiusdem metali duorum, illa quasi substantia, seu cumulus ille fit vtrique domino communis quoad dominium, quando vtriusque consensu fit mixtio, & discerni nequit, ad quem ex illis vnaque quæ pertineat, vt constat ex dicto §. & etiam iure naturali, quia eo ipso, quod cumulus ille fit cõsensu vtriusque ad vtrumque videtur æqualiter pertinere. Si verò commixtio fiat à casu, aut absque consensu alterius, cumulus ille quoad dominium pertinet ad eum qui illum posside, etiam si alter habeat ius in eum cumulum tanquam in hypothecam, itaut alijs creditoribus præferatur, vt constat ex dicto §. & id etiam ratio naturalis dictat.

Quando autẽ dicimus ratione confusionis, cõmixtionis rerũ diuersorũ, substantiã, aut quasi substantiã resultãtẽ ad aliquẽ quoad dominium pertinere, siue ad ipsum solum, siue ad ipsum simul cum altero, intelligimus verum quando id quod ad eum attinebat, non fuit parum comparatione rei alterius; quia tunc non pertinet dominium ad ipsum, quia parum pro nihilo reputatur, habet tamẽ in ea substãtia, vel quasi substantia, quasi in hypotheca, actionem ad valorem illius parum.

Sextò, ædificatione in solo proprio ex aliena materia, dominus ipsius soli fit dominus ædificij, siue ædificium factum sit à domino ipsius soli, siue à domino materiæ, siue ab alio tertio, & idem dicendum est de materia collocata in ædificio alieno, vt de calce, & lignis: ita tamen, quod si colocetu à domino soli, satisfaciẽdum sit domino materiæ alienæ pro ipsa materia, & si ædificium diruatur,

tur, pofsit dominus materiæ eã vindicare, si verò colocetur à domino materiæ, sciens solum non esse suũ nihil pofsit à domino soli in foro exteriori petere, nisi ea colocatione gesserit vtiliter negotium domini absentis, vt constat ex dicta lege *adeo*, §. cum suo, & §. ex diuerso, & ex Instituta de rerum diuis. §. cum in suo.

Septimò, plantatione plantæ alienæ in aliquo solo, planta agens radices fit domini soli, siue in eo posita sit à domino soli, seu fundi, siue à domino plantę, siue ab alio tertio, ipsi tamen domino plantę satisfaciendum est pro planta, & si posita sit à domino plantæ etiã est ipsi satisfaciendũ pro labore si vtiliter id egit, præsertim si id bona fide fecit, & si ab alio tertio, ei satisfaciendum est pro labore, & domino plantę pro planta, vt constat ex dicta lege *adeo*, & ex Instituta de rerum diuis. §. si Titius, & ex lege *qua ratione*, ff. de acquirendo rerum dominio.

Addimus, plantam prope alienum solum, seu fundum positam radices gerentem, in fundo proprio, & in alieno fieri vtrique domino communem; gerentem verò radices tantum in solo alieno fieri huius, cuius est solum; vt cõstat ex dicta lege *adeo*, & ex lege si plures, §. vltimo, ff. arborum furtim cæsarum.

De hac re legi potest Vazquez 1.2. disp. 164. c. 3. Layman. libro 3. tract. 1. c. 5. & Filliucius tract. 31. c. 7.

DISPVTATIO II. DE præscriptione.

Difficul. I. Quid sit præscriptio?

QVAMVIS Vox, *præscriptio*, aliquando præsertim in iure Cæsareo sumatur pro exceptione, seu oppositione contra actorem, communiter tamen apud interpretes iuris Cæsarei, & Canonici, & semper in ipso iure Canonico sumitur pro acquisitione dominij rei alienæ per continuationem possessionis spatio temporis, & alijs conditionibus lege definitis: nomine autem acquisitionis dominij etiam comprehenditur acquisitio dominij sumpta pro ablatione, seu extinctione iuris

iuris alieni contra ipsum præscribẽtem dictam extinctionem, quæ etiam est quædam acquisitio iuris proprij, seu quasi dominij propriæ libertatis ab obligatione.

Acquisitio autem dominij facta per continuationem possessionis dicitur præscriptio, quia qui sic acquirit dominiũ rei alienæ si impetitur à priore domino illius rei excipit, seu opponit contra illum dictam continuationem possessionis. Et de præscriptione vt communiter sumitur procedit hæc disputatio.

Et eisdem verbis quibus definimus præscriptionem, vt communiter sumitur etiam definitur vsucapio, nempè, *quod sit acquisitio dominij rei alienæ per continuationem possessionis spatio temporis, & alijs cõditionib⁹ lege definitis.* Vnde si in hac definitione acquisitio dominij sumatur, vt etiã cõprehẽdit dictã extinctionẽ iuris alieni cõtra ipsũ vsu capientẽ, vt sumi potest (quãuis hæc extinctio magis impropriè significetur nomine vsucapionis, quã nomine præscriptionis; quia extinctio hæc magis impropriè dicitur capi, quã præscribi) præscriptio, & vsucapio erũt synonomæ. Distinctio autẽ quã non pauci statuunt inter præscriptionẽ, & vsucapionem, quod hæc sit rerum mobilium, & illa immobilium, nec habet fundamentum in iure, nec est alicuius considerationis.

Ex dictis ergo constat, quod nullus potest præscribere rem cuius iure ipso nequit dominium, nec quasi dominium acquirere: quia præscriptio est acquisitio dominij, vel quasi dominij: ac proinde laicus non potest præscribere res Ecclesiasticas, & sacras, nec iura Ecclesiastica, & sacra, quia verè est inhabilis ad acquirendum dominium, & quasi dominium eorum, nec Religiosus professus potest præscribere rem aliquam, quia est inhabilis ad acquirendum dominium illius.

Diffic. II. Quæ possessio requiratur, & sufficiat ad præscriptionem?

SVPPONIMVS, Ad præscriptionem quatuor requiri conditiones, nempè, possessionem, bonam fidem, titulum, & continuationem possessionis spatio temporis lege definiti.

In primis ergo ad præscriptionem requiritur possessio rei præscribendæ, vt cõstat ex reg. 3. de regul. iur. in 6. possidere autẽ rem est ei tanquã propriç insistere, seu eã tanquã propriã retinere.

Est ergo difficultas, quæ possessio requiratur, & sufficiat ad præscriptionem.

Circa quam conueniunt Doctores, possessionem purè naturalem non sufficere, & requiri ciuilem, quia quæ non est ciuilis non sufficit, & sufficere non solum, quæ simul est naturalis, & ciuilis; sed etiam quæ tantum est ciuilis. Possessio illa dicitur naturalis qua quis physicè, & actu retinet rem tamquam propriam, illa verò dicitur ciuilis qua quis animo retinet rem tamquam propriã quamuis absens, & solum habitualiter physicè, & illa dicitur simul naturalis, & ciuilis, qua quis physicè actu retinet rem tamquam propriam absque eo, quod eam alius ciuiliter possideat. Vnde illa dicitur tantum, seu purè naturalis qua quis rem tamquam propriã physicè actu retinet, & eandem alius retinet ciuiliter: & illa dicitur tantum, seu purè ciuilis qua quis animo retinet, & solum habitualiter physicè.

Vnde, nec depositarius, nec commodatarius, nec conductor potest præscribere rem cuius est depositarius, aut commodatarius, aut conductor, quia nullus eorum eam possidet ciuiliter, sed tantum naturaliter: imò, nec tanquam propriam, seu suo nomine, sed tamquam domini, & eius nomine, quia dominus eam ciuiliter possidet. Et idem est de curatore, qui possidet rem nomine minoris, & tamquam illius: & de colono, qui possidet agrum domini, & de procuratore, qui possidet rem illius cuius est procurator, & de similibus, quia nullus eorum possidet rem illam ciuiliter, sed tantum naturaliter, imò non tamquam propriã, nec suo nomine.

Omnes tamen prædicti quantum est ex parte possessionis possunt præscribere eis, quorum nomine possident, vt patet: imò, pupillus, & minor, si habeant vsum rationes possũt absque authoritate tutoris, & curatoris sibi præscribere: quia non solum possunt acquirere dominium; (quod etiam possunt quamuis non sint rationes compotes) sed etiam possunt suo nomine, possidere: filius etiam familias potest sibi præscribere bona castrensia, & quasi castrensia, quia potest dominium eorum acquirere, & ea suo nomine possidere. Et etiam potest bona aduentitia quoad proprietatem, seu dominium præscribere, quia etiam potest dominium eorum acquirere, & tamquã propria suo nomine possidere: tamen nõ potest ea quoad vsumfructum præscribere, quia quoad hunc non potest ea ciuiliter possi-

possidere, quia ex incapax illius; quia tantum potest ad patrẽ pertinere. Et furiosus, qui quando erat rationis compos cœpit rem bona fide tanquam propriam, possidere potest eam præscribere etiã tempore furię; quia furore non dormit possessio ante furorẽ cœpta, & mancipium non potest rem sibi aliquam præscribere, nisi libertatem à seruitute, quia nullius nisi huius libertatis potest sibi dominium, nec quasi dominium acquirere.

Diffic. III. Quæ bona fides requiratur, & sufficiat ad præscriptionem?

SVPPONIMVS, Ad præscriptionem requiri bonam fidem circa possessionẽ rei, vt constat ex regula 2. iuris, in 6. & ex c. fin. de præscription. desumpto ex concilio Lateranensi, in quo leges ciuiles, quæ aliquando admittunt præscriptionem cum mala fide, abrogatæ sunt.

Bona ergo fides in proposito est credulitas, quia quis prudenter iudicet rẽ quam possidet esse suam, vel ad se pertinere, in quo sensu sumitur bona fides in dict. cap. fin. vnde qui incipit possidere rem, & id continuat dubitans, an res sit sua, vel ad se pertineat, nõ dicitur eam bona fide possidere; quia eam possidet absque iudicio, seu credulitate, quod res illa ad se pertineat.

Est tamen difficultas, an dubium circa proprietatem rei post possessionem illius bona fide inchoatam interrumpat eam bonam fidem requisitam ad præscriptionem.

Adrian. de restitution. quæst. de præscriptione, § *Hoc supposito*, Maior in 4. dist. 5. q. 11. & Sotus lib. 4. q. 5. art. 4. docent interrumpi. Quia eo dubio superueniente cessat bona fides, quia cessat dicta credulitas, quæ stare non potest cum eo dubio, ergo si cessat, interrumpitur, quia interruptio est cessatio eius, quod requiritur ad præscriptionem.

Couarr. verò regul. possessor, §. 7. Molina disp. 63. Less. cap. 6. dub. 3. & Bonacina disp. 1. q. vltim. punct. 2. docent, non interrumpi. Et meritò, quia iustè, & licitè potest in possessione illius perseuerare; quia in dubio melior est conditio possidentis rem, vt eam licitè retineat, & nulli alteri deferat, quia non est vnde cesset dicta bona fides qua iudicet se licitè eam retinere: quod si eo dubio superue-

perueniente, superueniat existimatio qua qui possidet errans credit in retentione peccare, aut dubitet, an in ea retentione peccet, interrumpitur bona fides, vt aduertunt Les. dub. 4. & Bonacina numer. 17.

Difficult. IV. Quæ ignorantia efficiat fidem esse malam?

DIFFICVLTAS Hæc tantum habet locum in ignorantia, tam iuris, quàm facti resistentium licitæ possessioni, seu eā nō admittentium, qualis est ignorātia iuris qua quis ignorat ius aliquod sic resistens, vt quando quis accepit aliquid contractu ex parte sui vsurario, quem licitum existimabat, & qualis est ignorantia facti qua quis ignorat factum aliquod sic resistens, vt quando quis emit aliquid à fure ignorans esse furem; quia solum dictæ ignorātiæ possunt efficere malam fidem.

Hoc ergo supposito, certū est primò, ignorantiam vincibilem, seu culpabilem tam iuris, quàm facti resistentium modo dicto efficere fidem malam (& consequenter insufficientem ad præscriptionem) quia quando adest talis ignorantia, credulitas qua ignorans iudicat rem ad se pertinere, est culpabilis, & ea existente illicitè possidet rem.

Secundò, certum est ignorantiam inuincibilem, seu inculpabilem facti non efficere malam fidem, seu insufficientem ad præscriptionem; quia ex vna parte est inculpabilis, & cum ea adest iudicium quo licitè possidetur res, & ex altera nullum ius resistit dictæ ignorantiæ, nec eam reprobat ad præscriptionem: imò ei fauet lex *iuris*, & lex *error*, ff. de iuris, & facti ignorant. & lex *nunquam*, ff. de vsucap. & aliæ leges.

Est tamen difficultas, de ignorantia inuincibili, seu inculpabili iuris.

Medina de restitut. q. 17. docet, non efficere in foro conscientiæ fidem malam, seu insufficientem ad præscriptionem: quia existente ea ignorantia non adest iudicium quo quis illicitè possideat rem, in foro tamen exteriori efficere malam fidem, seu insufficientem ad præscriptionem (quod probabile existimant Les. & Becanus) quia ius exterius resistit dictæ ignorantiæ, vt statim constabit.

Couar.

Couar. verò regul. possessor, p. 2. §. 7. Molin. disp. 64. Less. c. 6. dub. 5. Becan. c. 9. du. 5. Bonac. disp. 1. quæst, vlt. punct. 2. & communiter DD. docent, & meritò efficere malam fidem, insufficientem ad præscriptionem, non malam Theologicę, quia cum ea ignorantia non adest iudicium quo sic ignorans illicitè possideat rem, quia eam licitè possidet. Et id tantum probatur ratione Medinę, sed malam ciuiliter, id est, reprobatam à iure, seu factam insufficientem ad præscriptionem: reprobatur autem, & fit insufficiens ad id iure positiuo humano. Vt patet ex lege *iuris*, ff. de iuris & facti ignorant. vbi dicitur, iuris ignorantiam in vsucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat, & ex lege *nunquam*, ff. de vsucapion. vbi dicitur, numquam in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest, & ex leg. 2. ff. pro emptore, & ex leg. *quemadmodum*, C. de agricolis, lib. 11. Fit autem mala, & insufficions ad præscriptionem non tantum in foro exteriori, vt sentit Medina, sed etiam re ipsa, & in foro conscientiæ: quia præscriptio nullam habet vim adhuc re ipsa, & in foro conscientiæ, nisi solo iure humano, quia eo solo introducta est: ergo nullam habet vim adhuc re ipsa, & in foro conscientiæ, nisi quando ipsum ius humanum quo introducta est disponit, ius autem humanum absolutè, & absque vlla limitatione disponit, quod non habeat vim, nec locū quando est error, seu ignorantia iuris, vt constat ex dictis iuribus, ergo quando adest ignorantia iuris quamuis inculpata, fides fit mala, nō Theologicæ, sed ciuiliter, id est, reprobatur, & fit insufficiens ad præscriptionem.

Addimus, contra nonnullos, vt aduertunt communiter DD. ignorātiam iuris semper efficere fidem malam ciuiliter, seu insufficientem ad præscriptionem, non solum ad eam, quæ requirit titulum, quæ tribus vel decem, vel viginti annis expletur; sed etiam ad eam quæ non requirit titulum quæ triginta annis expletur: quia dicta iura in quibus fit insufficiens ad præscriptionem loquuntur absolutè absque exceptione, & restrictione aliqua præscriptionis.

Obseruandum tamen est, primò, quod quamuis dicta ignorātia iuris certi absque varietate opinionum probabilium, resistentis possessioni efficiat fidem insufficientem ad prescriptionem rei, seu ad proprietatem rei, non tamen ad prescriptionem fructuum illius rei, vt contra Layman. & alios aduertunt Couar. 1. variar. cap. 3. Molina disput. 64. Less. dub. 5. Becan. quæst. 5. Bonacin. puncto 2. §. 2.

§.2.n.19.& communiter DD. quia ignorantia circa fructus est ignorantia facti, quia possessor credit se percipere fructus illos ex re sua, ignorantia autem inuincibilis facti, non officit fidem insufficientem ad præscriptionem.

Obseruandum est secundò, quod quamuis inuincibilis ignorantia iuris resistentis possessioni, quando est certum absque varietate opinionum probabilium, efficiat dicto iure humano fidem insufficientem ad præscriptionem: ignorantia tamen inuincibilis iuris resistētis possessioni quando est sub varietate opinionum probabilium an sit, non, efficit fidem bonam ciuiliter, seu sufficientem ad præscriptionem, quia quamuis sit certa noticia dictæ dubietatis iuris, posset ignorans licitè possidere amplectens opinionem qua dicitur non esse ius illud resistens possessioni: iura autem tantum reprobant fidem habitam cum ignorantia inuincibili iuris resistētis possessioni, quando fides, aut possessio excusatur à malitia ratione solius ignorantiæ, non verò quando excusatur prudenti, seu probabili iuditio, seu opinione.

Difficult. V. Vtrùm mala fides illius à quo quis accepit rem noceat ad præscribendum ei, qui illam accepit?

CONVENIVNT DD. malam fidem qua antecessor possedit rem, adeo nocere ei, qui eā ab illo immediatè accepit, vt heres (qui eo ipso est vniuersalis successor, quamuis aliquando simul cum alijs) vt nequeat rem illam præscribere, quāuis eam possideat bona fide toto tēpore aliàs sufficiente ad præscriptionē, si nō esset hæres illius, vt constat ex l. *si mala fide*, C. cōmunia, de vsucapion.

Et ratione constat, quia simpliciter, & propriè hæres fictione iuris censetur eadem persona cum suo antecessore, vt constat ex l. *cum hæres*, ff. de diuersis, & temporalibus præscriptionibus, ergo sicuti quando hæres incipit mala fide possidere rem, non potest illam præscribere, ita etiam non potest quando antecessor cœpit mala fide possidere.

Nihilominus Lesius cap.6.dub.13. Couar.p.2.§.9 num.5.& glos.in regul. 14. in 6. probabile existimant eum hæredem posse præscribere rem si ipse bona fide possideat 30. annis.

Addidimus, *Qui eam ab illo immediatè accepit vt hæres*, quia qui non accepit immediatè quamuis vt hæres hæredis illius, & qui non accepit, vt hæres quamuis immediatè, vt legatarius, vel vt donatarius, vel vt emptor possunt optimè præscribere tẽpore aliàs sufficiente non computando sibi tempus possessionis illius antecessoris, quia non bona, sed mala fide possidere cœpit, possunt tamen & poterunt illud sibi computare, si antecessor bona fide possidere cœpit.

Difficult. VI. Vtrùm ad præscriptionem semper requiratur titulus?

CONVENIVNT DD. ad præscribendum tempore definito à iure, frequenter requiri titulum aliquem; non titulum verũ, vt emptionis, aut donationis, aut testamenti: quia ex titulo verò absque præscriptione saltem oritur ius ad rem; sed requiri, & sufficere titulum coloratum, id est, prudẽter, seu probabiliter præsumptum, quamuis re ipsa non sit verus, vt quando quis emptione, aut donatione, aut testamento accepit rem ab eo quem prudẽter credit esse dominum illius, & re ipsa non est, vt significatur in l. 1. ff. de vsucap. & in cap. *vigilante*, de præscript.

Addidimus, *frequenter*, quia aliquando non requiritur titulus ad præscriptionem, siue rerum mobilium, siue immobilium, vt aduertunt Couarrub. part. 2. §. 8. Les. dub. 2. Becan. quæstione 1. Bonacina puncto 2. §. 2. & communiter Doctores, dum adsit bona fides, quia quamuis semper requiratur titulus ad præscribendum tempore trium, vel decem annorum, aliquando tamen non requiritur ad præscriptionem viginti annorum, & ferè numquam ad præscriptionem triginta annorum, & longioris temporis, nisi quando ius commune resistit præscriptioni, vt resistit præscriptioni non soluendi decimas, vel quando aliunde, est vehemens præsumptio, quod possessio fuerit inchoata mala fide: quæ ex dicendis, amplius constabunt.

(?)

Diffi-

Difficult. VII. Quantum temporis requiratur ad præscribendum res mobiles, & immobiles?

QVARTA Conditio, ex requisitis ad præscriptionem est cõtinuatio possessionis spatio temporis iure definiti, est ergo difficultas, quanto temporis spatio continuanda sit possessio rerũ mobilium, & immobilium.

Supponimus, res aliás esse propriè mobiles, id est, quæ loco moueri possunt, siue à se vt animalia, siue ab alio vt vestis, & pecunia: & ad has reducuntur iura ad res mobiles, & debita rerum mobilium, quia non sunt fixa, sed quasi mobilia, & alias esse immobiles, id est, quæ loco moueri non possunt, vt domus, & prædia, & ad has reducuntur iura ad res immobiles, & debita earum: quia fixa sunt, & etiam iura ad res mobiles, & debita earum quando non tantum semel sunt recipiendæ, vel exequẽdæ, sed iteratis vicibus, vt census, & beneficium: quia etiam sunt fixa.

Hoc ergo supposito, circa hanc difficultatem, in qua tantum quærimus de rebus propriè mobilibus, & immobilibus, & non de eis, quæ ad ea reducũtur, cõueniũt primò DD. ad præscriptionem rerũ mobiliũ laicorũ inter præsentes quorũ vnus aduersus alterum est præscripturus, requiri, & sufficere spatiũ triũ annorum quando adest titulus coloratus: & quatuor annorũ inter absentes, quorum vnus aduersus alterũ est præscripturus, etiã quãdo adest titulus, vt constat ex l. vnic. C. de vsucap. transform. & ex Institut. de vsucap. §. 1. Et idẽ tempus sufficit ad præscriptionẽ rerũ mobilium Ecclesiasticorũ (etiã Romanæ Ecclesiæ) vt contra Azorẽ, & alios aduertunt Molin. disp. 8. Les. c. 6. dub. 7. Bonacin. punct. 2. §. 2. & cõmuniter DD. vt constat ex Authẽt. *Quas actiones*, C. de sacros. Eccle. & ex c. penult. & vlt. 16. q. 3.

Illi dicuntur præsentes qui sunt sub eodem regimine, seu sub eodem iudice immediato Senatui Regio, quamuis res præscribẽda sita sit alibi. Et illi dicuntur absentes, qui non sunt sub eodem dicto regimine.

Addidimus, *Quando adest titulus*, quia quando non adest, requiritur, & sufficit spatium triginta annorum ad præscriptionem rerum mobiliũ, etiã Ecclesiæ adhuc Romanæ, in quo DD. conueniunt: quia ex vna parte iure Canonico nihil statutũ est peculiare

circa res mobiles Ecclesiæ adhuc Romanæ, & ex altera iure communi ciuili ad præscriptionem rei mobilis, requiritur spatiũ triginta annorum quando deficit titulus.

Cõueniũt secũdò DD. ad præscriptionẽ rerũ immobiliũ priuatorũ quando adest titulus coloratus, requiri spatiũ decẽ annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, vt cõstat ex Instit. de vsucap. & ex l. *cũ in lõgis*, C. de præscript. lõg. tẽp. & quando deficit titulus requiri spatiũ 30. annor. tã inter pręsẽtes, quã inter absẽtes: vt cõstat ex c. *Sãctorũ*, de præscript. & ex l. *si quis emptionis*, & ex l. *sicut in rẽ*, C. de præscript. 30 vel 40. ann & idem spatiũ 30. annorũ requiritur ad præscribendũ res minoris viginti quinque annorũ, nõ solũ immobiles, sed etiã mobiles quãuis non deficiat titulus: & quamuis sit inter præsentes, vt constat ex l. vlt. C. in quibus causis, vt ex l. 3. C. quibus non obijcitur.

Addidimus, *priuatorum*, quia ad præscribendum rem immobilem Ecclesiæ Romanæ, siue adsit titulus, siue non, & siue sit inter præsentes, siue inter absentes requiritur spatium centum annorũ, vt constat ex c. *ad audientiam*, & ex ca. *si diligenti*, de præscript. & ex cap. 2. eodem titul. in 6. & ex Authent. *quas actiones*, C. de sacrosanct. Eccles.

Et ad præscribendum rem immobilem Monasteriorum S. Benedicti, & Collegiorum Congregationis S. Saluatoris, & Monasteriorum aliorum Ordinum gaudentium eisdem priuilegijs, requiritur spatium sexaginta annorum, siue adsit titulus coloratus, siue non, & siue sit inter præsentes, siue inter absentes, priuilegio Eugenij IIII. Benedictinis cõcesso, & ex priuilegio Iulij II. dictæ Congregationi concesso.

Et ad præscribendum rem immobilem aliarum Ecclesiarũ Romana inferiorum, & Hospitalium, & Monasteriorum, & piarũ causarum, & Collegiorum Canonicorum, & Episcopi, vt Episcopi, siue adsit titulus, siue nõ, & siue sit inter præsentes, siue inter absentes, requiritur spatium quadraginta annorum, vt constat ex capit. *de quarta*, & ex c. *ad aures*, & ex c. *illud*, de præscript. & ex dict. Authent. *quas actiones*.

Obseruandum est primò, tempus sufficiens ad præscribendum rem immobilem hypothecatam, etiam sufficere ad pręscribendum aduersus eũ cui erat hypothecata, vt desinat esse hypothecata, vt constat ex l. 1. & 2. C. si aduersus creditorem.

Obseruandum est secundò, possessorẽ maioratus, qui rẽ aliquam

 præscri-

præſcribit tamquam pertinentem ad maioratum, ipſi maioratui accreſcere, vt docent vterque Molina, & Turrian. dub. 4.

Difficul. VIII. Quantum temporis requiratur ad præſcribendum ius patronatus, & ad præſcribendum beneficium?

CIRCA Ius patronatus, ſeu ius præſentandi ad beneficiũ, conueniunt DD. illud contra priuatum præſcribi ſpatio decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes quando adeſt titulus coloratus: & quando non adeſt, præſcribi ſpatio triginta annorum, ſiue inter præſentes, ſiue inter abſentes, & idem ius contra Eccleſiam Romanam præſcribi ſpatio centum annorum; & contra Monaſteria Sancti Benedicti, & contra Collegia Congregationis Sancti Saluatoris, ſpatio ſexaginta annorum, & contra Eccleſiam Romana inferiorem, ſpatio quadraginta annorum. Fit autem hæc præſcriptio contra Eccleſiam Romanam, & contra Eccleſiam ipſa inferiorem, & contra dicta Monaſteria, & Collegia, ſpatio dicto, ſiue adſit titulus, ſiue non, & ſiue ſit inter præſentes, ſiue inter abſentes. Ratio omnium prædictorum de præſcriptione iuris patronatus contra priuatos, & contra dictas Eccleſias, & contra dicta Monaſteria, & Collegia ſpatio dicto, & modo dicto, eſt quia ea omnia dicimus de præſcriptione rerum immobilium contra omnes prædictos difficult. 7. & ius patronatus ex vna parte eſt immobile, & ex altera nihil peculiare ſancitum eſt circa illud.

Circa beneficium etiã conueniunt DD. eum qui pacificè beneficium aliquod titulo colorato poſſedit triẽnio abſq; ſimoniaco ingreſſu, & quando beneficium vacauit apud Sedem Apoſtolicam, illud poſſedit triennio abſque intruſione in illud, præſcribere contra actorem, ſeu petitorem, negando illi actionem contra ſic poſsidẽtem, vt patet ex reg. 33. Cancellariæ.

Eſt tamen difficultas, an ita præſcribatur beneficium, vt etiam in foro conſcientię poſsit illud retinere, quãuis poſtea conſtet non habuiſſe illud vero titulo, vt quoad alia generaliter dicem᷒ dif. 14.

circa res mobiles Ecclesiæ adhuc Romanæ, & ex altera iure communi ciuili ad præscriptionem rei mobilis, requiritur spatiū triginta annorum quando deficit titulus.

Cōueniūt secūdò DD. ad præscriptionē rerū immobiliū priuatorū quando adest titulus coloratus, requiri spatiū decē annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, vt cōstat ex Instit. de vsu cap. & ex l. *cū in lōgis*, C. de præscript. lōg. tēp. & quando deficit titulus requiri spatiū 30. annor. tā inter præsētes, quā inter absētes: vt cōstat ex c. *Sāctorū*, de præscript. & ex l. *si quis emptionis*, & ex l. *sicut in re*, C. de præscript. 30 vel 40. ann & idem spatiū 30. annorū requiritur ad præscribendū res minoris viginti quinque annorū, nō solū immobiles, sed etiā mobiles quāuis non deficiat titulus: & quamuis sit inter præsentes, vt constat ex l. vlt. C. in quibus causis, vt ex l. 3. C. quibus non obijcitur.

Addidimus, *priuatorum*, quia ad præscribendum rem immobilem Ecclesiæ Romanæ, siue adsit titulus, siue non, & siue sit inter præsentes, siue inter absentes requiritur spatium centum annorū, vt constat ex c. *ad audientiam*, & ex ca. *si diligenti*, de præscript. & ex cap. 2. eodem titul. in 6. & ex Authent. *quas actiones*, C. de sacrosanct. Eccles.

Et ad præscribendum rem immobilem Monasteriorum S. Benedicti, & Collegiorum Congregationis S. Saluatoris, & Monasteriorum aliorum Ordinum gaudentium eisdem priuilegijs, requiritur spatium sexaginta annorum, siue adsit titulus coloratus, siue non, & siue sit inter præsentes, siue inter absentes, priuilegio Eugenij IIII. Benedictinis cōcesso, & ex priuilegio Iulij II. dictæ Congregationi concesso.

Et ad præscribendum rem immobilem aliarum Ecclesiarū Romana inferiorum, & Hospitalium, & Monasteriorum, & piarū causarum, & Collegiorum Canonicorum, & Episcopi, vt Episcopi, siue adsit titulus, siue nō, & siue sit inter præsentes, siue inter absentes, requiritur spatium quadraginta annorum, vt constat ex capit. *de quarta*, & ex c. *ad aures*, & ex c. *illud*, de præscript. & ex dict. Authent. *quas actiones*.

Obseruandum est primò, tempus sufficiens ad præscribendum rem immobilem hypothecatam, etiam sufficere ad præscribendum aduersus eū cui erat hypothecata, vt desinat esse hypothecata, vt constat ex l. 1. & 2. C. si aduersus creditorem.

Obseruandum est secundò possessorē maioratus, qui rē aliquam

 præscri-

præscribit tamquam pertinentem ad maioratum, ipsi maioratui accrescere, vt docent vterque Molina, & Turrian. dub. 4.

Difficul. VIII. Quantum temporis requiratur ad præscribendum ius patronatus, & ad præscribendum beneficium?

CIRCA Ius patronatus, seu ius præsentandi ad beneficiũ, conueniunt DD. illud contra priuatum præscribi spatio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes quando adest titulus coloratus: & quando non adest, præscribi spatio triginta annorum, siue inter præsentes, siue inter absentes, & idem ius contra Ecclesiam Romanam præscribi spatio centum annorum; & contra Monasteria Sancti Benedicti, & contra Collegia Congregationis Sancti Saluatoris, spatio sexaginta annorum, & contra Ecclesiam Romana inferiorem, spatio quadraginta annorum. Fit autem hæc præscriptio contra Ecclesiam Romanam, & contra Ecclesiam ipsa inferiorem, & contra dicta Monasteria, & Collegia, spatio dicto, siue adsit titulus, siue non, & siue sit inter præsentes, siue inter absentes. Ratio omnium prædictorum de præscriptione iuris patronatus contra priuatos, & contra dictas Ecclesias, & contra dicta Monasteria, & Collegia spatio dicto, & modo dicto, est quia ea omnia dicimus de præscriptione rerum immobilium contra omnes prædictos difficult. 7. & ius patronatus ex vna parte est immobile, & ex altera nihil peculiare sancitum est circa illud.

Circa beneficium etiã conueniunt DD. eum qui pacificè beneficium aliquod titulo colorato possedit triẽnio absq; simoniaco ingressu, & quando beneficium vacauit apud Sedem Apostolicam, illud possedit triennio absque intrusione in illud, præscribere contra actorem, seu petitorem, negando illi actionem contra sic possidẽtem, vt patet ex reg. 33. Cancellariæ.

Est tamen difficultas, an ita præscribatur beneficium, vt etiam in foro conscientię possit illud retinere, quãuis postea constet non habuisse illud vero titulo, vt quoad alia generaliter dicem⁹ dif. 14.

Couarrub. regula possessor, §. 10. docet, non posse illud licitè, seu in foro conscientiæ retinere, quod etiam significant Molin. disput. 70. & Turrian. disput. 47 dub. 5. quia beneficium nequit absque Canonica institutione obtineri, vt dicitur in regula 1. in 6. ergo quando constat non fuisse sic obtentum, nequit vt proprium retineri.

Azor verò lib. 7. cap. 35. q. 9. Less. cap. 6. dub. 10. Sancius in Summa lib. 7. cap. 29. Layman. lib. 3. tract. 1. cap. 8. Nauarr. Becan. Nicol. Garcia, Rebuffus, & alij docent, posse illud licitè, seu in foro cõsciẽtiæ obtinere, & meritò quia ex vna parte, in ea regula 33. Cancellariæ Pontifex decernit, quòd pacifice possidens triennio beneficiũ cũ titulo colorato nequeat super eo beneficio molestari, & impetrationem beneficij sic possessi irritam esse, & ex altera parte nulli alij actionem ad beneficium sic possessum concedit: ergo absque dubio Pontifex vult, quòd sic possidens Beneficium, illud præscribat, & securus maneat etiam in foro conscientiæ, & id absque dubio Pontifex interrogatus responderet, quia credi non potest Pontificem tantum attendisse ad vitandas lites, & non ad vitandos scrupulos, quòd est maioris considerationis quàm lites vitare. Ad id autem requiritur bona fides in dicto possidente, vt contra Nauarr. & Sa. aduertunt Sancius, Less. Becan. Layman. & alij, quia bona fides semper requiritur ad præscriptionem, vt patet ex cap. *possessor*, de regulij iuris, in 6.

Addunt nonnulla ex authoribus nostræ sententiæ dictum pacifice possidentem, non impediri à dicta præscriptione, adhuc in foro conscientiæ, quamuis ingressus fuerit symoniace in Beneficium ignoranter, vt quando pater filio ignorãte emit Beneficium, quod non improbat Layman.

Ad rationem ergo pro Couarrub. respondemus, Quòd quamuis iure ordinario habito in ea regula in 6. Beneficium nequeat absq; Canonica institutione obtineri, bene tamen iure extraordinario habito in regula illa 33. Cancellariæ.

Disp-

Diffic. XI. Quanto tempore præscribantur seruitutes, & quanto tempore amittantur?

DIFFICVLTAS, Non procedit de seruitute qua vna persona tenetur seruire alteri personę, qualis est in mancipio respectu domini sui, quia hæc nullatenus præscribi potest ab ea altera perso na, vt sancitum est leg. fin. C. de præscriptione longi temporis : & satis conuenienter, quia durissimum est, vt quis ob errorem absq; vero titulo ex libero fiat seruus temporis diuturnitate: ę cõtra verò libertas ab ea seruitute spatio viginti annorum præscribitur à mancipio quamuis desit titulus coloratus dum adsit bona fides, vt constat ex eodem C. leg. 2. sed procedit difficultas de seruitute, seu subiectione rei, vt seruiat non domino suo, sed alij personæ, siue immediatè ipsi personæ, siue mediatè rei, videlicet, illius perso næ: seruituti autem, seu obligationi rei vnius personæ correspondet in altera persona cui est subiecta, siue immediatè, siue mediatè ius ad eam rem quoad id ad quod est subiecta, vnde præscribere seruitutem est acquirere ius in rem alterius quoad id ad quod est subiecta, & oriri in altera persona, vel in eius re obligationem, seu subiectionem ad dictum seruitium, & amittere seruitutē, est amittere dictum ius, & extingui in altera persona, vel in eius re dictam obligationem ad seruitium.

Seruitus ergo sumpta pro dicta subiectione, seu obligatione rei (de qua etiam egimus disput. 1. dif. 7.) est duplex vna personalis qua res vnius personæ est immediatè subiecta alteri personę, vt vsusfructus, & vsus rei alienæ, & habitatio in domo aliena : altera est realis qua, scilicet, res vnius est immediatè subiecta rei alteri, vt subiectio imposita prædio vnius, vt seruiat rei alterius, v. g vt seruiat currui alterius, vt hic alter posit per prædium alterius ducere currum suum: & quæ imposita est domui vnius, vt nequeat attolli, ne impediat lucem domui alterius.

Seruitus autem realis est duplex, vna vrbana, altera rustica; vrbana dicitur, quæ vrbanis prædijs debetur, vt ædificio facto ad habitãdum, & hortis ei annexis: & vrbana est duplex, vna affirmatiua, quæ est subiectio ad actum affirmatiuum, seu positiuũ, vt seruitus qua domus vnius est subiecta ad recipiẽdum stillicidium domus vicinæ alterius: & altera negatiua, quæ est subiectio ad nega-

tionem, vt seruitus qua ædificium habitationis vnius est subiectũ domui alterius, vt nõ altius attollatur ne illi impediat lucem. Seruitus rustica dicitur, quæ debetur prædio rustico, seu non vrbano, vt quæ debetur stabulo separato à domo habitationis, & quæ debetur agro, & quæ debetur actionibus non vrbanis, vt fossioni arenæ, & transitui, & pastui animalium, & similibus.

Tandem seruitus tam vrbana, quàm rustica, est duplex: vna est continua, vel quasi continua; altera discontinua. Continua dicitur illa, cuius actus, seu vsus quantum est ex se continue durat, vt seruitus aquæductus, & tigni substinendi: quasi continua dicitur illa, cujus actus, seu vsus potest continue durare, tamen actu non durat continue ex defectu causarum naturalium, vt seruitus admittendi stillicidium: discontinua verò dicitur, cuius vsus non durat continue, quia pendet à potestate hominum, vt fossio arenæ, & haustus aquæ, & iter agere.

His suppositis, circa prius conueniunt DD. seruitutem personalem in re alterius præscribi contra eũ quando adest titulus coloratus, spatio decem annorũ inter pręsentes, & viginti inter absentes: & quando non adest titulus coloratus præscribi spatio triginta annorum (eo modo quo res immobilis) vt constat ex l. fin. C. de longi temporis præscriptio. Et eodẽ modo præscribitur emphyteusis Ecclesiastica contra priuatum, quia non præscribitur dominium directum ad Ecclesiam pertinens, sed tantum vtile, quod ad eum priuatum pertineat: & seruitutem realem quęcumque illa sit, adhuc discontinuam quando adest titulus, eodem modo præscribi ac personalem, vt constat ex dict. l. fin. deficiente verò titulo colorato, dum adsit scientia, & patientia domini rei in ea permittentis seruitutem realem continuam, vel quasi continuam, pręscribi spatio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, vt constat ex l. 1. & 2. C. de seruitutibus, & ex l. 15. Castellæ tit. 31. part. 3. discontinuam verò præscribi spatio temporis immemorialis, vt constat ex l. 4. ff. de seruitutib. & ex d. l. 15. Castellæ.

Obseruandum est possessionem necessariam ad pręscribendum, incipere in seruitutibus affirmatiuis à tempore quo quis incipit vti iure, vt quãdo quis immitit stillicidium, aut ducit currum: in negatiuis verò incipere à tempore quo quis incipit vti iure impediẽdi alterum, vt quando incipit impedire alterum ne altius atollat ædificium suum.

Circa posterius conueniũt DD. omnes seruitutes reales amitti, &

ti,& extingui per non vſum,ſpatio decem annorum inter præſentes,& viginti inter abſentes, quamuis nullus adſit titulus,vt conſtat ex leg.penult. C.de ſeruitutibus,& ex leg. 16. Caſtellæ titulo 31.part. 3.eſt tamen diſcrimen inter ſeruitutes ruſticas , & vrbanas,quod ruſticæ ſolo non vſu amittuntur,ſeu extinguuntur,etiam abſque aliqua bona fide ; vrbanæ verò non extinguuntur ſolo non vſu , quia ad id etiam requiritur ,. quod dominus rei ſubiectæ efficiat bona fide aliquem actum contrarium ſeruitati rei ſuæ,vt ſi domus ſua nequeat attolli, ne impediat domui alterius lucem , non extinguit ſeruitutem domus ſuæ, niſi illam altius attollat , & bona fide ignorans ius alterius , & hic alter ſpatio decem annorum præſens taceat,vt conſtat leg.*hæc autem iura*,ff. de ſeruitutibus vrbanorum prædior.

Obſeruandum tamen eſt,quod quando ſeruitus rei eſt , vt dominus alterius rei cui illa ſeruit, vtatur iure ſuo non continue, nec quaſi continue;ſed tantum interuallis maioribus , quam interuallis dierum,v.g. ducendi aquam ex alieno fundo ſingulis menſibus, aut hebdomadis,non præſcribitur libertas ab ea ſeruitute,niſi duplicato tempore,nempè,ſpatio viginti annorum inter præſentes; ſed an etiam inter abſentes tempus ſit etiam multiplicandum ſub controuerſia eſt,quia nonnulli partem negatiuam tuentur,aliis verò affirmatiuam,& hæc ſancita eſt dicta lege 16. Caſtellæ , qua etiam ſancitur vt ſeruitus continua non extinguatur,niſi per non vſum temporis immemorialis,de quibus legendus eſt Molin. tom. 1.tract 2.diſp.66.& 70.

Difficult. X. Quanto tempore præſcribantur debita,actiones,& legata,& fideicommiſſa.

CONVENIVNT Primò DD.debita ciuilia rerum mobilium & etiam immobilium idest obligationes ciuiles ad reddendum rem, ſiue mobilem,ſiue immobilem,præſcribi à debitore cõtra creditorem quaſi acquirendo ius non ſoluẽdi,& actiones,ſeu iura ad illa debita petẽda extingui in creditore,ſpatio triginta annorum,vt conſtat ex l.*ſicut in rem*,C.de præſcription. 30. vel 40.annorum , excipitur debitum hypothecarium in debitore , & actio hypothecaria in creditore contra rẽ hypothecatã,quod hæc actio creditoris extinguitur,& debitum,ſeu obligatio debitoris præſcri-

bitur à debitore, seu extinguitur spatio quadraginta annorũ quando res hypothecata debitoris possidetur ab ipso debitore, vel ab hæredibus illius: & quando possidetur ab extraneo, vt si ei vendita fuit, extinguitur actio creditoris, & debitum debitoris, spatio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, vt constat ex leg. *cum notissimi*, C. de præscript. 30. vel 40. annorum, & ex l. 1. & 2. C. si aduersus creditorem. In Regno tamen Castellæ actio famuli ad petẽdum debitum ob famulatum (Hispane soldada) extinguitur triennio à die quo à famulatu desistit, vt constat ex l. 9. lib. 4. nouæ Recopil. tit. 15. quod etiam in eadem lege extenditur ad actiones officialium mechanicorum, & aliorum ob debita ex rebus ab ipsis venditis, vel factis ab ipsis.

Conueniunt secundò DD. actionem, seu ius ad accusandum crimen, extingui præscriptione viginti annorum, vt constat ex lege *querela*, C. de falsis. Et idem videtur dicendum de iure iudicis ad procedendum, seu inquirendum ex officio, vt contra Panormitanum, & Rodriguez, & Lesium existimantes non extingui adhuc spatio quadraginta annorum, aduertunt Iulius Clarus libr. 5. sentent. §. fin. q. 51. Layman. tract. 1. ca. 8. & alij, quia inquisitio iudicis succedit loco accusationis.

Excipiunt tamen DD. actionem ad accusandum crimen hæresis, quia hæc præscriptione extinguitur spatio quinque annorum, vt patet ex lege *quinquennium*, ff. ad legem Iuliam, de adulter. & ex l. adulteri, eodem tit. non tamen extinguitur ad effectum petendi diuortium, vt constat ex cap. admonere, 33. quæstio. 2. & etiam actio ad accusandum crimen peculatus (Hispane hurto de cosas publicas) extinguitur spatio quinque annorũ, vt aduertit Layman. & deducitur ex leg. 7. ad iunta glos. ff. ad legem Iuliam peculatus, & eodem temporis spatio extinguitur actio ad reclamandum cõtra professionem, vt significatur in Tridentino Sess. 25. de Regularib. cap. 19.

Conueniunt tertiò DD. legata, id est, quę testamento directè relinquuntur alicui, vt quando dicitur lego Petro cẽtũ, & fideicõmissa, id est, quæ indirectè relinquuntur alicui committendo fidei hæredis dationẽ eorum, vt quando dicitur volo, quod hæres meus det Petro centum, non præscribi contra legatarium, nec contra fideicommissarium, nisi spatio triginta annorum, vt significatur in l. vlt. C. communia de legat. & idem est de maioratu.

Addunt Couarr. regula possess. 3. §. 3. & Les. cap. 6. dub. 13.

hoc

hoc ſpatium triginta annorum, requiri ad dictam præſcriptionẽ, quando legatum, aut fideicommiſſum, aut maioratus, qui ad alterum peruenire debebat, fuit alteri traditus ab eo, qui illi alteri tradere debebat ob præſumptionem malæ fidei in immediatè tradente, non verò requiri, ſed ſufficere ordinarium ſpatium temporis quãdo traditus fuit ab aliquo tertio, qui bona fide accepit ab eo, qui illum debebat alteri tradere:

Diffic. XI. Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem contra Principem?

CIRCA Quam contra nonnullos primo exiſtimamus, vt optimè Couarrubias regula poſſeſſor, part. 2. §. 2. Molina diſput. 74. Turrian. diſp. 57. dub. 7. & Bonacin. diſput. 1. q. vltim. pũcto 2. §. 2. ad præſcribendum bona Principi cõpetentia, nõ vt Principi, ſeu ratione coronæ, ſed vt perſonæ priuatæ ex patrimonio, aut aliunde quæcumque illa ſint, ſufficere illud ſpatium temporis, quod ſufficit ad præſcribendum contra priuatum: quia nullo iure tribuitur Principibus priuilegium aliquod quo ad dicta bona: ad præſcribendum verò quæcunque bona Principi competentia, vt Principi, ſeu ratione coronæ requiri ſpatium centum annorum: quia ad præſcribendum quæcunque bona ciuitatis etiam ipſi vendita, aut donata, aut legata, requiritur dictum ſpatium, bona autem Principis vt Principis, cenſentur eſſe Regni, ſeu Coronæ, & non tantum alicuius ciuitatis vtpotè illi competentia, vt capiti Regni.

Deinde exiſtimamus, vt optimè Molina diſput. 73. Couar. Anton. Gomez, & alij, ad præſcribendum bona debita fiſco ſæculari Principis, quæ ſunt iam ipſi tradita, & ab ipſo accepta ad minus requiri ſpatium quadraginta annorum, vt conſtat ex leg. *omnes*; & l. *comperit*; C. de præſcript. 30. vel 40. annorum: ad præſcribendum verò ea, quæ debita ſunt fiſco ob patratum crimen aliquod nondum ei tradita, non ſemper requiri tantum temporis ſpatium, quia ad præſcribendum debitum fiſco eo quod quis nõ ſoluit vectigal, qui eo ipſo debet rẽ, ex qua debebat ſoluere vectigal, ſufficit quinquennium, vt conſtat ex leg 2. C. de vectigalib. & commiſsis. Et idem credimus ſufficere ad præſcribendum debitum fiſco ob crimen læſæ Maieſtatis, imò ob quodcumque aliud crimen.

Exce-

Excipimus tamen contra nonnullos crimē hæresis, quia debitū ob talem crimen etiam si antiquitus iure ciuili tantum requireret quinquennium, iam tamen iure Canonico requirit spatiū quadraginta annorum, quod est verum quamuis debitum, ob tale crimen sit debitum Fisco sæculari, vt in Hispania debetur ex priuilegio Romani Pontificis, quia Fiscus sæcularis quoad hoc gerit vicē Ecclesiastici, & etiam sufficit dictum spatium quamuis id debeatur Fisco Romanæ Ecclesiæ, vt constat ex cap. 2. de præscript. in 6. vbi id specialiter decernitur de debito ob crimen hæresis: quia ad præscribendum alia bona, & debita contra Fiscum Romanæ Ecclesiæ, quamuis nondum ei tradita, requiruntur centum anni, vt constat ex cap. cùm *nobis*, de præscriptionib. Contra Fiscum verò Ecclesiæ inferioris requiruntur, & sufficiunt quadraginta anni, ad præscriptionem quorumcunque bonorum, quamuis non sint illi tradita, vt constat ex cap. ad *aures*, & ex cap. de *quarta*, de præscriptionibus.

Addimus, quòd bona Fiscus sæculari debita morte alicuius sine legitimis hæredibus nondum à Fisco occupata, & quorum facta fuit denuntiatio, præscribuntur contra eum à possidente illa quadriennio, siue adsit titulus, siue non, vt constat ex leg. 1. C. de quadriennali præscript. & ex leg. *intra quatuor*, ff. de diuersis, & temporalibus præscript. Est tamen ad hoc necessaria bona fides à præscribente, quando verò non fuit facta denuntiatio eorum bonorum Fisco, si adsint titulus, & bona fides in præscribente, vt si bona fide ea emit, tunc ea bona præscribuntur, sicut bona priuatorum, nempè, mobilia spatium trium annorum, & immobilia spatio decem annorum inter præsentes, vt constat ex leg. *quamuis*, ff. de vsucap. si verò possideantur bona fide, absque titulo, præscribuntur spatio triginta annorum: & idem est de quibuscumque alijs bonis Fisco debitis quacumque alia ratione, quando non sunt Fisco tradita, vt constat ex leg. *in omnibus*, ff. de diuersis, & temporalibus præscript. & ex leg. 2. 3. & 4. ff. de requirendis Reis, excipimus nisi aliud sit in iure exceptum, quod minori spatio temporis aduersus Fiscum præscribatur, vt dicitur in leg. 3. de requirendis reis: ita Molin. disput 73 & Turrian. disputat. 47. dub. 7.

Diffic. XII. Quando præscriptio non procedit, aut dormit, aut interrumpitur?

IN Primis præscriptio dicitur, non procedere, seu non currere, quando nondum inchoata est. Secundò dicitur, dormire, seu sopiri, quando postquam inchoata est, ita cessat pro aliquo tempore, vt eo transacto denuo currat, seu procedat, & continuetur cũ priori tempore in quo præcessit, seu cucurrit. Tertiò, dicitur interrumpi, quando postquam inchoata est, omnino cessat, seu iterum non procedit, aut quando non omnino cessat; sed iterum procedit, tamen non continuatur cum priori, sed necessarium est postquam cessanit percurrere totum tempus ad præscriptionem necessarium: potest autem interruptio fieri dupliciter, vel naturaliter quando, scilicet, interrumpitur ex defectu alicuius ex necessarijs ad præscriptionem, vel ciuiliter quando, scilicet, interrumpitur ratione alicuius actus iuridici.

Hoc ergo supposito circa difficultatem existimamus, primò, præscriptionem non procedere, seu non incipere, quando deficit aliquid ex requisitis ad inchoandam præscriptionem, vt quando deficit possessio, aut bona fides, aut titulus quando est necessarius, aut quando persona non potest præscribere, vt Religiosus professus: poterit tamen procedere, seu incipere quãuis res nequeat simpliciter alienari, vt fundus dotalis, & maioratus, & legatum, & fideicommissum, si adsit bona fides, & non sit ignorãtia iuris, vt cõtra nonnullos docent Molina disp. 79. & alij.

Secundò, existimamus præscriptionem dormire, seu sopiri, dum adest bellum, aut pestis: & ob bellum, aut pestem non dicitur ius, aut homines alio fugiunt, aut dum bona fiunt pupilli dum ea ætas durat.

Tertiò, existimamus præscriptionem interrumpi, seu discontinuari naturaliter, quando postquam legitimè inchoata est incipit deficere aliquid ex necessarijs ad præscriptionem, vt quando incipit deficere possessio, aut bona fides: quod credimus verum, quãuis quod deficit, iterum redeat, etiam si quod deficit, & iterum redit, sit bona fides, vt contra Bonacinam, & contra Filliucium, & contra alios aduertunt Molina disputatione 78. Turrian. disputat. 47. dub. 9. Couar. Panorm. & Syluest. quia bona fides non minus requiritur ad continuandam præscriptionem, quam ad eam inchoan-

inchoandam, ergo sicut nequit inchoari absque bona fide, nec poterit absque ea continuari: ac proinde bona fide deficiente, præscriptio interrumpitur, seu discontinuatur.

Quartò, existimamus præscriptionem interrumpi ciuiliter, quando per aliquem actum iuridicum interpellatur, vt per litis cótestationem, vel citationem; excipimus triennalem præscriptioné, quæ neutro ex his interrumpitur, tamen si intendens prescribere, condemnetur, debet restituere rem quam inteudebat præscribere. Et quamuis decenalis, & bicennalis (quæ dicuntur præscriptiones longi temporis) & triennalis, & reliquæ (quæ dicuntur longioris, & longi temporis) litis contestatione interrumpantur, non tamen sola citatione (nisi quando contra ius fisci) nec semper litis contestatione, quia non interrumpitur quando actor succumbit in lite, vel quando deserit litem, vel quando litem contestatur animo nó prosequendi litem, & non interrumpendi præscriptionem.

De his legendi sunt Couarrub. reg. possessor, p. 2. §. 12. Molina disp. 78. & Syluest. verb. præscriptio 1.

Diffic. XIII. Quæ res præscribi non possint?

IN Primis sunt aliqua, quæ nullo modo præscribi possunt, nempè, exemptio ab obedientia superioris, & res vsibus publicis deputatæ, vt pons, forum, via publica, & homo liber, vt fiat mancipium, & res pupilli tam mobiles, quàm immobiles, vt constat ex l. *sicut in rem*, C. de præscription. 30. vel 40. annor.

Secundò, sunt aliqua, quæ quamuis aliqua ratione præscribi nequeant, possunt tamen alia ratione, népè, limites, seu fines Prouinciarum, Episcopatuũ, & Parochiarum, qui præscribi non possunt quando sunt noti, seu de eis constat: benè tamen quando non sunt noti: & res sacræ, seu Ecclesiasticæ, vt sunt decimæ, beneficia, & iurisdictio in Clericos, quæ nequeunt à laicis præscribi, quia earum sunt incapaces, benè tamen ab Ecclesiasticis. Et res indiuisibiliter communis pluribus, à nullo eorum potest prescribi, quia nullus eorum eam possidet solo suo nomine, sed etiam reliquorum quibus etiam est cómmunis.

Tertiò, sunt alia quæ in iure dicuntur, non posse præscribi, quia non præscribuntur tempore ordinario, vt res furtiua, & res fisci, quia hæc præscribitur spatio quadraginta annorum, & illa

30. etiam si qui rem à fure accepit, acceperit bona fide. Et ea quæ nequeunt simpliciter alienari, vt fundus dotalis, maioratus, legatum, & fideicommissum: quia si eorum præscriptio inchoata erat antequam essent talia, seu antequam talia onera contraherent, possunt tempore ordinario præscribi absque discontinuatione: si verò inchoata non erat antequam essent talia nequeunt præscribi, nisi spatio triginta annorum: imò sunt qui existiment non posse nisi spatio temporis immemorialis.

De hac re quæ maximè pertinet ad iuris peritos legendi sunt Couarrub. reg. possessor, part. 2. & 3. Molina disput. 79. Les. ca. 6. dub. 15. & Layman. lib. 3. tract. 1. c. 8.

Difficult. XIV. Vtrùm præscriptio etiam habeat vim in foro conscientiæ?

EX Decisione huius difficultatis constabit, an res legitimè præscripta, sit restituenda, vel non, quando post legitimam præscriptionem constet fuisse alienam: quia si præscriptio re ipsa, & in foro conscientiæ habet vim, non est ex obligatione restituenda, est verò restituenda; si præscriptio non habeat eam vim.

In primis ergo Rosella verbo, *præscriptio*, & alij absolutè docēt præscriptionē quamuis legitimam, nullam vim habere in foro conscientiæ; quia aliàs præscribens locupletaretur cùm aliena iactura, quod est contra regulam, *locupletari*, de regul. iur. in 6.

Secundò, alij sub distinctione docent, præscriptionem habere vim in foro conscientiæ, quando, scilicet, res fuit titulo colorato oneroso acquisita, vt emptione: non verò quando titulo gratioso vt donatione.

Tertiò, Adrian. in 4. quæst. 2. de præscriptione, & Medina de restitut. quæst. 18. sub alia distinctione docent, præscriptionem habere vim in foro conscientiæ, quando, scilicet, dominus Rei contra quem fit præscriptio, fuit negligens culpabiliter in inquirenda, aut reparanda re sua; non verò quando non fuit culpabiliter negligens, vel quia inuincibiliter ignorabat rem esse suam, vel aliter: quia præscriptio est instituta in pœnam dictę negligentiæ domini: & in id inclinant Scotus in 4. distinct. 15. q. 2. Gabr. q. 14. art. 1. & Maior q. 11.

Quar-

dominium in præscribentem contra dominum priorem rei, nihilominus iure ipso nonnullis conceditur restitutio in integrum aduersus præscriptionem, nempe, quod finita præscriptione, is qui præscriptione alterius amisit rem suam, posit authoritate iudicis restitui in dominium, & possessionem illius.

Conceditur ergo restitutio in integrum minoribus, quamuis præscriptio fuerit quadraginta annorum, & quamuis id sciuerint, & resistere potuerint. Et eadem restitutio extenditur ad Ecclesias, & ad alia pia loca, & ad Rempublicam, & ad communitatem cuiuscunque oppidi, & ad Vniuersitatem studiorum, & ad rudes, & ad fœminas, & ad Principes quoad bona principatus, & fisci, & ad absentes causa Reipublicæ, & ad constitutos in vinculis, aut in potestate hostium, aut ad alio legitimo impedimento, ita detentos, vt non potuerint res suas repetere: & etiam conceditur maioribus ætate, quando præscriptio fuit decem, vel viginti annorum, dum probent omnimoda ignorantia, aut saltem probabili ipsorum factam fuisse præscriptionem: conceditur autem omnibus prædictis dicta restitutio per quatuor annos postquam sciuerint factam fuisse præscriptionem cõtra ipsos. De hac re legi possunt Molin. disp. 8. & 574. Les. dub. 18. Layman. tract. 1. c. 8. Bonacina de cõtract. disp. 1. punct. vlt. & Filliucius tract. 23. c. 4.

DISPVTAT. III. DE IVSTITIA.

Dif. I. Quod sit obiectum iustitiæ in genere?

QVAMVIS Iustitia latè, sumatur generaliter pro quocunque opere bono, seu honesto in quo sensu Matth. 5. dicitur: *Nisi abundauerit iustitia vestra*, idest, opera vestra bona, strictè tamẽ, sumitur specialiter pro vna ex virtutibus moralibus cardinalibus, & de ea vt sic agimus in hoc tractatu.

Conueniunt ergo DD. ius sumptum specialiter pro æquali vnius cum altero, rei videlicet, cum re, vel proportionis cum propositione (cuius mentionem fecimus disputation. 1. diffic. 1.) esse obiectum iustitiæ strictè, & specialiter sumptæ, ita tamen, vt æquale ipsum, quod actione ipsa exteriori iustitiæ constituitur reddẽdo rem pro re, aut reddendo rem aliàs debitã sit obiectũ immediatũ,

seu proximum ipsius actionis exterioris, nempè, ipsius redditionis, & sit obiectum mediatum, seu remotum ipsius affectus efficacis reddendi, & hæc actio exterior reddendi sit obiectum immediatum, seu proximum dicti affectus.

Dictum autem æquale est obiectum iustitiæ, & dicta actio reddendi illud, etiam est obiectum iustitiæ, & neutrum est obiectum formale, sed tantum est materiale, quia formale est, quodcumque motiuum non impediēs honestatem, seu bonitatem virtutis iustitiæ in dicto affectu, & in dicta actione exteriori, qualis est ipsa bonitas iustitiæ mouens, aut quodcumque aliud motiuum non malū quamuis tantum indifferens quo operans mouetur ad dictum affectum efficacem, & ad dictam actionem exteriorem.

Obseruandum est ad iustitiam, non tantum pertinere dictum affectum prosequutionis, quo amplectimur æquale, sed etiam affectum fugæ quo nolumus inferre inæquale, quia ad eandem virtutē pertinet prosequutio obiecti, & fuga contrarij.

Difficul. II. Vtrùm vt æquale sit obiectum iustitiæ strictæ, & particularis, debeat esse alteri debitum?

CONVENIVNT DD. vno, aut altero excepto vt æquale sit obiectum iustitię requiri, quod sit alteri debitum ab ipso operante, obligatione orta ex iure alterius, vel potius obligatione, seu debito correspondente iuri alterius, & in primis requiritur, quod sit debitum, quia qui ex gratitudine confert alicui tantam pecuniam quantam ab eo liberaliter accepit, non efficit actum iustitiæ; sed tantum gratitudinis, vt patet, & non ob aliam rationem nisi quia illud æquale non erat debitum ei, qui primo contulit. Deindè requiritur, quod istud æquale debitum, sit debitum ex iustitia, seu debito, & obligatione correspondente iuri alterius, cui datur: quia ad actum iustitiæ non sufficit, vt id quod datur, debeat dari ex misericordia, nec ex Religione ratione voti, vel iuramenti, vt patet, nec ex alio titulo quam iustitiæ. Hoc autem debitum ex iustitia facilè est inuenire in quocumque actu constituēte æqualitatem iustitiæ adhuc in actuali commutatione vnius rei pro alia, quia quāuis tunc non sit obligatio commutandi, est tamē obligatio iustitię seruandi æqualitatem in ea commutatione.

Obser-

Obseruandum est, quod quamuis iustitia aliquando per accidẽs & minus principaliter respiciat ipsum operantem moderando in eo passionem, seu nimium affectum inclinantem ad iustitiam, semper tamen, & per se, & magis principaliter, & sufficienter respicit alterum, operando circa illum constituendo æqualitatem illi debitam, in quo iustitia, & eius partes subiectiuæ, & potestatiuæ differunt ab alijs virtutibus moralibus cardinalibus, nempè, à temperantia, & fortitudine, quod hæ & earum partes subiectiuæ, & potestatiuæ, non versantur circa alterum, sed circa ipsum operantẽ moderando in ipso passiones contrarias, & concurrendo ad operationes proprias ipsarum, de quo diximus tractat. de virtutibus, difficult. 5.

Diffic. III. Vtrùm medium iustitiæ sit medium rei?

CONVENIVNT DD. medium iustitiæ esse medium rei, pro cuius intelligentia, & confirmatione obseruandum est, quod non solum aliæ virtutes morales, nempè, temperantia, & fortitudo in mediocritate consistunt, sed etiam iustitia, & non quomodocunque, sed obiectiuè, quia, scilicet, earum obiectum, seu materia est medium inter duo extrema, alterum per defectum, & alterum per excessum, & hoc posterius in iustitia nõ semper est vitiosum, quia aliquando est virtutis liberalitatis.

Est tamen discrimen inter temperantiam, & fortitudinem ex vna parte, & inter iustitiam ex altera, quod medium in obiectis, seu materijs temperantiæ, & fortitudinis non est fixum, seu determinatum re ipsa, seu ex natura rei, sed attentis circunstantijs in ordine ad operantem assignatur per rationem, & prudentiam: quia quod modo est alicui obiectum temperantiæ, nempè, tanta quantitas cibi, postea erit, aut antea erat obiectum intemperantiæ, & quod modo est obiectum fortitudinis, postea erit, aut antea erat obiectum audaciæ, aut timiditatis, & ideò medium harum virtutũ non dicitur medium rei, sed rationis: medium verò in obiecto, seu materia iustitiæ est re ipsa determinatum, seu fixum, nempè, id quod re ipsa debetur: medium ergo, seu mediocritas iustitiæ meritò dicitur medium rei, de quo latius dicimus tractat. de virtutibus, difficult. 7.

Diffic. IV. Quid sit iustitia?

IVSTITIA In genere definitur, *Quod sit constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi*, quam definitionem tradit Vlpian. leg. 10. de iustit. & iure, & cōmuniter recipitur à DD. quibus verbis definitur iustitia in communi nō pro habitu, sed pro actu: imò tantum pro actu interiore, ex quo facilè colligi potest definitio iustitiæ in communi pro habitu.

Duplex est ergo actus iustitiæ in communi, alter interior, nempè, affectus efficicax tribuendi alteri debitum ratione iuris iustitiæ in eo existentis, affectus enim efficax est firmus, & constans, & alter est actus exterior quo alteri redditur dictum debitum, in quo actu quamuis effectu morali ipsius affectus efficacis, primario reperitur honestas, seu bonitas iustitiæ, & secūdario in eo affectu efficaci, vt generaliter dicimus tract. de bonit. & malit. disp. 3. dif. 2.

Ex quo deducimus (quod etiam diximus dif. 2.) actum iustitiæ esse ad alterum, & nullum posse circa se ipsum iustè, nec iniustè operari, quamuis possit peccare peccato iniustitiæ contra se ipsum factæ suadendo eam alteri absque remissione debiti, & operari benè bonitate iustitiæ suadendo alteri actum iustitiæ sibi debitum.

Addimus actum iustitiæ ex suo genere, seu obiecto esse honestum, seu bonum, quia rationi consonum est cuique tribuere suum ius.

Reliqua quæ communia sunt actibus iustitiæ, & actibus aliarū virtutum, facilè poterunt actibus iustitiæ accommodari.

Diffic. V. Vtrùm sit habitus iustitiæ?

SVPPONIMVS Contra nonnullos ad affectum quo quis vult efficaciter amplecti iustum sic in communi non descendēdo ad particularem materiam, non esse habitum: quia habitus tantum dantur ad superandam aliquam difficultatem, & in eo affectu eliciendo nulla reperitur difficultas, quia nō versatur circa particularem materiam in qua sola est difficultas, & ex qua materia refundenda erat difficultas in ipsum affectum: ac proinde ex frequētatione dicti affectus, nulla generabitur facilitas, quia hæc tātum acquiritur, vincendo difficultatem aliquam.

Quod

Quod si ad eum affectum non datur habitus, nec datur ad actũ externum illius affectus, quia eius actus est quid in communi, quod nequit exerceri: & quamuis talis actus posset exerceri, ad eum nõ daretur habitus, quia in eo actu externo nõ esset difficultas aliqua vincenda, eo ipso quod non est in affectu efficaci illius.

Sed quamuis ad dictũ affectum, & ad actum in communi, quem habet pro obiecto non detur habitus, datur tamen ad actus externos in particulari, & ad affectus eorum, imò ad minus est duplex, alter circa affectum, & actum externum, quo constituitur æquale cõmutatiuum, seu Arithmeticum, & alter circa affectum, & actum externum, quo constituitur ęquale distributiuum, seu geometricũ. Vtrumuis autem habitum esse virtutem, & peculiarem, & vnam ab altera essentialiter distinctam dicemus dif. seqq.

Circa subiectũ horũ habituum, & virtutum iustitiæ dicẽdũ est esse voluntatem, & non appetitum sensitiuum, quia obiectum eorũ habituum, & virtutum est bonum in ordine ad alterum, quod non attingit appetitus sensitiuus; sed tantum voluntas, de quo dicim᷑ tract. de virtutib. dif. 8.

Diffic. VI. Quod sit obiectum, & quis actus iustitiæ commutatiuæ?

EX Supra dictis constat obiectum materiale iustitiæ in communi, & in genere esse iustũ, seu æquale sic in genere alteri debitũ ratione iuris in eo altero existentis: æqualitas autẽ, quæ potest esse sic debita, est duplex, altera est vnius ad vnum, idest, inter rẽ vnius & rem alterius, vt inter datũ, & acceptũ, vel inter solutionem, & debitum, & hæc æqualitas principaliter reperitur in commercijs, & in reparatione damni illati, & appellatur Arithmetica: altera æqualitas est vnius ad plures, idest, ęqualitas non inter rem, & rem absolutè, sed vel inter duas proportiones, quæ appellatur Geometrica, vel saltem inter rem quasi distribuendã, & inter ius alterius, & appellatur quasi Geometria, de qua postea dif. 10.

Hoc ergo supposito, circa prius conueniunt Theologi, & Philosophi, obiectum iustitiæ commutatiuæ esse illud æquale vnius ad vnum absolutè: quia ad iustitiam commutatiuam sicut & ad veram commutationem requiritur redditio vnius rei pro altera, vel pro debito alteri absolutè, non comparato cum alijs.

Ex quo circa posterius constat actum iustitiæ commutatiuæ esse constituere dictum æquale, seu dictam æqualitatem: quod potest duobus modis fieri: vno modo eam æqualitatem illessam negatiuè seruando, seu eam non lædendo, vel eam positiuè exequendo, vel contrariam inæqualitatem fugiendo: altero modo inæqualitatem, seu iniustitiam antea factam ad æqualitatem reducendo.

Addimus, debitorem pro damno illato offerentem æqualem satisfactionem creditori, ad amplius non teneri, & creditorem nō posse iure aliquid aliud exigere, quia si satisfactio verè est æqualis secundùm regulas iustitiæ, aufert omnem inæqualitatem, seu iniustitiam factam, & eam reducit ad æqualitatem, vltra quod, nihil superest debitori faciendum erga creditorem, & creditor nequit iure non esse contentus.

Quod si ille cui sua res est destructa, aut furto ablata, v. g. pallium, potest, quamuis ei offeratur pretium, seu valor æqualis, conqueri, & non esse contentus eo pretio est, quia redditio pretij non est plena, seu æqualis satisfactio pro pallio destructo, vel ablato: quia dominus pallij non tantum habet dominium, seu ius in pallio, sed etiam habet ius, vt non cogatur esse absque illo, nec illud vendere, nec aliter commutare, ac proinde quamuis valor pallij sit sufficiens satisfactio pro dominio pallij, non tamen est satisfactio pro altero iure violato, quod habet dominus pallij, vt non cogatur esse absque illo, nec illud vendere, nec aliter commutare, ac proinde quamuis valor pallij sit sufficiens satisfactio pro dominio pallij, non tamen est satisfactio pro altero iure violato. Vnde si pallium extet non sufficit pretium illius offerre creditori, sed necessarium est, reddere illi pallium, quod si non extet, quia fuit destructum, nequit illi fieri plena satisfactio, quia tantum potest fieri pro dominio pallij offerendo pretium æquale ipsi dominio, & non potest pro illo alio iure, quia iniuriæ contra istud ius, non potest satis fieri, nisi pallium ipsum reddendo creditori: ac proinde quando reddi non potest sufficit, quod reddatur pretium, vt quantum tunc possit, fiat satisfactio.

Reliqua quæ communia sunt obiecto, & actui vtriusque dictæ iustitiæ particularis, facilè possunt obiecto, & actui huius iustitiæ commutatiuæ accommodari.

Disp-

Difficult. VII. Vtrùm iustitia commutatiua sit virtus, & peculiaris?

SVPPONIMVS, Ad actus iustitiæ commutatiuæ dari habitũ, quia in eis actibus exercēdis reperitur difficultas, ad quam vincendam acquiritur habitus.

Hoc supposito, circa prius conueniunt DD. dictum habitum iustitię esse verè virtutem, quia versatur circa actus verè honestos, quia honestum est, & rationi consonum dare vnicuique, quod ipsi est debitum ratione iuris in eo existentis.

Circa posterius etiam conueniunt, hanc virtutem iustitiæ cōmutatiuæ esse peculiarem, & distinctam ab omnibus alijs virtutibus, quia habet peculiarem, & distinctam materiam, nempè, constituere æquale Arithmeticum, alteri dicto modo debitum, quæ habet peculiarem, & distinctam difficultatem, & honestatem, vt patet: sed an distinguatur essentialiter à iustitia distributiua dicemus difficul. 12.

Difficult. VIII. Inter quos possit iustitia commutatiua reperiri?

IN Primis conueniunt communiter Doctores, nostri ad Deum non esse iustitiam commutatiuam, sicut nec veram commutationem, tum quia nihil possumus reddere Deo, quod non sit ipsius, tum etiam, quia quod ei reddimus, nullius est ipsi vtilitatis & emolumenti: nec posse esse in iustitiam oppositam commutatiuæ, quia nullo nostro opere, nec omissione potest damnificari, seu lædi, nec Dei ad nos posse esse iustitiam commutatiuam, nec iniustitiam commutatiuæ oppositam: quia in nobis nullum est ius respectu Dei, ratione cuius ipse sit debitor nobis, & teneatur aliquid nobis dare, vel aliquid in fauorem nostri omittere, nec contra quod efficiat, si nobis noceat.

Inter patrem autem, & filium habentem bona propria qualia potest habere filius adhuc, non emancipatus, potest esse iustitia commutatiua in ordine ad contractus, sicut & vera commutatio

bonorum: quia filium esse genitum à patre nullo iure impedit commutationem bonorum inter ipsos, sicut nullo iure impeditur omnino filius ad acquirendum dominium bonorum: non tamen inter patrem, & filium non habentem bona propria, ex eo solum, quod caret bonis quæ possit cum patre commutare: & nō solum potest inter patrem, & filium esse iustitia commutatiua; sed etiam iniustitia commutatiuæ opposita, quia filius potest inferre parenti iniustitiam bona parentis subrripiendo, & è contra parens filio bona filij si ea habeat subrripiendo, nō tamen iniustitiam omnino arctam & perfectam, quia bona parentis quodam modo pertinent ad filium, & è contra: ac proinde maior quantitas furti requiritur in furto inter eos, vt sit peccatum mortale, quam in furto inter extraneos: & quamuis filius subrripiens bona parentis, & è contra parens bona filij subrripiens, peccet contra iustitiam, non tamen cōtra pietatem, quia quoad hæc bona id non est contra peculiare aliquod ius, aut quasi ius parentis respectu filij, nec è contra: quia quoad hæc bona non est ius, seu quasi ius parentis respectu filij, nec è contra. Filius tamen inhonorans contumeliosè parentem, aut eum vulnerans, aut occidens, & è contra parens filium, præter peccatum iniustitiæ, quod etiam committitur inter extraneos, etiā peccat peccato impietatis cōtra pietatem: peccat autem peccato iniustitiæ, quia in eis actibus est integrum obiectum iniustitiæ inter parentem, & filium sicut inter extraneos: deinde etiam peccat peccato impietatis, quia in eis actibus obiecto iniustitiæ accedit obiectum impietatis, quia quoad ea bona dictis actibus læsa, est inter eos peculiare ius, & peculiare debitum pietatis (sicut in accessu carnali filij ad matrem præter peccatum luxuriæ contra castitatem, est etiam peccatum incestus, seu impietatis, & irreuerentiæ) & in eis actibus non solum in filio est peccatum impietatis, seu irreuerentiæ contra patrem, sed etiam in parente contra filium; quia in filio etiam sunt, & continentur ascendentes parentis, & eorum natura conseruatur, quibus parens tenetur reuerentiam adhibere in filio.

Inter mancipium etiam, & dominum potest esse iustitia commutatiua in ordine ad contractus: si aliàs mancipium habeat bona propria, vt verè potest, vel donatione ipsi à domino omnino absolutè facta, vel pacto inter eos facto, vt singulis diebus, vel annis certam summam domino tribuat, & reliquum lucri sibi reseruet, vel aliqua alia via: quia seruitus quæ in mancipio admittit proprie-

tatem

etatem bonorum eo ipso non impedit iustitiam in commutatione eorum cum domino, & tunc ex parte vtriusque poterit esse iniustitia contra alterum commutatiuæ opposita in subrreptione bonorum: & semper poterit esse ex parte mancipij contra dominum.

Circa honorem verò, & circa corporis bona, eadem proportione potest esse iniustitia ex parte vtriusque contra alterum: quia tā seruus, seu mancipium inhonorans, vel vulnerans, vel occidens dominum; quam dominus inhonorans, vel vulnerans, vel occidēs seruum, peccat peccato iniustitiæ; quia quoad hæc bona etiam mancipium est sui iuris, & mancipium præter dictum peccatum iniustitię contra dominum, etiam peccat contra obseruantiam erga dominum, sicuti filius similibus actibus contra parentem, & parens cōtra filium, non tantum peccant peccato iniustitiæ, sed etiam impietatis contra pietatem, vt nuper dicebamus.

Inter maritum verò, & vxorem certius est posse esse iustitiam commutatiuam, & etiam iniustitiam ei oppositam, non solum circa bona corporis, & circa honorem, vt patet, sed etiam circa diuitias, & bona fortunæ; quia etiam vxor habere potest proprietatem, seu dominium bonorum: imò, & liberam administrationem aliquorum: ac proinde non solum vxor potest inferre iniustitiam marito subripiendo bona illius, imò, & propria quorum maritus habeat administrationem, sed etiam maritus vxori destruendo bona vxoris, aut disponendo de bonis vxoris quorum ipsa etiam habeat administrationem.

Diffic. IX. Vtrùm in commutatiua iustitia semper sit re passum?

CIRCA Hanc rē nequit inprimis negari, posse esse actum iniustitiæ cōmutatiuæ absque re passione, vt quando quis rē à se alteri promissam ei confert: quia tunc etiam si qui eam rem cōfert, patiatur, quia amittit, seu à se abdicat dominiū, vel vsum rei promissum, non tamen est re passio, quia ille cui confertur, nō patitur quia nihil amittit, quia nihil retribuit tribuenti.

Deinde negari nequit in vera cōmutatione iusta esse passionē, & re passionē, quia in ea verè reperitur tributio, quæ est passio, & etiā reperitur retributio, quę est re passio: quia in ea cōmutatione

reperitur mutua datio, quia datur vnũ pro alio dato, v. g. qui emit rẽ dat pecuniam eã amittendo in quo patitur, & ille à quo emitur dat rem venditam, eam amittenndo, in quo vendens repatitur, si emens prius dat pecuniam, vt in rigore est faciendum: quia re passio idẽ est in præsenti materia, quod posterior abdicatio alterius rei datæ ei à quo prius est data altera res, & hæc prior datio dicitur passio, sicut posterior datio alicuius rei facta ei, qui prius dedit alteram rem, dicitur retributio, & prior datio ab eo facta dicitur tributio.

Difficult. X. Quod sit obiectum, & quid sit actus iustitiæ distributiuæ?

CIRCA Prius Aristot. 5. ethicor. cap. 3. æqualitatem debitam (quæ est obiectum iustitiæ in rigore) diuidit in æqualitatem rei ad rem vt inter rem venditam, & pretium, quæ dicitur Arithmetica, & circa hanc æqualitatem conueniunt DD. cum Aristotele versari iustitiam commutatiuam tamquam circa obiectum, vt diximus dif. 6. & in æqualitatem vnius proportionis cum altera, qualis est æqualitas, quæ reperitur inter bona proportionabiliter distribuenda ex vna parte, & ex altera inter proportionem meritorum pluriũ personarum, quibus facienda est distributio, quæ æqualitas dicitur Geometria; quia est proportio proportionum Et circa hanc æqualitatem conueniunt DD. cum Aristot. versari iustiam distributiuam; & ad hanc æqualitatem reducitur, & ei æquiualet æqualitas, quæ ex vna parte est inter rẽ, & ex altera inter proportionem meritorum plurium personarum, vt contingit quando vna res datur digniori ex pluribus, non attenta æqualitate inter rem datam, & inter dignitatem personæ, cui datur considerate absolute, sed attenta maiore dignitate personæ, cui datur comparatæ cum alijs personis, quæ dicitur æqualitas semigeometrica, quia comparatur proportio meritorum nõ cum altera proportione, sed cum re quæ datur, & hæc æqualitas, vt sic non est obiectum iustitiæ commutatiuæ, quia tunc non commutatur ea proportio cum re data, sed est obiectum distributiuæ, quia tunc quasi distribuitur res illa inter eos plures, quia vni ex eis inter se collatis datur, quod quodã modo est inter eos omnes distribui cũ detur vni nõ absolutè, sed cõparato cum alijs, quia datur attendendo ad eos omnes.

Obser-

Obseruandum est æqualitatem tam geometricam, quàm semigeometricam, quæ est obiectum distributiuæ, regulariter esse solam absque æqualitate Arithmetica, quæ est obiectum iustitiæ cõmutatiuæ, quia non solum in distributione iniusta aliquorum officiorum communium, & beneficiorum, quæ instituta sunt in bonũ, seu fauorem communitatis, & non in præmium dignioris, nec in fauorem illius tantum fit contra ius communitatis ad iustam distributionem, seu proportionem seruandam, sed etiam fit in distributione iniusta bonorum communium conuenientium, seu applicatorum personis particularibus, qualia sunt spolia hostium militib• distribuenda pro singulorum meritis, & etiam bona relicta, vt distribuantur aliqnibus pro vniuscuiusque eruditione, aut inopia: quia etiam tunc tantum fit contra ius magis digni, aut magis pauperis ad iustam distributionem, seu ad rem comparatam, seũ proportionatam cum dignitate personæ comparatæ cum alijs, & non ad rem absolutè, seu extra distributionẽ faciendam, iuxta proportionem dignitatis singulorum.

Vnde regulariter nulla actione violatur vtraque iustitia simul, sed vna, vel altera. Addimus, *regulariter*, quia aliquando vtraque simul, actione aliqua seruatur, & aliqua actione violatur, vt dicemus dif. 13.

Ex quo circa posterius constat actum iustitiæ distributiuæ, esse constituere dictam æqualitatem geometricam, vel semigeometricam: quod duobus modis fieri potest. Vno modo eam æqualitatem illessam negatiuè seruando, seu eam non lædendo, vel positiuè exequendo, vel contrariam inæqualitatem fugiendo. Altero modo eam inæqualitatem antea factam reducendo ad æqualitatem quando fieri posit, quod si ex violatione iustitiæ distributiuæ aliud damnum factum sit, ei satisfacere pertinet ad iustitiam commutatiuam: quia ei damno satisfiet dando tantum quantum damnificatum sit, non attendo ad proportionem aliquam.

Reliqua quæ communia sunt obiecto, & actui vtriusque iustitiæ particularis facilè possunt obiecto, & actui iustitiæ distributiuæ accommodari.

Diffic. XI. Vtrùm iustitia distributiua sit virtus, & peculiaris?

SVPPONIMVS, Ad actus iustitiæ distributiuæ dari habitum, quia in eis eliciendis est aliqua difficultas, ad quam vincendam acquiritur physicè habitus.

Hoc supposito, circa prius conueniunt Doctores, dictum habitum acquisitum esse virtutem: quia est circa actus honestos, quia honestum est, seu rationi consonum seruare æqualitatem geometricam, vel semigeometricam debitam ratione iuris in alio, vel in alijs existentis.

Circa posterius etiam conueniunt DD. virtutem iustitiæ distributiuæ esse peculiarem, & distinctam ab omnibus alijs virtutibus; quia habet peculiarem materiam, nempè, constituere dictam æqualitatem geometricam debitam, quod habet peculiarem, & distinctam difficultatem, & honestatem, vt patet.

Circa subiectum proximum virtutis iustitiæ distributiuæ cōstat ex dictis diffic. 5. esse voluntatem, & non appetitum sensitiuum.

Circa subiectum remotum, nempè, circa personas in quibus reperiatur iustitia distributiua, constat ex dictis non reperiri in Deo, quia in ipso non est obligatio, seu debitum aliquod ortum ex iure aliquo nostri, quia nullum est in nobis contra Deum: reperitur verò in hominibus, vt patet: & non tantum in superioribus, & Magistratibus, sed etiam in priuatis personis, vt constat in eo, qui pluribus debens, & non potens eis omnibus integre soluere, soluit proportione debitorum seruata, nempè, ei cui debet centum soluens quinquaginta, & ei cui debet quinquaginta, soluens viginti quinque: & etiam reperitur in priuatis personis diuidentibus bona acquisita ex contractu societatis attenta parte capitalis vtriusque.

Diffi-

Diffic. XII. Vtrùm iuſtitia commutatiua, & diſtributiua differant eſſentialiter?

DVrand. in 4. diſt. 46. q. 1. Palud. q. 1. art. 1. Sot. 3. de iuſt. q. 5. art. 1. Molin. tom. 1. tract. 1. diſp. 12. & Adam Tamner diſp. 4. q. 2. dub. 4. docent, iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuã eſſencialiter diſtingui, quia reſpiciunt æqualitates eſſentialiter diuerſas, commutatiuam æqualitatem Arithmeticam, & diſtributiua Geometricam, ergo eſſentialiter diſtinguuntur.

Buridan. verò 5. ethicor. quem recentiores nonnulli ſequuntur, docet, & non abſque probabilitate eas iuſtitias non diſtingui eſſentialiter, quia quãuis reſpiciant diſtinctas æqualitates nõ tamẽ diuerſo, ſed eodem modo morali debitas, nẽpè, ratione iuris quod moraliter eſt idem eſſencialiter, quia ius vtriuſque iuſtitiæ eſt æque rigoroſum, & neceſſarium; quia vtrumque obligat, ſeu exigit, vt ob ſeruetur, & vt ei violato ſatis fiat: ac proinde quamuis duæ dictæ æqualitates moraliter ſumptæ, ſint phyſicè eſſencialiter diſtinctæ, formaliter tamen, ſeu vt debitæ non ſunt moraliter diſtinctæ eſſentialiter, quia ſunt debitæ à iure æque ſtricto, & rigoroſo. Ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum.

Diffic. XIII. Vtrùm ad commutatiuam iuſtitiam etiam pertineat conſtituere æqualitatem Geometricam?

SVAR. opuſc. de iuſtit. ſect. 3. quẽ recẽtiores nonnulli ſequũtur partẽ affirmatiuã tuetur. Primò, quia debitor, qui nõ potẽs omnibus ſuis creditoribus integre ſoluere, & ſoluit proportione ſeruata inter debita, & ſolutiones, ſeruat iuſtitiã commutatiuã, quia ex ea debet illa debita, & tamen tunc conſtituit æqualitatem Geometricam. Secundò, quia diuiſio lucri inter ſocios in contractu facta, ſeruata proportione ad partes capitalis vniuſcuiuſque, pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, ergo etiam ad eam pertinet conſtituere æqualitatem Geometricam qualis eſt prædicta.

Vazquez verò 1. parte, diſputatione 86. capit. 3. & Turrian. diſput. 7. dub. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò, quia æqualitas Geometrica ſemper eſt eadẽ, ergo ſẽper pertinet ad eãdem

dem iustitiam distributiuam, antecedens patet, consequentia probatur, quia iustitia commutatiua, & distributiua ex nullo alio dignoscuntur, & distinguuntur quam ex diuersa æqualitate ad quam attendunt, & non ex obligatione, quia hæc est eadem in vtraque sicut & ius cui vtraque satis fit.

Ad priorem ergo rationem desumptam ab exemplo debitoris non potentis integrè soluere, & soluit seruata proportione inter solutiones, & inter debita diuersis creditoribus inter se comparatis. Respōdimus eam solutionem ad vtramque iustitiam pertinere, nempè, ad distributiuam, quatenus solutio fit seruata dicta proportione, & ad commutatiuam quatenus ea solutio fit attendendo ad æqualitatem ipsius cum parte debiti, etiam absolutè debita absque comparatione ad alios creditores, vnde commutatiua solum attendit ad æqualitatem Arithmeticam, & distributiua solum ad Geometricam.

Et ad posteriorem desumptam ab exemplo diuisionis lucri inter socios in contractu. Respondemus eam diuisionem, non pertinere ad iustitiam commutatiuam etiam si obligatio ad eam, oriatur ex contractu, sed tantum ad distributiuam, quia ea diuisio non fit attendendo ad æqualitatem Arithmeticam, sed tantum ad Geometricam, hæc autem tantum est obiectum distributiuæ quamuis obligatio ad eam constituendam oriatur ex contractu: imò semper oritur ex contractu aliquo, aut promissionis, aut alio, siue expresso, siue implicito in officio superioris, aut aliter.

Ex dictis constat, quid sit iustitia commutatiua, & quid sit distributiua, iustitia ergo commutatiua pro actu *est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi attendendo ad æqualitatem Arithmeticam*. Et pro habitu *est habitus inclinans ad seruandum vnicuique ius suum attendendo ad æqualitatem Arithmeticam.* Destributiua verò pro actu *est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuēdi attendendo ad æqualitatem Geometricam.* Et pro habitu *est habitus inclinans ad seruandum ius suum vnicuiq; attendendo ad æqualitatem Geometricam*: hoc autem ius aliquando seruatur communitati, aut alij non reddendo ipsi communitati, nec illi alij, sed alijs: quia in communitate, aut in alio est ius, vt inter alios aliquid distribuatur seruata proportione Geometrica.

Addimus, quod commune est virtutibus moralibus non solū admittēdas esse iustitias cōmutatiuā, & distributiuā, acquisitas proprijs actib⁹, sed etiā per se infusas, vt generaliter dicim⁹ tract. de virtutib. dis. 6.

Disse.

Diffic. XIV. Vtrùm præter iustitias commutatiuam, & distributiuam sit alia iustitia peculiaris, quæ dicatur legalis?

SOTVS 3. de iustit. quæst. 2. art. 3. Molina tom. 1. tract. 1. disp. 1. Valenc. Bañez, Salon. & Aragon 2. 2. q. 58. art. 6. & Adam disput. 4. quæst. 2. dub. 2. docent, iustitiam legalem esse peculiaré virtutem distinctam ab alijs, versantem circa bonum cōmune. Ex authoribus huius sententiæ, alij docent eam esse verè, & simpliciter iustitiam particularem, distinctam à commutatiua, & distributiua, & alij non esse propriè iustitiam, & strictè iustitiam, sed aliam virtutem distinctam ab omnibus alijs virtutibus.

Buridanus verò 5. ethic. quæstio. 4. Eustratius, & Gerardus, apud eundem, & Ianellus etiam 5. ethicor. tract. 1. cap. 1. docent, iustitiam legalem non esse iustitiam aliquam peculiarem; nec aliá peculiarem virtuté distinctá ab alijs, quod valdè probabile existimat Aragon, & id re ipsa sentiunt Les. lib. 2. cap 1. dub. 3. dum eá non distinguit ab obedientia, & alij dum eam nō distinguunt à pietate: & id nobis non displicet, quia in primis, iustitia legalis nō est iustitia aliqua tertia peculiaris distincta à commutatiua, & distributiua, quia non est posibilis, quia non est alia tertia æqualitas, quæ possit esse obiectum illius, sed tantum est duplex supra dicta, nempè, Arithmetica, & Geometrica, nec est aliud tertium ius ratione cuius aliqua æqualitas ex his duabus possit esse diuerso modo debita, vt sic possit esse obiectum diuersæ iustitiæ, quia non est aliud ius, nisi illud supra dictum ratione cuius hæc dicta duplex æqualitas est eodem modo debita ab altero ipsi habenti ius illud. Et cōfirmatur, quia hac duplici æqualitate dicta, & iure supra dicto debita sufficienter satis fit iuri Reipublicæ à priuatis, & ipsis priuatis à Republica, ergo.

Deinde iustitia legalis non est alia peculiaris virtus distincta à iustitia, & ab omnibus alijs virtutibus; quia circa bonum commune Reipublicæ, circa quod dicitur ad aduersarijs versari, nō est possibilis alia peculiaris virtus; quia circa illud bonum commune ex complacentia Reipublicæ, non est alia virtus quam beneuolentia, quæ est erga proximos: & circa illud ex complacentia ipsius benefacientis non est alia quam, vel beneficientia, quæ est circa proxi

mos

mos, vel pietas, quæ est erga parentes, & coniunctos, & circa illud bonum ex affectu legis, si lege aliqua præcipitur; non est alia quam obedientia: ergo non est admittenda iustitia legalis, quæ sit distincta ab omnibus alijs, nec admissa fuit ab Aristotele, quia nomine iustitiæ legalis, cuius fecit mentionem 5. ethic. cap. 1. & 2. intelligi quamcunque virtutem particularem prout inclinantem in iustũ, seu adæquatum cum lege, siue positiua, siue naturali, ex quo nulla virtus habet, quod sit peculiaris.

Difficult. XV. Vtrùm iustitia vindicatiua sit propriè iustitia?

IVSTITIA Vindicatiua est illa qua superior infert subdito suo condignam pœnam pro delicto.

Circa difficultatem ergo conueniunt primò DD. vindicationem, seu punitionem qua Reus punitur, esse actum iustitię commutatiuę inter iudicem ex vna parte, & inter partem læsam ex altera, quando pro delicto damnificationis fit punitio, quia iudex pro exercitio sui muneris in puniendo Reum in fauorem partis damnificatæ, vt partis Reipublicæ, accipit stipendium, & suũ exercitium in fauorem illius pro stipendio illo locat: ergo ex iustitia commutatiua erga partem læsam punit Reum nõ minus quam qui laborat in fauorem illius à quo, vel pro quo accipit stipendium. Et confirmatur, quia iudex ex cuius culpabili omissione non puniendo euenit aliquod damnum ciuib⁹, tenetur ad restitutionem illius; ergo ad eam punitionem tenetur ex iustitia commutatiua.

Conueniunt secundò DD. vindicationem, seu punitionẽ qua Reus punitur, non esse actum propriæ, & strictæ iustitiæ inter iudicem ex vna parte, & inter Reum ex altera, nec inter partem læsam ex vna parte quando est pars læsa, & inter Reum punitum ex altera. Et in primis non est inter Iudicem, & inter Reum ex defectu debiti ad iustitiam requisiti: quia punitio à iudice illata non est iudici debita à Reo ex iure aliquo ipsius iudicis, vt patet, aliàs Re⁹ non posset pœnam fugere absque iniustitia contra iudicem. Deinde non est inter partem læsam, & inter Reum, quia punitio non est debita parti læsæ à Reo ex iure aliquo partis læsæ contra Reum, aliàs Reus pœnam fugiendo, irrogaret iniustitiam parti læsæ. Et confirmatur, quia ea punitio non est actus iustitiæ distributiuæ, vt patet,

patet, nec cõmutatiuæ, quia non est collatio alicuius rei facta parti læsæ, nec est recompẽsatio iniuriæ illatæ parti læsæ; quia post punitionem iniuria manet integra: ergo punitio rei nõ est actus iustitiæ strictæ inter Reum, & inter partem læsam.

Addimus, tamen punitionem esse actum iustitiæ affinis iustitiæ commutatiuæ, & habentis similitudinem cum ea, tam inter partẽ læsam, & inter Reum, quam inter Iudicem, & Reum, quia versatur circa æqualitatem rei ad rem; quia pars læsa exigit, & Iudex assumit tantam pœnam quantam delictum rei meretur.

Vnde iustitia vindicatiua quatenus est inter iudicẽ, & partem læsam est vera, & propria iustitia, indistincta tamen à cõmutatiua: & quaten⁹ est inter iudicem, & inter reum, & etiã inter partẽ læsam, & reum non est propriè iustitia, sed impropriè; quia est pars iustitiæ commutatiuæ, non subiectiua, sed potestatiua deficiens à vera ratione iustitiæ ex defectu debiti orti ex iure.

DISP. IV. DE RESTIT. IN GENERE.

Diffic. I. Quid sit restitutio?

A Nomine ipso exordiũ sumẽdo, *restitutio*. Primò, sumitur pro repositione qua persona reponitur, seu iterũ statuitur in antiquo iure, aut statu, & sic sumitur à iuris peritis. Secũdò, sumitur præsertim à Theologis pro redditione qua res siue iustè, siue iniustè accepta redditur domino, hæc acceptio secunda in eo solo differt à prima, quod in prima restitutio directè respicit personã, & indirectè rẽ ad quã persona restituitur, & in secunda è contra restitutio directè respicit rẽ, quæ restituitur, & indirectè personã, cui restituitur. Tertiò, restitutio etiã extenditur, & sumitur pro recompensatione damni illati distincta ab iniusta acceptione rei, quæ moraliter est redditio illius in quo quis damnificatus est, quia id quod redditur in recompensationem æquiualet ei in quo quis damnificatus est.

Ad rem verò accedendo, restitutio de qua tractatus hic instituitur, *est rei iniustè acceptæ redditio*, aut quod in idem recidit, *est damni iniustè illati compensatio*, quia etiam quando res iniustè accepta redditur domino, verè compensatur damnum sicut etiam, verè fit damnum quando res iniustè accipitur.

Restitutio autem in primis differt à satisfactione, quod satisfa-

satisfactio est communior restitutione; quia omnis restitutio est satisfactio, non tamen omnis satisfactio est restitutio; quia pro contumelia alteri illata (quamuis ex ea nullum aliud damnum sit ortum) fit satisfactio, non tamen restitutio, & Deo fit satisfactio pro iniuria, seu offensa peccati contra illum, & tamen nulla ei fit restitutio, satisfactio enim tendit ad faciendum satis pro quacunque iniuria, restitutio verò pro damno in rebus fortunæ illato: deinde restitutio differt à solutione; quia solutio est eius quod creditor nō habuit; restitutio verò est eius, quod quis habuit siue formaliter, seu in se ipso, siue virtualiter, seu ęquiualenter, vt quando quis impeditur ne acquirat, quod non impeditus acquireret.

Diffic. II. Vtrùm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, an distributiuæ?

CONVENIVNT DD. restitutionem damni illati contra iustitiam commutatiuam esse actum iustitiæ commutatiuæ, quia tunc in ea restitutione cōstituitur ęqualitas Arithmetica, seu inter rem absolutè debitam alicui non comparato cum alijs, & inter debitum ipsum absolutè absque comparatione inter personas, vt quando quis pallium alterius iniustè acceptum reddit domino, & quando quis qui destruxit pallium alterius, reddit illi pretium, vel aliam rem ęquiualentem.

Est tamen difficultas, an restitutio damni illati contra iustitiā distributiuam sit actus iustitiæ distributiuæ, an cōmutatiuæ: & procedit ex suppositione quod damnum illatum contra iustitiam distributiuam, est recompensandum ex iustitia vt nos existimamus.

Petrus Nauar. 1. de restitutione, cap. 2. diffic. 2. verè sentit eam restitutionem esse actum iustitiæ distributiuæ, & non commutatiuæ: quia ea restitutio versatur circa rem debitam ex eodem iure antiquo creditoris perseuerante, quamuis antea violato, quia violatione non fuit destructum, res autem erat debita ex iustitia distributiua, ergo etiam post violationem, ergo restitutio illius fit ex iustitia distributiua.

S. Thom. verò, & Caietan. 22. q. 62. art. 1. Vazquez, & Malderus de restitutione, in princip. & communiter Doctores docēt, etiam restitutionem damni illati cōtra iustitiam distributiuam esse actum iustitiæ commutatiuæ. Et meritò, quia ea restitutio per se tantum

tantum versatur circa æqualitatem Arithmeticam, nempè, circa æqualitatem inter rem, quæ datur in restitutionem, & inter damnũ illatum, quod media illa re recompensatur: quia in restitutione illius per se tantum attenditur ad recompensationem quantitatis damni absque comparatione ad alias personas, quamuis damnum fuerit illatum, non dando alicui rem ipsi debitam non absolutè; sed cõparatione habita inter personam damnificatam ex vna parte, & inter aliam, vel aliàs ex altera: quia ratione violationis iustitiæ distributiuæ res quæ datur in restitutionem est absolutè debita ratione iuris commutatiui, non distributiui; quia hoc ius distributiuum violatione qua est violatum est quasi destructum, & commutatum in commutatiuum: quia quod ante violationem iustitiæ distributiuæ debitum erat alicui comparatiuè ad alias personas iã illud, aut æquiualens est debitum eidem absolutè absque comparatione: quia fuit damnificatus in ea re antea danda illi, comparatione ad aliam, vel ad alias personas: damnum enim illud in fieri, seu illatio illius damni opponitur iustitiæ distributiuæ: damnum verò illud in facto esse, seu perseuerantia illius damni illati opponitur commutatiuæ, & ideò hæc perseuerantia illius damni tollitur per iustitiam commutatiuam, illatio verò illius impedienda erat per distributiuam.

Ad rationem ergo pro Petro Nauarra, constat eam restitutionem non versari circa rẽ debitam ex iustitia distributiua, quãuis ante illationem damni fuerit sic debita; sed tantũm versari circa rem iam debitam ex iustitia commutatiua, quia post damnum illatum iam nõ debetur ex antiquo iure, sed ex nouo in quod illud antiquum fuit commutatum: ac proinde ea restitutione satis fit iuri nouo, non antiquo, quia illatione ipsa damni cessauit, & fuit commutatum in aliud.

Addimus, aliquando peraccidens restitutionem simul esse actum iustitiæ commutatiuę, & distributiuæ, quando, scilicet, debitor nequit integrè soluere pluribus creditoribus, & eis tenetur soluere proportione seruata inter debita, & inter solutiones: tunc enim restitutio per accidens est etiam iustitiæ distributiuæ, de quo diximus disputation. 2. diffic. 3.

Diffic. III. Vtrùm restitutio sit necessaria, seu obligans ex præcepto affirmatiuo, an ex negatiuo?

CONVENIVNT Communiter DD. restitutionē non esse necessariam necessitate medij ad salutē: quia qui ad restitutionem tenetur, potest absque restitutione saluari, vt quando non potest, aut quando in eo est ignorantia inuincibilis obligationis restitutionis: esse tamē necessariam necessitate præcepti: quia verè est obligatio restituendi orta ex præcepto, & non tantum necessitate præcepti diuini saltem reducti ad 7. decalogi, sed etiam præcepti naturalis: quia ex natura rei est obligatio restituendi alienum, & compensandi damnum iniustè illatum.

Est tamen difficultas, an restitutio sit necessaria, seu obligans ex præcepto affirmatiuo, an ex negatiuo, seu quod idem est, an præceptum restitutionis sit affirmatiuum, an negatiuum.

Medin. C. de restit. Vazquez 12. q. 72. art. 6. Petrus Nauar. lib. 1. c. 1. dub. 3. & Turrian. disp. 9. dub. 2. docent, præceptum restitutionis esse negatiuum, & non affirmatiuum: quia præceptum restitutionis est non retinendi alienum, hoc autem præceptum est negatiuum, ergo & illud restituendi.

Sotus verò lib. 4. de iust. quæst. 6. art. 2. Valen. disp. 5. q. 6. pūcto 2. Lesius cap. 7. dub. 10. & Bonacin. disputat. 1. quæst. 1. puncto 2. docent, esse affirmatiuum, & non negatiuum, quod nos etiā diximus tractatu de peccat. disputat. 3. diffic. 16. Et meritò, quia præcepto restitutionis præcipitur actus positiuus, & non negatio alicuius actus, ergo est affirmatiuum, & non negatiuum, consequētia patet, antecedens probatur: quia præcepto restitutionis præcipitur actus reddendi domino rem suam, vel rem ipsi debitam, & non præcipitur negatio retinendi (nisi aliquando ratione redditionis, quando, scilicet, res quæ reddēda est, retinetur) quia præcepto restitutionis tantū satisfit actu positiuo reddendi, & non negatione, seu cessatione retinendi: qui enim tenetur restituere rē alienā non satisfacit huic obligationi cessando à retentione illius, nisi eam reddat domino suo, quia qui eam rem deserit eo ipso desinit illam retinere, & tamen non satisfacit præcepto restitutionis quousque eam reddat domino suo: vnde retinere rem alienam non est ratione sui peccatum, & contra præceptum aliquod pro-

proprium ipsius, sed tantum est peccatum ratione non restitutionis, & contra præceptum restitutionis, quia est causa quasi formalis illius, vtpotè incompossibilis cum restitutione, quod clarius apparet in eo, qui tenetur præcepto restitutionis, quia damnum intulit lædendo famam alienam, & bona aliena fortunæ, quia hic solo actu positiuo recompensandi damnum illatum satisfacit præcepto restitutionis absque cessatione à retentione famæ, & bonorum fortunæ.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus præceptum restituendi esse idem, quod præceptum non retinendi ratione sui, sed tantum ratione restitutionis, seu redditionis rei, ne scilicet, quis impediatur reddere rem domino suo, quia dum retinetur nequit reddi.

Diffic. IV. Vnde oriatur obligatio restituendi?

CONVENIVNT DD. capita, seu radices ex quibus oritur obligatio restituendi esse duo, nempè, rem siue iustè, siue iniustè acceptam, & iniustam damnificationem; nomine *rei acceptæ* intelligitur non solum quæcumque res aliena quam quis habet apud se, sed etiam id quo quis factus est ditior ex eo, quod consumpsit rem alienam: & nomine *iniustæ damnificationis* intelligitur quæcunque iniusta ablatio, & quæcunque iniusta retentio qua dominum priuo re sua, & quæcumque alia damnificatio rei alienæ quamuis non fuerit accepta, nec retenta, quia ea damnificatione priuo dominum re sua, vel in totum, vel in partem saltem quoad valorem.

Quod autem ex priori capite, seu radice, nempè, ratione *rei acceptæ* oriatur obligatio restitutionis constat, quia res aliena quamuis sine peccato accepta, dum perseuerat, est suo domino restituenda; quia dum perseuerat, pro domino clamat, & excessus quo quis factus est ditior ex consumptione rei alienæ quãuis fuerit consumpta absque peccato, etiam est restituendus domino rei consumptæ, quando excessus non excedit valorem rei consumptæ.

Et quod obligatio restitutionis etiam oriatur ex posteriori capite, seu radice, nempè, ratione iniustæ damnificationis cõstat: quia qui aliquẽ iniustè dãnificauit in re, siue cõmisiue, seu positiue,

siue negatiuè, seu omissiuè, efficit inæqualitatem, quam iustitia exigit ad æqualitatem reduci.

Quod si restitutio latè sumatur etiam prout comprehendit quamcunque solutionem debiti ex iustitia, præter duo dicta capita, est etiam aliud tertium caput, nempè cõtractus, quia ex eo oritur absque dubio obligatio restitutionis sic sumptæ.

DISPVTAT. V. DE RESTITVTIONE ratione iniustæ damnificationis.

Diffic. I. Vtrùm sit obligrtio restituendi præcisè ratione iniustæ damnificationis culpa illatæ extra officium, & contractum?

SVPPONIMVS, Culpam aliter sumi apud Theologos, quã apud Iuristas, quia culpa Theologica, seu apud Theologos idem est, quod peccatum coram Deo siue mortale, siuè veniale, culpa verò iuridica, seu apud Iuristas, idem est, quod dolus, aut negligentia, seu diligentiæ omissio ex qua damnum aliquod oritur, quæ non semper est peccatum apud Deum ex defectu deliberationis, qui aliquando reperitur.

Hæc autem culpa iuridica quincuplex est, alia latissima, alia latior, alia lata, alia leuis, alia leuissima: latissima est apertus dolus quo alterum ex intentione decipimus, qui contingit, aut calliditate, aut fallacia, aut machinatione, calliditas fit tacendo: fallacia mentiendo: & machinatio artificio verborum: latior culpa est etiã dolus non apertus, iustè tamen præsumptus: lata culpa est omissio diligentiæ ordinariæ quam homines eiusdem conditionis adhibere solent: leuis culpa est omissio diligentiæ maioris quam ordinariæ, quàm homines eiusdem conditionis diligentiores adhibere solent: leuissima culpa est, omissio diligentiæ quam homines eiusdẽ conditionis diligentissimi solent adhibere.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an ratione damni iniustè illati

illati absque culpa sit obligatio restituendi, & procedit præcisè ratione damni iniustè illati extra officium, & contractum: procedit autem de inferente damnum immediatè, siue commissiue, seu positiue, vt qui comburit rem alienam, siue omissiue, seu negatiue, vt quando ex omissione alicuius, infertur damnum à causa non rationali vt ab igne.

Circa hanc difficultatem conueniunt DD. non esse obligationẽ restituendi damnum iniustè illatum extra officium, & contractum, siue commissiue, siue omissiue illatum absque culpa Theologica, seu peccato damnificationis iniustæ, quamuis adsit culpa iuridica contra iustitiam, nempè, ex dolo, aut ex omissione diligentiæ ex iustitia debitæ: quia damnum absque culpa Theologica; damnificationis iniustæ illatum non fuit liberè illatum damnum autem extra officium, & contractum absque libertate illatum, imò illatum vt damnum, non est ex obligatione restituendum: quia tunc non fit ab homine, vt homo est. Vnde contingere potest, quod damnum sit iniustè illatum, vel sequutum ex culpa iuridica lata, imò, & latissima contra iustitiam, & quod non sit obligatio restituendi: quia potest hæc culpa iuridica esse absque culpa Theologica, quia in eo qui omittit diligentiã communem, aut maiorem, aut maximam ex iustitia debitam ad non inferendum, aut ad euitandum damnum, potest esse naturalis inconsideratio periculi illius damni: aut si adsit consideratio illius, potest esse bona fides qua existimet, quod minor diligentia sufficiet, in quibus casibus damnum non infertur liberè quamuis adsit culpa iuridica: nihilominus si, contingat, quod quis liberè inferat damnum iniustè, & quod non aduertat in ea damni illatione esse peccatum, seu culpam Theologicam (quod est ferè impossibile, quia malitia Theologica, seu peccati in eis operibus exterioribus iniustis, iudicatis iniustis, maximè se ostentat) etiam erit obligatio restituendi damnum illud absque culpa Theologica formali, iniustè illatum (quod nullus negabit) quia tunc esset illatio libera iniusta damni, & esset absque peccato, seu culpa Theologica formali: quia in nulla actione est culpa Theologica formalis, seu peccati absque aliqua consideratione saltem confusa, aut scrupulosa ipsius malitię, seu culpæ, vt dicimus tract. de peccatis disputat. 4. à dif. 4. Damnificatio autem iniusta liberè facta quamuis absque culpa formali, si aliquando contingat, obligat ad restitutionem, quia inęqualitas, seu iniustitia liberè, seu ab homine, vt homine facta, de-

bet ad æqualitatem, seu ad iustitiam reduci.

Quia ergo in illatione damni nequit esse culpa Theologica iniustitiæ ex suo obiecto, seu ex sua materia (quamuis possit esse ex conscientia erronea) nisi illatio damni sit ex suo obiecto iniusta, ideò ad obligationem restitutionis ortam ex iniusta damnificatione ex suo obiecto, ex qua sola oritur, & non ex iniusta ex conscientia erronea, etiam requiritur, quod damnum inferatur, vel eueniat ex culpa iuridica contra iustitiam, idest, aut ex dolo, aut ex omissione diligentiæ debitæ ex iustitia.

Est ergo difficultas, ex qua culpa iuridica oriatur obligatio restitutionis ratione dānificationis iniustæ, seu ratione delicti extra officium, & contractum.

Circa quam conueniunt Doctores, dictam obligationem sufficienter oriri ex culpa lata quantum est ex parte culpæ iuridicæ (& consequenter melius ex latiori, & ex latissima) quia ea culpa sufficit ad culpam iniustitiæ Theologicam, quia est omissio diligentiæ ordinariæ quam diligentes adhibent, quæ absque dubio ex iustitia debita est adhiberi, ne proximo inferatur. Damnū nō tamē sufficit culpa leuis (& multo minus leuissima) vt contra Adrianū, & Angel. docent communiter DD. quia non sufficit ad culpam iniustitiæ Theologicam, quia extra officium, & contractum, ne quis damnum inferat proximo non tenetur ex iustitia adhibere maiorē diligentiam, quam prudentem, & ordinariam, quā diligentes adhibere solent ad custodiā, & indemnitatem propriæ rei; quia absque fundamento ex iustitia requiritur maior, ergo maioris diligentiæ omissio (in qua consistit culpa iuridica leuis) non sufficit ad culpā Theologicam iniustæ damnificationis.

Ratione ergo iniustæ damnificationis absque culpa iuridica saltem lata, & absque culpa Theologica iniustitiæ non est obligatio restituendi damnum iniustè illatum.

Superest tamen difficultas, an vt illatio iniusta damni grauis, obliget ad restitutionem debeat esse mortalis (nomine autem mortalis intelligimus illationem damni grauis perfectè liberam) addimus, *damni grauis*, quia si illatio iniusta sit damni leuis quamuis tātum sit venialis, potest obligare ad restitutionem, & obligabit si sit perfectè libera.

Circa hanc difficultatem Sotus 4. de iustit. quæst. 7. art. 2. Petrus Nauar. lib. 2. cap. 1. num. 48. Less. cap. 7. dub. 6. Faustus disp. 5. q. 27. Adamus disp. 4. quæst. 6. dub. 2. & Saa verb. *restitutio*, do

cent

cent, illationem iniustam damni grauis, nō obligare ad restitutionem, nisi sit mortalis, seu perfectè libera; quia iniustitia Theologicè imperfecta qualis est illatio damni grauis, quæ tātum est venialis, quia est imperfectè libera nequit esse fœcunda ad pariendam obligationem restitutionis, quia fœcunditas rei requirit statū perfectum sui, & ob hanc rationem (si vim habet) illatio damni leuis ex imperfecta deliberatione non obligabit adhuc sub veniali ad restitutionem damni.

Adrian. verò in 4. in materia de restitutione, Molin. disputa. 698. Vazquez cap. 2. §. 2. dub. 2. Bonacin. disputation. 1. quæst. 1. puncto 3. Rebell. Turrian. Reginald. & Layman. docent illationem iniustam damni grauis obligare ad restitutionem quamuis nō sit mortalis, seu perfectè libera dum sit venialis, & aliquo modo libera quamuis tantum imperfectè. Et meritò, quia tunc damnum verè est iniustè illatum liberè, & verè facta est inæqualitas liberè quamuis libertate imperfecta, ergo damnum illud verè est restituendum, & inæqualitas illa verè reduci debet ad æqualitatem.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, iniustitiam damni grauis, quæ tantum est venialis, esse formaliter, seu Theologicè imperfectam, negamus tamen ex ea non oriri obligationem restituendi, quia obligatio hæc non oritur ex ea tamquam ex causa, sed tantum tamquam ex occasione; quia tamquam ex causa tantum oritur ex virtute iustitiæ ex hac autem oriri potest obligatio perfecta quamuis occasionata ex occasione imperfecta.

Inter Auctores tamen nostræ sententiæ superest controuersia, primò, an tunc sit obligatio restituendi totum damnum, an tantū partem aliquam.

Molina, Rebellus, Reginald. Layman, & Bonacina, docent, non esse obligationem restituendi totum, sed tantum partem aliquam, quia obligatio restitutionis prouenicns ex delicto damnificationis est pœna ipsi debita, pœna autem debet esse proportionata delicto, ac proinde, qui imperfectè, & venialiter damnificauit, non tenetur ad restitutionem totius, sed tantum alicuius partis, maioris, scilicet, aut minoris pro maioritate, aut minoritate ipsius delicti damnificationis: ex quo infert Bonacina, quod delictum veniale damnificationis potest esse adeo leue, vt vix sit obligatio restituendi

centissimam partem damni, & quod è contrariò, pot esse adeo maius intra limites venialis, vt possit esse obligatio ad decimam partem damni, & quod quando est dubium, an fuerit mortale, an tantum veniale, sit obligatio ad dimidium.

Nos tamen existimamus esse obligationem restituendi totũ damnum (quod etiam sentiunt Vazquez, & Turrian. dum absque limitatione dicunt esse obligationem restituendi damnum sic illatũ) quia si vt diximus est obligatio restituendi damnũ liberè illatum, quamuis tantum venialiter, quia est liberè illatum, etiam erit obligatio restituendi totum illud, quia totum est sic illatum.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus eam obligationẽ restitutionis esse pœnam, quia damnificans non est obligatus ad restitutionem, vt restitutione puniatur, sed vt iniustitiam, seu inæqualitatem damnificatione factam, restitutione reducat ad iustitiã, seu æqualitatem.

Secundò, est controuersia inter eosdem, an sit obligatio restituendi sub mortali, vel totum damnum, vel partem grauem damni (iuxta duas supra dictas opiniones) quando pars restituenda est grauis, quia quando est leuis nequit esse, nisi tantum sub veniali.

Circa quam quamuis sint qui probabiliter affirment tantum esse obligationem sub veniali, Bonacin. verò affirmat esse obligationem sub mortali, & meritò, quia est obligatio vera, & perfecta restituendi grauem quantitatem vtpotè perfectè orta ex virtute iustitiæ, quamuis occasionata ex delicto contra iustitiã formaliter imperfecto.

Difficult. II. Vtrùm qui dans operam rei illicitæ præsertìm iniustæ, infert damnum non præuisum teneatur ad restitutionem illius?

EXEMPLI Gratia si quis fur noctu ingressus domum ad furandum, eam inaduertenter incendit, aut si incendium posse cõtingere aduertit, adhibuit tamen communem, & prudentem diligentiam ne sequeretur.

Circa

Circa hanc difficultatem contra Gabriel in 4. distinct. 15.q. 14.art.3.dub.2.conueniunt communiter DD.tunc non esse obligationem restitutionis damni sic illati;quia tunc damnum non infertur liberè,& voluntariè,quia aut infertur inaduertēter, seu absque aduertētia damni, aut si aduertitur posse damnum illud inferri,adhibetur tamen prudens, & debita diligentia ad illud non inferendum: ex eo autem, quod sic damnificans alias det operam rei illicitæ non fit, quod damnum illud sit illi liberum, & voluntariū, quia ex eo non fit, quod procedat ab ipso aduertenter, quia verè illud non aduertit,nec debuit, quia non potuit cum fuerit naturaliter inaduertens,aut si illud aduertit, non fit, quod omiserit diligentiam aliquam, quæ debita esset ad illud non inferendum, quia non omisit,cum diligentiam prudentem adhibuerit.

Difficult.III. Vtrùm qui ignorantia comitante inuincibili damnum intulit, teneatur ad restitutionem?

EXEMPLI Gratia,occidit quis inimicum credens inuincibiliter esse feram quem etiam occideret quamuis eum agnosceret, & incendit quis arborem inimici, credens inuincibiliter esse propriam sui,quam etiam incenderet quamuis agnosceret esse inimici. Est ergo difficultas,an in his,& in similibus casibus sic damnificans,teneatur ad restitutionem damni illati.

Mercado lib.6.cap.5.partem affirmatiuam tuetur, quia dānificatio illa non excusatur ab iniustitia, quia in damnificāte adest voluntas inferendi damnum illud,& cum effectu illud infert.

Vazquez verò dub.4.Petr.Nauar.lib.2.capit.1.dif.7.Les. dub.9.Turrianus disput.11.dub.3.& Bonacin.disp. q.1. pūct. 3.partem negatiuam tradunt. Et meritò, quia tunc damnificatio illa,v.g. occisio inimici, & incensio domus hic,& nunc non est volūtaria,quia non procedit à voluntate quia nō fuit præuisa ab intellectu,& voluntati proposita; sed tantum procedit ab alia voluntate comitante damnificationem illam, quia occisio illa inimici tantum processit à voluntate occidendi feram,& incensio illa arboris inimici à voluntate incendendi arborem propriam, damnificatio autem,quæ hic, & nunc non fit voluntariè, non obligat ad restitutionem

nem, quod autem in damificante sit aliás voluntas efficiendi damnum illud non sufficit ad obligationem restitutionis, quia damnificatio illa non procedit ex ea voluntate, sed ex illa altera prædicta, sola autem voluntas damnificandi absque opere exteriori dãnificationis procedente ex ea voluntate, non sufficit ad id.

Vnde quamuis sic damnificans non excusetur á peccato dictæ malæ voluntatis commitantis, damnificatio tamen ipsa exterior excusatur á peccato iniustitiæ ex defectu voluntatis, & libertatis ipsius hic, & nunc.

Difficult. IV. Vtrùm inferens damnum alicui, quod alteri tertio imputatur, teneatur ad restitutionem damni ipsi tertio obuenientis?

EXEMPLI Gratia, Petrus occidit Ioannem, aut furatus est bona pannis, & homicidiũ Ioãnis, & furtũ bonorũ illius cõmissũ á Petro, imputatur Paulo, vel quia hic erat inimicus Ioannis cognitus, vel alia de causa: est ergo difficultas, an Petrus, qui damnificauit Ioannem, teneatur ad restitutionem damni illati Paulo qui ob id fuit supplicio affectus in bonis corporis, aut honoris, aut famæ, aut fortunæ.

Circa hanc difficultatem supponimus, Petrum damnificatorem teneri ad restitutionem damni illati Ioanni, ac proinde, si Paulus sit coactus á iudice ad restitutionem damni illati Ioanni á Petro, ipsum Petrum teneri id restituere Paulo; quia ipse est qui verè damificauit Ioannem, & tenetur ad restitutionem damni, & nõ Paulus.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an Petrus teneatur restituere Paulo reliqua alia damna ipsi Paulo euenientia ob damnificationem factam Ioanni á Petro, v.g. condemnationem pecuniariam in pœnam delicti, & etiam lucra cessantia Paulo, & an si Paulus condemnandus, aut condemnatus sit ad mortem ob delictum commissum á Petro, ipse Petrus teneatur ex iustitia manifestare veritatem, etiam cum periculo vitæ, vt liberetur Paulus.

Vazquez cap. 2. §. 2. dub. 4. Petrus Nauar. lib. 2. cap. 1. dub. 9. Rebel.

Rebell. 1. part. lib. 3. cap. 11. & Turrian. disp. 11. dub. 3. docent, Petrum teneri ad restitutionem damni euenientis Paulo si proba biliter iudicauit damnum illud Paulo euenturum, & non adhibeat prudentem cautionem ad illud vitandum, quamuis non intenderit damnum illud Paulo euenire: quia tunc Petrus verè est causa in-iusta damni illati, aut inferendi Paulo, ergo tenetur ad restitutionem damni iam illati Paulo, & ad impediendum, quod illi inferendum est.

Sotus verò lib. 4. q. 6. art. 3. Cordub. lib. 1. quæst. 31. art. 3. Molina disput. 86. Pedraça super 5. præceptum, §. 6. Lopez tom. 1. cap. 63. Les. cap. 3. dub. 16. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 6. & Bonacin. disputat. 2. quæstion. vlt. puncto vlt. docent, in casu dicto Petrum non teneri ad restitutionem damni illati, nec inferẽdi Paulo quamuis probabiliter iudicet damnum illud euenturum Paulo. Et meritò, quia tunc damnum illud non euenit Paulo ex opere Petri, sed per accidens ex malitia, aut ex ignorantia testium, aut iudicis, ergo Petrus nullam infert iniustitiam Paulo: quod est verum etiam si Petrus intendat inferre damnum illud Paulo, vt contra Sotum, Molinam, Cordubam, & Pedraçam aduertũt Les. Bonacin. & alij, quia si Petrus verè non infert damnum illud Paulo, vt supponim⁹, nihil refert ad obligationem restitutionis, quod id intendat, quia sola intentio absque òpere exteriori iniustitiæ nõ obligat ad restitutionem.

Ad rationem ergo aduersariorum constat Petrum verè non esse causam damni illati Paulo, sed hoc per accidens tantum ortũ fuisse ex opere Petri.

Addimus, Petrum, v. g. qui iniustè accusat Ioannem innocentẽ, aduertens ex incidenti faciendam esse inquisitionem contra Paulum qui verè commisit delictum, & ob illud puniendum esse non teneri ad restitutionem damni Paulò non solum, quia damnum illud sequitur Paulo per accidens ex accusatione facta à Petro, sed etiam quia quamuis ille inferretur per se à Petro nulla illi fieret iniustitia cum delictum sit probabile, vt supponimus.

Ex dictis ergo constat præcisè ratione delicti, seu damnificationis iniustæ extra officium, & contractum, non esse obligationem restituendi damnum illatum quando ea damnificatio non est libera quamuis in ea intercesserit culpa iuridica lata. Ex quo facile constabit quando damnificatio facta in ebrietate, aut in somno obliget ad restitutionẽ, & quando non obliget: quia quãdo dãnificatio

catio est libera obligat ad restitutionē, tunc autem est libera quando fuit præuisa cognitione saltem dubia, aut scrupulosa: & quādo non est libera non obligat ad restitutionem; tunc autem non est libera quando non fuit aliquo modo ex dictis præuisa iuxta ea, quæ dicimus tract. de peccat. disput. 5. dif. 11. qui verò dubitat, an ex suo opere euenturum sit damnum, & non constat fuisse sequutum, excusatur à restitutione eodem modo, ac ille qui dubitat, an fecerit damnū, quia in dubio an fecerit melior est conditio ipsius dubitantis possidentis sua bona, quibus restitutio facienda erat.

Diffic. V. Ex qua culpa teneatur quis ad restitutionem damni in officio sequuti?

DOCTORES Cōtra Adrian conueniunt, officialem, v.g. Aduocatum, & Procuratorem, & Medicum non teneri ad restitutionem damni sequuti in officio, nisi tātum sequuti ex lata, idest, ex omissione diligentiæ ordinariæ, seu prudentis, & non teneri ad restitutionem damni sequuti ex omissione diligentiæ maximę, seu prudentissimæ: imò nec ex omissione diligentiæ maioris, seu prudentioris, quia nemo in officio erga alios, seu in gerendis negotijs aliorum tenetur esse prudentissimus, & diligentissimus, imò nec prudentior, & diligentior, nec vt talis procedere, sed sufficit si procedat vt prudens, & diligens: quia nullus officialis vt exerceat suū officium, erga alios tenetur esse optimus officialis, nec melior, sed sufficit, quod sit bonus, seu idoneus, ergo damnum quod sequitur in officio ex omissione diligētiæ maximæ, imò & diligentiæ maioris non imputatur officiali ad culpam, nō solum iuridicam, sed nec Theologicam, sed tantum damnum quod sequitur ex omissione diligentiæ ordinariæ, excipimus tutorem & curatorem, qui iure positiuo, leg. *quidquid, C. arbitr. tutel.* obligantur ex leui, vt verè obligari possunt, hoc tamen ius non videtur in foro conscientiæ receptum.

Addimus, nullum officialem præcisè ratione officij teneri ad restitutionem damni sequuti adhuc ex lata, seu ex omissione diligentiæ ordinariæ, nisi quando omissio, & damnificatio ex ea sequuta, est peccatum coram Deo, seu Theologice culpabilis saltem materialiter, idest, nisi quando est libera, quia damnum ex eo, quod fiat in officio non imputatur, nisi quia officialis delinquit, seu peccat

cat in damnificando: vnde idem est dicendum, quoad obligationẽ restitutionis damni sequuti ex culpa in officio, & damni sequuti extra officium, ratione delicti, seu damnificationis: quia in officiali præcisè ratione officij non est alia obligatio, quam non delinquẽdi in eo, seu non deficiendi in debitis suo officio.

Et quod dicimus, nempè, officialem non teneri nisi ex culpa lata, etiam est verum (quamuis nonnulli oppositum affirment) etiã si officialis stipendium accipiat pro exercitio sui officij sicut etiã difficult. sequenti dicemus de damnificatione rei acceptæ ex contractu cedente in vtilitatem vtriusque contrahentis, accipientis videlicet rem, & eam dantis, imò etiam de damnificatione rei acceptæ ex contractu cedente in vtilitatem solius accipientis.

Quod si quis ad suum negotium quærat officialem peritiorem, vel peritissimum, & aliquis se offerat vt talem, hic tenetur ad restitutionem damni sequuti, vel ex culpa leui si quærebatur vt peritior, vel ex leuissima si quærebatur vt peritissimus, si in omissione alicuius diligentiæ ex his duabus fuit Theologica modo supradicto: quod intelligimus verum quamuis quærens talem officialem non esset inuenturus alterum similem, & etiam quamuis esset inuẽturus similem, qui tamen erat omissurus maiorem, vel maximam diligentiam: quia neutrum tollit officialem quæsitum, & à seipso oblatum vt talem, teneri ad adhibendam diligentiam maiorem, vel maximam: quia tunc admiscetur contractus ratione cuius officialis obligatur ad adhibendam dictam diligentiam, & consequenter ad restitutionem damni ex ea omissione sequuti: nihilominus si damno sequuto equiualeat in totum, vel in partem defectus stipendij, illi collati excusabitur in totum, aut in partem à restitutione damni sequuti: vt si damnum fuit in decem, & stipendium illi collatum fuit minus iusto in decem, excusabitur in totum à restitutione damni, & si damnum fuit in decem, & stipendium illi collatum fuit minus in quatuor, excusabitur à restitutione dãni in quatuor, & tantum tenebitur ad restitutionem damni in sex.

Officialis autem, v. g. Aduocatus, aut Confessarius, aut Theologus, qui suo consilio, malitia, aut ignorantia vincibili dato (vel quia caret assensu probabili, vel quia prudenter timet se esse insufficientem) quamuis non suadendo, sed tantum instruendo est causa damni ipsi cui datur consilium, tenetur ad restitutionem illius, si ab eo cui datur consilium, habeatur vt sufficiens in eo officio: quia tunc consulens fraude, seu deceptione est causa iniusta damni: si vero

rò

rò consulens non habeatur ab illo vt sufficiens, non tenetur ad restitutionem damni: quia tunc damnum imputandum est ipsi qui non deceptus, sed agnoscens insufficientiam consulentis, amplectitur eius consilium: scienti enim & volenti non fit iniustitia: si verò ex eo consilio inferatur damnum alicui tertio, vt quando Theologus, aut Confessarius habitus, vt sufficiens consulit aliquem, vt nō restituat alicui tertio, tunc officialis consulens tenetur ad restitutionem damni ex eo consilio sequuti illi tertiæ personæ, si obligatus ad restitutionem amplectens consilium illius nō restituat. Addimus, *Suo consiliò malitia, aut ignorātia vincibili dato*; quia si officialis ignorantia inuincibili, & bona fide consilium præbeat, siue consulens sit sufficiens, siue insufficiens, non tenetur ad restitutionem damni ex suo consilio sequuti cuicumque sequatur damnum, siue ipsi amplectenti consilium, siue alteri tertio, quia tunc consulens infert damnum inculpabiliter, seu absque libertate erga damnum ipsum.

Difficult. VI. Ex qua culpa teneatur quis ad restitutionem damni intra contractum sequuti?

DIFFICVLTAS Hæc non procedit de obligatione restituendi damnum rei, in pactum asseuerationis deducta: quia ei obligationi satisfaciendum est quando iusto titulo fuit deducta, quamuis nulla adsit culpa, sed tantum procedit de obligatione orta ex sola culpa contra obligationem ipsius contractus ex quo res accipitur, aut aliunde orta.

Supponimus autem, cōtractus esse in triplici differentia, quia alij sunt qui cedunt in vtilitatem solius accipientis rem, qualis est contractus commodati nudi, seu liberaliter dati, alij sunt qui cedunt in vtilitatem solius dantis rem, qualis est contractus depositi nudi, seu absque pretio admissi; alij sunt, qui cedunt in vtilitatem vtriusque contrahentis, quales sunt locatio, & conductio, & pignoratio, & societas.

Circa difficultatem ergo conueniunt DD. accipientem rem ex contractu cedente in vtilitatem solius dantis, vt ex contractu depositi nudi, seu puri, teneri ad restitutionem damni illati, vel sequuti

quuti

quuti rei ex culpa lata, & non illati, nec fequuti ex culpa leui (& multo minus ex leuifsima) & in primis tenetur ex lata : quia ratio exigit vt in cuftodia illius non fit negligens, fed quod habeat diligentiam ordinariam quam homines folent in proprijs rebus cuftodiendis adhibere. Deinde non tenetur ex leui, nec ex leuifsima, quia ratio non exigit, vt qui rem alienam iuftè accipit in vtilitatem folius domini rei, maiori onere grauetur in cuftodia illius, quam in cuftodia rei propriæ.

Eft tamen controuerfia, an qui accipit rem ex contractu cedente in vtilitatem fui ipfius folius, vt ex contractu commodati nudi, teneatur ad reftitutionem damni fequuti ex culpa minore, quam lata: & etiam qui accipit rem ex contractu cedente in vtilitatem ipfius, & in vtilitatem dantis, vt ex contractu locationis, vel conductionis.

Caiet. Aragon. & Bannez 22 q. 62. Molin. difp. 245. Vazq. cap. 2. §. 2. dub. 6. Bonacin. de contractib. dif. 3. q. 1. puncto 6. & plures alij Theologi, & iuris periti, docent, in primis, eum qui accipit rem ex contractu cedente in vtilitatem vtriufque, teneri ex culpa, feu negligentia leui, quia in cuftodia illius tenetur adhibere maiorem diligentiam, quam qui accipit rem ex contractu cedente in vtilitatem folius dantis: ac proinde tenetur ex culpa minore quam ille, & confequenter ad minus tenetur ex leui, & non tenetur ex leuifsima, feu minima, ob rationem quam iam fubijcimus. Deinde docent eum, qui accipit rem ex contractu cedente in vtilitatem ipfius accipientis folius, teneri ex culpa, feu negligentia leuifsima, feu minima : quia hic tenetur adhibere maximam diligentiam, quia tenetur adhibere maiorem, quã qui accipit rem ex contractu cedente in vtilitatem folius dantis, hic autem tenetur ex lata, & maiorem quam qui accepit rem ex contractu cedente in vtilitatem vtriufque, hic autem tenetur ex leui: ac proinde illi tenetur ex culpa leuifsima, & hec pofterius, quod docent prædicti DD. difpofitum eft iure Cęfareo, ficut etiã difpofitum eft illud prius, quod docent, excepto Præcario vt accipiens rem, ex illo, tantum teneatur ex lata.

Ex Auctoribus huius fententiæ, nonnulli docent ad obligationem reftitutionis in cafibus dictis, fufficere dictam culpam iuridicam abfque Theologica, alij etiam requirunt Theologicam; imò ex his aliqui ad eam obligationem requirunt culpam mortalem quando damnum fequutum eft graue.

H Sot.

Sot. verò 4. de iustit. q. 7. artic. 2. Henriq. de irregularit. cap. 25. Tolet. lib. 5. ca. 18. editionis antiquæ, & Saa verb. culpa, docent neutrum secluso supradicto pacto assecurationis teneri, nisi ex culpa lata (quod probabile sentiũt Les. c. 7. n. 43. Adam. disp. 4. q. 6. n. 50. & Becan. q. 48.) & meritò, quia in primis iure naturali non tenetur ex minore culpa quam lata, quia accipienti rem adhuc ex contractu cedente tantum in vtilitatem ipsius absque fundamento imponitur obligatio iustitiæ adhibendi in custodia illius maiorem diligentiam quam dominus ipsius rei prudenter, & absque nota negligentis procedens adhibet, dominus autem rei si communem, & ordinariam diligentiam attenta quantitate, & qualitate rei adhibeat, & non adhibeat maiorem, nec maximã, non habebitur, nec notabitur negligens, & imprudens. Deinde in re positiuo non tenetur ex minori culpa quam lata, quia quamuis sint leges positiuæ quibus imponitur obligatio maioris diligẽtiæ pro custodia rei acceptæ ex contractu cedente in vtilitatẽ vtriusque accipientis, videlicet, & dantis rem, & obligatio maximæ diligentiæ pro custodia rei acceptæ ex contractu cedente in vtilitatem solius accipientis rem, & sint iustæ ob bonum commune, & vt omnis fraus, & negligentia vitetur, & vt accipiẽs excitetur ad diligentiam consentaneam gratitudini erga dantem quamuis non debitam ex iustitia, non tamen sunt vsu receptæ in foro conscientiæ ante sententiam condemnatiuam iudicis.

Ad rationẽ ergo aduersariorũ negamus, accipientẽ rẽ ex dictis cõtractibus obligari ex iustitia ad dictã maiorem diligentiã: quia quamuis hæc sit consentanea, & conformis gratitudini, non tamẽ est debita ex ea, & multo minus ex iustitia.

Addimus in quo conueniunt Auctores nostræ sententiæ, & nonnulli oppositæ, nõ sufficere culpã iuridicã latã ad obligationẽ restitutionis dãni ex ea sequuti adhuc ex contractu cedente tantum in vtilitatem solius accipientis, sed etiã requiri culpã Theologicam, seu quod damnificatio fuerit libera omittenti diligentiã ordinariam, quia obligatio restituendi dictum damnum non nascitur ex contractu ex quo accipitur res quia non accipitur ex cõtractu assecurationis, sed tantum nascitur ex delicto damnificationis, quia negligens efficit, siue commissiue, siue omissiue iniustitiam, & inæqualitatem damnificato, hanc autem non tenetur reducere ad æqualitatem qui absque libertate illam efficit.

Diffi-

Diffic. VII. Vtrùm positiuè cooperans ad damnũ, teneatur ad restitutionem illius.

NON Procedit difficultas de eo qui immediatè efficit, seu exequitur damnum cooperando immediatè cum altero ad illud, quia certum est eum teneri ad restitutionem illius, sed procedit de eo qui mediate cooperatur ad illud, quod potest nouem modis contingere. Primò, iubendo; secundò, consulendo; tertio, consentiendo; quartò, laudãdo, seu adulãdo; quintò, refugiũ, vel securitatẽ præbẽdo; sextò, auxiliando ad executionẽ dãni; septimò, tacẽdo, idest, nõ consulẽdo, vel nõ iubẽdo oppositũ, vel aliter non clamando; octauo, non impediendo; nono, non manifestãdo. Damnificatorem, vel ante damnificationem, vt impediatur, vel post vt damnificator cogatur restituere, ex quibus nouẽ modis, sex priores sunt positiui, & tres posteriores negatiui, qui omnes his duobus versibus continentur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Est ergo nunc difficultas, an qui aliquo modo ex dictis prioribus sex cooperantur positiue ad damnum, vt ad homicidium, ad furtum, ad detractionem, & ad quodcũque aliud damnum teneatur ad restitutionem illius.

Supponimus, eum qui aliquo modo ex dictis quantum est ex se inducit, seu mouet executorem damni ad illius illationem peccare quamuis inductio illa non habeat effectum, quia quantum est ex se mouet ad peccatum, de quo nonnihil diximus tract. de Charitat. disp. 10. dif. 4.

Circa difficultatem ergo conueniunt primò DD. eũm qui suo imperio, aut consilio, aut alio modo ex dictis sex, mouet efficaciter executorem damni, aut ei efficaciter auxiliatur, vt illud absolutè exequatur, itaut absque ea motione, vel auxilio, nõ fieret ab eo executore, teneri ad restitutionem; quia tũc sua motione, aut auxilio fuit causa efficax illius damni: quod est verùm quamuis damnum illud exequendum esset iniustè ab altero, si ille inductus, vel adiutus non exequeretur illud, sicut etiam ille alter, & eum efficaciter inducens, vel iuuans teneretur.

Conueniunt secundò DD. eum qui suo imperio, vel cõsilio, vel alio modo ex sex dictis non mouet, seu iuuat efficaciter executo-

rem damni non solum, vt id absolutè exequatur, sed nec vt aliquo modo, nempè, vt citius, vel animosius, vel alacrius id exequatur, quia tunc executor id exequitur, & eodem modo, ac si nullo modo moueretur, nec iuuaretur, non teneri ad restitutionem damni, quia tunc imperans, aut consulens, aut alius ex prædictis, non cooperatur verè, seu efficaciter & formaliter, quia tunc nec imperium, nec consilium, nec auxilium, nec aliud ex sex dictis conducit aliquo modo ad damnum.

Est ergo difficultas, an si executor damni, illud erat absolutè illaturus v.g. occisurus Petrum, aut furaturus rem aliquam, absque aliqua cooperatione ex dictis sex, non tamen eodem modo, quia cooperatio conduxit vt citius fieret ab executore, vel facilius, vel crudelius, vel animosius, vel alacrius, an tunc sic cooperans positiuè aliquo modo, ex sex dictis teneatur ad restitutionem damni executioni mandati.

Caiet. q. 62. Sotus lib. 4. q. 7. art. 3. Petr. Nauar. lib. 3. cap. 4. Vazquez cap. 9. §. 1. dub. 1. & Bonac. disp. 1. q. 2. punct. 7. partē affirmatiuam tuentur (quæ etiam aliquando mihi arrisit,) quia tunc verè cooperatur aliquo modo ad damnum, imò aliquando ad actum damnificationis numero distinctum.

Adrian. verò in 4. q. 1. de restit. Antonin. 2. p. tit. 1. cap. 12. §. 12. Les. cap. 13. dub. 2. Becan. de restitutione, q. 35. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 5. & Diana tract. 5. resolut. 84. partem negatiuam tradunt, & meritò quia tunc cooperator, non censetur moraliter causa substantiæ damni, seu cooperator ad damnū quoad substātiam, quia quoad eā etiā fieret ab executore, absq; dicta cooperatione, quia etiā absq; ea executor erat, v.g. occisurus eandē personā, aut furaturus centum eiusdē personæ, sed tantum censetur cooperari ad damnum, vel quoad modum, vel quoad circunstantiam, vel quoad hunc actum numero distinctum: quia idem damnum quoad alium actū numero distinctum, imò quoad alium modum, vel quoad aliam circunstantiam, etiam fieret ab ipso executore, absque dicta cooperatione, ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Et ob eandē rationē, qui nullo modo ex sex dictis, cēsetur cooperari ad homicidiū, quoad substantiā, quia scilicet etiā erat cōmittēdū ab executore, absq; cooperatione illius, nō incurrit irregularitatē, vt diximus tract. de irregular. disp. 1. dif. 6. quia scilicet tūc moraliter nō cēsetur cooperari ad homicidiū, quoad substātiā: quod

quod est verum quamuis sit causa, vt homicidium fiat citius si parum citius fiat, nempè, duabus horis antea, quia breuis acceleratio mortis moraliter non censetur homicidium saltem respectu mediate cooperantis: benè tamen censetur quando acceleratio est notabilis, nempè, viginti & quatuor horis antea, & ideò tunc cooperans ad eam notabilem celeritatem fit irregularis.

Si tamen imperio, aut consilio, aut aliquo alio ex sex dictis fiat maius damnum ab executore, quam ab ipso fieret ea cooperatione deficiente, vt si fur aliàs tantum erat furaturus cẽtum aureos, & inductus, vel adiutus furatus fuit ducentos, tunc cooperator tenetur ad restitutionem excessus damni, nempè, centum aureorum, quia verè fuit causa efficax illius excessus.

Qui verò suadet ei, qui paratus est facere maius damnum alicui, & illud illaturus est, vt eidem imò, & vt alij distincto minus efficiat non peccat, nec ad restitutionem tenetur, vt dicimus tractat. de Charit. disp. 10. dif. 3.

Difficult. VIII. Quando causa positiue cooperans sit vera, seu efficax causa damni, & consequenter ad restitutionem teneatur?

QVOD Vt clarius explicetur expedit discurrere per dictas sex causas positiue cooperantes, nempè, iubentem, consulentem, consentientem, adulantem, recursum præbentem, & participantem, seu auxiliantem.

Inprimis ergo iubens, seu imperans fieri damnum aliquod est causa vera, seu efficax damni quãdo suo iussu, seu imperio mouet efficaciter executorem damni ad ipsum damnum, mouet autem efficaciter executorem quando absque eo iussu executor dãni non inferret illud, nomine autem iubentis intelligitur non solum qui in rigore iubet, sed etiam qui instar iubentis committit, seu commendat aliquid alicui quamuis non habeat authoritatem ad iubendum; & iubere seu imperare cõtingit dupliciter, vel expræsse, vt quando herus famulo dicit, *fac hoc*, aut *volo*, vt *facias hoc*, vel implicite, seu tacitè, vt quando herus suo dicto, vel facto indicat famulo sibi gratum fore, vt suo nomine damnum inferat,

vt quando dicit famulo, *non mihi placebis nisi facias hoc*, aut quãdo dicit, *non eris vir, nisi facias hoc*, aut quando scit famulum, vel alterum velle nomine suo damnũ inferre, v. g. suo inimico, & oppositum non significat illi, si famulus, vel alter sciat herum cognoscere propositum illius.

Quod si herus nec expressè, nec implicitè præcepit famulo illationem damni, quamuis famulus nomine heri illud intulerit, herus non est causa damni, vt patet, nec ad restitutionem tenetur, quod est verum etiam si herus postea re cognita approbet, seu ratam habeat illationem damni, vt contra Palud. Syluest. Angel. & Nauar. aduertunt Vazquez cap. 9. §. 1. numer. 19. Medina quæstion. 7. Rebell. Les. Becan. Layman. & Bonacina disputat. 1. quæstion. 2. numer. 9. quia tunc herus verè non est causa damni, quia post iam causatum, seu factum approbauit illud: nec huic obstat regula illa 10. iuris in 6. *ratihabitionem retrotrahi, & mãdato comparari*; quia regula hæc non habet locum respectu operis iam patrati, vt ratum habens illud, sit causa illius, quod necessarium erat vt teneretur ad restitutionem, sed tantum habet locum in contractibus, & in alijs actibus, quorum valor pendet ex sola voluntate ratum habentis: quia tunc quamuis iam præteriti, & nulli, possunt pro sola voluntate expressa media ratihabitione firmari.

Si tamen iubens ante damni executionem, reuocet efficaciter mandatum, non est causa damni, & consequenter nec tenetur ad restitutionem illius: tunc autem dicitur efficaciter reuocare mandatum, vt ex tunc non dicatur mouere executorem, seu mandatarium, quando illud reuocat ante executionem, & taliter vt reuocatio innotescat executori, quia in mandato agitur res mandantis, & vt ipsi placeatur, ac proinde cognita opposita voluntate mandantis, mandatum ipsius desinit esse, & mouere.

Secundò, consulens fieri damnum aliquod, est causa damni, & tenetur ad restitutionem, quando suo consilio mouet efficaciter executorem ad id: mouet autem efficaciter quando executor absque eo consilio non inferret illud damnum: nomine autẽ consulentis intelligitur ille, qui suadet seu hortatur, & etiam ille qui instruit absque suasione, aut affirmando aliquid esse licitum, vel illicitum, aut affirmando aliquid esse conueniens, vel vtile ei cui consilium datur, quod etiam fieri potest absque suasione (de quo non nihil diximus ex mẽte Lesij tract. de pœnit. disp. 10. dif. 22.)

11.) & ad consulentem priori modo reducitur petens, seu rogans, quia est quodammodo suadens.

Si tamen consulens ante executionem damni reuocet efficacaciter consilium, non est causa damni, & consequenter, nec tenetur ad restitutionem: tunc autem dicitur efficaciter reuocare consilium, si fuit tantum ad instruendum, v.g. an aliquid sit licitum, vel an sit obligatio ad aliquid, si sufficienter impugnet rationem, qua id instruxit, si ratione consuluit, aut si sine ratione consuluit, si instruat seu consulat oppositum, & si consilium nō tam fuit ad instruendum, quàm ad mouendum medio aliquo motiuo conuenientiæ, vt quando quis suasit alicui homicidiū inimici, quia expedit eius famæ, tunc reuocatur efficaciter, quando ita reuocatur vt qui consilium accepit, non moueatur eo motiuo vt accepto à consulente, quòd non semper assequitur, qui id reuocare intendit: si verò consilium fuit petitio, seu rogatio, tunc efficaciter reuocatur, quando qui petiuit, seu rogauit, reuocat reuocatione nota rogato, eo modo quo reuocatur mandatū, & ob eandem rationem.

Tertio consentiens, quòd alicui fiat damnum, est causa damni, & ad restitutionem tenetur, quando fit ita dependenter à suo consensu, vt absque eo non fieret, vt quando à consensu alicuius præstito pendet, & fit quod inferatur bellum iniustum, & quòd statuatur sententia iniusta, si executioni mandetur, & quod fiat iniusta electio alicuius in aliquod officium relicta persona, habente maius ius ad illud officiū, quando verò consensus non conducit ad illationem damni, & ad id est impertinens, quia ante illū iam præcesserat consensus alterius, vel aliorū, sufficiens ad eam illationē damni, tunc consentiens non est causa damni, vt patet, nec tenetur ad restitutionem illius, etiam si peccet, quia quantū est ex se tendit in illationem iniustam damni.

Vnde quando plures ferunt suffragia in illationem damni, si suffragia omnium sunt necessaria ad illam, omnes sunt causa illius, & tenentur ad restitutionem, quando verò duæ partes ex pluribus sufficiunt, aut maior pars, tunc qui post suffragia sufficiētia ferūt suffragiū quamuis in eo peccent, nō tamē tenētur ad restitutionē, quia non sunt causa damni, quia tunc illorum suffragia sunt ad illud damnum impertinentia: in quo contra Cordubam conueniunt cōmuniter DD. tenētur tamē ad restitutionē, si priores reuocaturi erāt, aut mutaturi suffragia nō cōsentiētib⁹ poste-

rioribus, quia tunc posteriores consentientes sunt causa damni non positiua, sed priuatiua, seu negatiua, quia consentiendo non obstant illationi damni, quam vitare tenentur.

Qui vero ante numerum sufficientem suffragantur in illationem damni, & qui numerum sufficientem suffragiorum complet, verè tenentur ad restitutionem, quia verè sunt causa efficax damni, & verè tenentur quamuis nouerint reliquos sequentes laturos esse suffragia in eamdem illationem damni, quia ea notitia nō tollit priores fuisse causam efficacem damni, sicuti etiam tenetur ad restitutionem qui suadet ad illationem damni sciens alterum eamdem efficaciter suasurum, si ipse non præueniat sicut ille alter teneretur: si tamen illatio illa damni, cuius priora suffragia fuerunt causa, alias facienda erat à casu, vel ab altero iustè, tunc non tenerentur ad restitutionem, quia tunc moraliter non censentur causa alicuius damni, iuxta ea quæ dicimus disp. 5. dif. 4. quæ dicta sunt circa ferentes suffragia circa illationem damni, non solum sunt vera quando suffragia tantum sunt consultiua, sed etiam & maiori ratione quando sunt decisiua: imò qui suffragia decisiua ferunt primo loco tenentur quam executor illationis damni illis subordinatus quoad executionem.

Quartò, palpo, seu adulator est causa damni, & tenetur ad restitutionem, quando adulando executorem, v. g. laudando ipsum quod sit nobilis, & addendo, quod sit contumelia affectus, aut laudando eum, quod sit fortis, & vir non patiens iniuriam, vel reprehendendo eum, quod sit ignauus in vlciscendo iniuriam, mouet eum efficaciter ad illationem damni: quia adulatio & etiā reprehensio habent vim suasionis, & ad eam reducuntur: mouet autem efficaciter ad illationem damni, quando executor absque illis non inferret damnum.

Quintò, recursum præbens, est causa damni, & tenetur ad restitutionem, quando oblato suo recursu mouet efficaciter executorem ad illationem damni, nempè, oblata occultatione ipsius executoris, vel alio refugio, quo executor animetur ad illationē damni: mouet autem efficaciter quando absque oblatione sui refugij executor non inferret damnum, vnde qui furi offert occultationem, ne à ministris iustitiæ comprehendatur, verè est causa damni postea futuri, si fur ea spe animetur ad postea furandum.

Sextò, participans in damno, seu auxilians ad illationem illius, est verè causa damni, & tenetur ad restitutionem, si efficaci-

ter

ter cooperatur ad damnum: tunc autem dicitur, efficaciter cooperari, quando absque suo auxilio, vel ministerio præuio, executor non inferret damnum illud adhuc retinendo alienum: nomine ergo participantis, seu auxiliantis ad damnum intelligitur, nõ is qui immediatè cooperatur ad damnum, vt qui cum altero destruit domum (qui absque dubio peccat, & teneatur ad restitutioné) sed intelligitur, qui suo auxilio, aut ministerio præuio phisicè cooperatur mediate ad damnũ, nempè, vel applicando, vel sustinendo scalam furi ascendenti ad furandum, vel clauem ei suppeditando, vel furem causa defensionis comittando.

Si verò executor absque eo auxilio, vel ministerio auxiliantis illaturus erat damnum illud, quamuis tunc auxilians, seu cooperans peccet contra iustitiam, si absque coactione aliqua, vel absque alia rationabili causa cooperetur, quia quantum est ex se moraliter tendit ad illationem damni, iuxta ea quæ diximus tractat. de Charitate, disput. 10. dif. 7. tamen non tenetur ad restitutionem, vt aduertit Layman. num. 6. quia tunc effectiuè non est causa damni, quia eius auxilium est impertinens ad illationem illius, quamuis pertinens sit, seu conducat ad modum aliquem, vel ad actum numer. distinctum, dum ex eo modo, aut ex eo actu numero distincto non crescat damnum, quia si crescit tenetur ad restitutioné illius excessus. Addimus, *Si absque coactione, vel absq; alia rationabili causa cooperetur* peccat, quia quãdo coact⁹ metu aliquo considerabili, aut ex rationabili causa cooperatur, nõ peccat, quia tunc non censetur moraliter cooperari: & etiam qui ob metum considerabilem, seu grauem asportant rem sublatam à fure, non peccant, quia ex vna parte in asportatione non irrogatur domino iniuria magna, & ex altera parte fit coactione metus grauis ob quæ dominus non erit in eo rationabiliter inuitus.

Obseruandum est in dubio, absque iudicio probabili, an quis fuerit verè causa, seu fuerit efficaciter cooperatus ad damnum, eum non teneri ad restitutionem, quia in eo dubio melior est conditio posidentis, vt non obligetur ad restitutionem.

Diffic. IX. Vtrùm qui aliquo modo ex sex dictis cooperatur ad damnum, teneatur in solidum ad restitutionem illius?

SVPPONIMVS, In quo DD. conueniunt, eum qui iuxta prædicta suo imperio, aut consilio, aut ministerio prauio, aut alio ex sex prædictis cooperatus est ad illationem damni teneri in solidum, seu ad restitutionem totius, si solus cooperatus est.

Est tamen difficultas, an quādo plures cooperati sunt, quilibet teneatur in solidum, seu ad restitutionem totius damni, an tantū ad restitutionem partis: & eadem est difficultas quando plures cooperantur immediate ad executionem damni.

Circa quam omissis varijs modis dicendi existimamus, in quo Doctores re ipsa communiter conueniunt, quādo plures cooperantur, siue mediatè aliquo modo ex sex dictis, siue immediatè ad idem indiuiduum damnum, vt ad incendium eiusdem domus, aut ad effractionem eiusdem portæ, aut ad tractionem eiusdem nauis, quemlibet teneri in solidum ad restitutionem totius damni ad quod cooperatus est (non restituentibus alijs partes sibi correspondentes) quia tunc quilibet est causa (quamuis tantū partialis) totius damni: quod est verū quamuis vnus solus ex eis esset totum illud damnum illaturus, si solus relinqueretur; quia tunc etiam reliqui, qui cum eo cooperantur quamuis non sint causæ, *sine quibus non*, cum damnum erat etiam inferendum absque illis, verè tamen sunt causæ, & verè cooperantur ad totum damnum.

Addimus, *Ad idem indiuiduum damnum*, quia quando plures non cooperantur ad idem indiuiduum damnum; sed quilibet ad partem diuersam, tunc quilibet nōn tenetur ad restitutionem totius damni, sed tantum ad restitutionem partis ad quam cooperatus est, nisi se vicissim animarunt, vel excitarunt ad cooperationem: quia tunc quilibet tenetur primo, aut priori loco ad restitutionem partis damni quam intulit, & secūdo aut posteriori loco ad restitutionem totius alius, quod ab alijs non fuerit restitutum, verbi gratia, quando plures non se vicissim excitarunt, & ingressi vineam vuas collegerunt, tunc quilibet tantum tenetur restituere damnum à se illatū, si verò se vicissim excitarunt, tunc quili-

quilibet primo loco tenetur restituere vbas à se collectas, & secũdo loco vbas ab alijs non restitutas.

Sed an quando plures damnum graue eidem personæ intulerunt, quilibet leue, quilibet peccet mortaliter, & sub mortali teneatur ad restitutionem damni leuis à se illati, dicimus tracta. de peccat. disp. 3. dif. 4.

Diffic. X. Vtrùm qui negatiuè cooperatur ad dãnum, teneatur ad restitutionem illius?

CONVENIVNT DD. non impedientem damnũ, quia omittit, aut loqui seu clamare, aut præstare opẽ, aut manifestare ad impediendum damnum quãdo ad obstandum aliquo modo ex his tribus, tenetur ex iustitia, siue ratione officij, siue ratione contractus, teneri ad restitutionem dãni sequuti ex ea omissione quãdo absque timore, alicuius grauis sui detrimenti omisit, quia vt supponimus, ex iustitia tenetur ad impediendũ dãnũ illud, & non impedit: tenetur autẽ ad restitutionẽ dicti dãni quando si non taceret, aut si prestaret opẽ, aut si manifestaret, nõ fieret dãnũ illud: quia si alias etiam faciendũ erat quãuis non taceret, aut quamuis præstaret opẽ, aut quamuis manifestaret, non tenetur ad restitutionem: quia tunc non esset causa efficax, nec diceretur cooperari, nec diceretur non impedire, quia non fuit loquutus, nec quia non præstitit opem, nec quia non manifestauit: tenetur autem qui negatiue cooperatur, seu qui sua cooperatione est causa re ipsa, seu efficax negatiua damni ad restitutionem illius, vel totius si totius fuit causa, vel tantum partis, si tantũ fuit causa partis, & quilibet tenetur in solidum ad restitutionem totius damni cuius est causa negatiua, quando plures cooperantur negatiuè ad idem indiuiduum damnum, ea proportione qua difficult. præcedente diximus de cooperantibus positiue, & quoad obligationem restituendi idem est de causa negatiua non impediente causam positiuam irrationalem damni, v.g. ignem, & de causa negatiua non impediente causam positiuam rationalem damni, etiam si quoad ordinem restitutionis sit disparitas, quia non impediens causam positiuam rationalem, tenetur secundo loco in defectum, videlicet, ipsius causæ positiuæ: non impediens verò causam positiuam irrationalem tenetur primo loco.

Est

Est tamen difficultas, an qui potest impedire damnum, & non impedit, teneatur ad restitutionem, quando ad impediendum nō tenetur ex iustitia, vel ratione officij, vel ratione contractus.

Caiet. in Sum. verb restitutio, docet, eum qui occurrente necessitate potuit absque proprio incommodo impedire damnum, & non impediuit, teneri ad restitutionem damni sequuti: quia tunc non impediens est causa voluntaria, quamuis tantum negatiua, & indirecta damni sequuti Huic doctrinæ consentit Angel. verb. *furtum*, num. 26. quando non impediens desinit impedire ex prauo animo.

S. Thom. verò quæst. 62. art. 7. Nauar. cap. 17. n. 18. Vazquez cap. 9. §. 3. dub. 1. Lesius dub. 10. & Bonacin. disp. 1. q. 2. puncto 11. docent, non teneri & merito, quia iste vt supponimus non tenetur ex iustitia, quia non tenetur ex officio, nec ex cōtractu, sed si aliquando tenetur, tantum tenetur ex charitate, vel potius ex misericordia erga proximum: ergo non tenetur ad restitutionem damni sequuti, quia obligatio restituendi damnum orta ex delicto, tantum oritur ex violatione iustitiæ, non ex violatione charitatis, nec misericordiæ.

Vnde quamuis, qui ex officio, vel ex contractu non tenetur, quando absque incommodo potest damnum proximi impedire, peccet, & etiam sit causa indirecta voluntaria damni, non tamen tenetur ad restitutionem, quia non peccat contra iustitiam, nec est causa iniusta damni, quamuis desinat impedire ex dolo, & ex odio, quia affectus hic non efficit, quod omissio impediēdi damnum, quæ aliâs non est contra iustitiam, sit contra eam.

Ex dictis constat, omnes & solos, qui ex iustitia ratione officij, vel contractus, tenentur damna impedire in fauorem damnificati, & culpabiliter culpa lata, & in nostra sententia etiam culpa Theologica, desinunt impedire, teneri ad restitutionem damni non impediti.

Vnde debitor tenetur ad restituēdum creditori damnū, quod ei sequitur ex eo quod ei culpabiliter dicto modo omittit soluere, & superior, v. g. gubernator culpabiliter non impediens furta, & alia damna, quæ suis subditis eueniunt, tenetur ad restitutionem eorum damnorum, & Tutor, & etiam Curator, tenetur ad restituenda damna, quæ culpabiliter non impedit pupillo, & minori: & Custos vinearum, hortorum, saltuum, & stagnorum, tenetur ad restituendum dominis dictarum rerum, damna quæ

culpa-

culpabiliter omittit impedire, quia omnes prædicti tenentur ex iustitia, vel ratione officij, vel ratione contractus dicta damna in fauorem damnificatorum impedire: non tamen tenentur ad solutionem pœnæ, quam delinquens soluisset se denunciatus fuisset (vt contra nonnullos aduertunt Vazquez, Bonacina, & alij) quia non tenentur ad denunciationem, vt pœna ipsa damnificati locupletentur, sed ne damnificentur, & ob id tantum tenentur ad restitutionem damni, & non ad restitutionem pœnæ. Vnde Custos non tenetur ad restitutionem mercium quarum Princeps, aut exactor vectigalium acquisijsset si delinquens fuisset denunciatus, sed ad summum tenetur ad restitutionem pretij quod soluendum erat à mercatore pro vehendis mercibus: & Iudex non condemnans delinquentem applicatione bonorum ipsi fisco non tenetur ea fisco restituere, quia Custos non tenetur ad eam denunciationem ad locupletandum Principem, nec exactorem mercibus illis: & Iudex non tenetur ad eam condemnationem faciendam ad locupletandum fiscum, nec Confessarius omittens monere pœnitentem ad restitutionem tenetur ad eam restitutionem, vt diximus tractatu de pœnitentia, disputation. 10. difficul. 22. quia confessarius non tenetur ad eam monitionem ex iustitia in fauorem eorum quibus restitutio debet fieri, sed ex Religione in fauorem perfectionis Sacramenti Pœnitentiæ, & ad summum etiam ex iustitia in fauorem pœnitentium in bonum spirituale ipsorum, nec famulus cui non est specialiter commissa custodia rerum heri sui tenetur ad restitutionem damni illati, per furtum non solum factum à conseruis suis, in quo Doctores communiter conueniunt; sed nec damni illati per furtum factum ab extraneis, vt contra non paucos aduertunt Molin.. Azor, & Bonacin. disputat. 1. q. 2. p. 1. 1. n. 7. quia absque fundamento famulis, quia talibus imponitur obligatio custodiendi res heri adhuc respectu extraneorum.

Omittimus causam mediate cooperantem sua commissione, vel omissione tanquam malo exemplo inducentem ad damnificandum, quia hæc causa quamuis inducendo, seu scandalizando peccet contra iustitiam, non tamen tenetur ad restitutionem damni ab inducto illati, quia ad illud tantum cooperatur imperfecto, & mortuo modo, vt diximus tract. de Charitat. disp. 10. dif. 3.

Diffic.

Diffic. XI. Quo ordine teneantur ad restitutionem damni ad illud concurrentes, siue immediatè, siue mediatè?

CONVENIVNT Communiter DD. Primò, in dānificatione lucratiua, qua scilicet, immediatè damnificans, seu executor damni lucratur, si habeat rem alienam teneri primo loco, & ante omnes mediate cooperantes eam restituere quamuis imperio, & nomine alterius illam arripuerit; quia res aliena in se extans semper pro domino clamat, vt eadem ipsi restituatur, & si re aliena consumpta, factus sit ditior, tenetur primo loco restituere id in quo factus est ditior, quia eam habet in effectu, seu in fructu, excipimus ab hoc posteriori eum qui nomine alterius id mandantis eam rem consumpsit, quia tunc qui id mandauit in se suscepit onus seruandi mandatarium indemnem ab obligatione restituendi, quantum ipse mandans potest, & consequenter hic tenetur primo loco.

Conueniunt secundò, in damnificatione non lucratiua, qua scilicet, immediatè damnificans; nihil sibi lucratur, sed destruit, aut aliter damnificat rem alienam, primo loco teneri etiam ante ipsum immediatè damnificantem eum, qui habens authoritatem præcipiendi, v. g. herus, aut pater, aut alius superior, ad id cooperatur id præcipiendo immediatè damnificanti, qui non fuit ausus illi non obedire, quamuis id vtpote iniustum non potuerit præcipere: & etiam teneri primo loco etiam ante ipsum immediatè damnificantem eum, qui ad id aliquo modo cogit illum, & etiam qui inducit, seu committit ipsi immediatè damnificanti, vt nomine ipsius inducentis (qui etiam nomine mandantis comprehenditur) damnū, exequatur, quia omnes tres prædicti sunt auctores, & causæ principales damni, & immediatè damnificans, seu executor tantum est minister, aut quasi minister illorum.

Conueniunt tertiò, immediatè damnificantem, seu executorem damni à nullo ex tribus dictis auctoribus damni, sed tantum à reliquis mediate cooperantibus motū, teneri primo loco nō solū ante reliquos mediate positiue cooperātes; sed etiā ante negatiue cooperantes, quia immediatè damnificans deficientibus tribus dictis cooperantibus positiue est causa principalis damni, reliqui

liqui vero cooperantes si sint positiue, cooperantes sunt quasi ser uientes immediatè damnificanti, & sunt quasi causæ accessoriæ, & si sint coopeantes negatiue, sunt tantum non impedientes.

Inter causas vero positiuas mediate cooperantes inter se, & inter causas negatiuas inter se, quæ post ipsum immediatè dãnificantem, seu secundo loco tenentur ad restitutionem, non est aliquis ordo (quidquid dicant Petr. Nauar. & Bonacin.) itaut vna teneatur prius, quam altera, & hęc altera solum in defectum illi**: quia nulla causa ex dictis est instrumentum alterius: inter causas vero positiuas mediate cooperantes, positiue ex vna parte, & inter negatiuas ex altera, positiuæ prius tenentur ad restitutionem damni, quam negatiuæ, quia positiuæ verè influunt in damnum, negatiuæ vero non influunt in rigore, sed tantum omittunt impedire, cum impedire teneantur, & suo modo, nempè negatiue sunt quasi causæ mediatæ, quando, scilicet, non impediunt ipsam personam damnificantem.

Obseruandum tamen est inter causas, quæ eodem loco siue primò, siue secundò restituere tenētur non esse discrimen quoad obligationem restituendi maiorem, & minorem portionem, itaut vna teneatur maiorem partem damni restituere quam altera, si omnes ad idem indiuiduum damnum concurrerunt, quamuis vna magis influxerit in illud idem damnum quam altera (quidquid nonnulli dicant) quia nulla est causa maioris damni quam altera, quamuis sit maior causa, seu maiori influxu concurrerit quam altera: obligatio autem restituendi tantum, aut tantum damnũ non oritur ex tanto, aut ex tanto influxu in damnum, sed ex influxu in tantum, aut in tantum damnum: quia qui minimo influxu intulit damnum vt duo tenetur ad restitutionem totius damni vt duo, & non tantum ad aliquid minus: & qui aliud damnum, vt duo intulit maximo influxu, tantum tenetur ad damnum vt duo, & non ad amplius. Vnde si duo phisice immediatè concurrunt ad totum damnum quamuis vnus magis concurrat, non tenetur ad maiorē partem damni quam alter, & si duo concurrunt mediate, siue moraliter, siue phisicè ad totum damnum, quamuis vnus magis moueat moraliter, aut magis iuuet phisicè ad damnum quam alter, non tenetur ad maiorem partem damni restituendam quam alter.

Constat ergo ex dictis, quod quando habens rem alienam, eam non restituit, tunc in defectum illius non restituētis, vel quia

non

non vult, vel quia non potest, tenetur ad restitutionem valoris, qui eam rem furatus est, & si hic qui eam furatus est illam non restituit, tūc in huius defectū illam nō restituētis, tenetur qui furtū illi⁹ iussit, aut coegit, aut qui ad id fraude induxit, aut qui id suo nomine fieri cōmisit si fuit aliquis qui aliquo modo ex his in furtū illius rei influxerit: & post eos in corū defectum tenetur qui aliquo alio modo positiuo ex sex supradictis mediate cooperatus est, & post eos in eorum defectum tenetur, qui aliquo modo negatiuo ex tribus supradictis cooperatus est: & eodem ordine dicto procedendum est in restitutione eius quo quis factus est ditior ex re aliena, excepto quod qui suo nomine cōmisit executori cōsumptionem rei alienæ, ex qua quis factus est ditior, tenetur primo loco ante ipsum qui factus est ditior ob rationem supra adductam: in restitutione vero rei damnificatæ damnificatione non lucratiua primo loco tenetur, qui præcepit damnum illud fieri: aut qui ad illud coegit, aut qui ad illud fraude induxit, aut qui suo nomine fieri commisit: & post eos in eorum defectum tenetur executor damni, & post hunc in eius defectum, tenetur qui aliquo alio modo ex illis sex positiuis cooperatur, & tandem post hunc in eius defectum tenetur qui aliquo modo ex illis tribus negatiuis cooperatur.

Obseruandum est, quod quando sunt plures qui in eodem gradu, & loco siue in primo, siue in alio tenentur ad restitutionē, & quilibet eorum in solidum, si aliquis eorum restituit totum dānum in defectum aliorum, non restituentium partes sibi correspōdentes, quilibet ex eis alijs tenetur illi partem sibi correspondētem conferre, & si non omnes ex eis conferunt, sed tantum aliquis ex eis hic illi primo qui totum restituit tenetur conferre, nō tantum partem sibi correspondentem, sed medietatem damni, v.g. Petro restituenti totum damnum, nempe, vt triginta illatum siue phisice, siue moraliter à Petro & ab alijs duob⁹ quilis ex eis duobus tenetur Petro decem conferre, & si ambo non conferāt, sed tantum vnus, hic tenetur Petro primo restituenti conferre quindecim, illi vero tertius qui nihil contulit tenetur cuiuis ex illis duobus conferre quinque.

Ex dictis deducitur primò, quod si damnificatus remittat debitum, seu obligationem restituendi ei, qui in primo loco, seu gradu tenetur, ij omnes qui in secundo loco tenentur manent liberi ab obligatione restituendi, quia hi tantum tenentur in defe-

ctum

ctum illius primo obligati ad restitutionem, & non restituentis, ac proinde cessante in eo obligatione, quia damnificatus remittit illi obligationem, seu debitum, etiam cessat in alijs sicut etiam cessaret in eis, si ille verè restitueret. Secundò deducitur, quod non liberatur, qui in primo loco tenetur ex eo, quod damnificat• remittat debitum ei, qui in secundo loco tenetur: quia qui in primo loco tenetur, non tenetur in defectum obligati in secundo lóco; sed per se, seu ratione sui. Tertiò deducitur, quod quãdo dãnificatus remittit debitũ, seu obligationẽ alicui ex eis, qui in eodẽ loco, siue in primo, siue in secundo tenẽtur, reliqui non manent liberi ab obligatione restituendi partes sibi correspondentes: quia nullus eorum tenetur ad restitutionem partis sibi correspondentis in defectum aliorum, sed quilibet ad id tenetur per se ipsum, seu ratione sui, ac proinde reliqui tenentur ad restituendum partes sibi correspondẽtes, ac si ille cui facta est remissio non fuisset socius, seu cooperator damni.

Diffic. XII. Qui in periculo potius cõseruat bona propria, quam aliena teneatur ad restitutionem alienorum?

SVPPONIMVS; Quod quando habens rem alienam potest in periculo, v.g. incendij, vel furti, vel naufragij ea conseruare recompensando rem propriam amissam ob conseruationem rei alienę, teneatur ad conseruationem rei alienæ, vt poterit prudenter fieri quando res aliena est maioris valoris, quàm propria, quia tunc ex vna parte ipse nihil amittit, & ex altera conseruat aliquid rei alienæ: quando ergo adsit certa spes dictæ recompensationis, obligatio est conseruandi rem alienam.

Hoc ergo supposito, difficultas est, ad quid teneatur deficiente dicta spe recompensationis.

Circa quam cum nonnullis Doctoribus existimamus eum, qui habet rem alienam ad cuius custodiã, siue ratione contractus, siue aliter teneatur maximam habere diligentiam, seu ad cuius custodiam teneatur de leuissima (quod idem est) teneri in dicto periculo ad conseruandam rem alienam quamuis minoris pretij, vel teneri ad recompensationem, si velit propriam conseruare; quia id nõ efficere est non adhibere maximam diligentiã circa rẽ

alienam ad quam verè tenetur, vt supponimus eum verò qui habet rem alienam ad cuius custodiam non teneatur de leuissima, non teneri in dicto periculo ad conseruationem rei alienæ quamuis maioris pretij, quia ea est maxima diligentia ad quam non tenetur: quando autem quis teneatur iam diximus supra.

Quando ergo habens rem alienam, non tenetur maximam habere diligentiam ad conseruationem illius, tunc in occasione tẽpestatis, in qua eijciendæ sunt merces, vel propriæ, vel alienæ in mare ob prudẽtem timorẽ naufragij, seu submersionis nauis, si eijcit alienas, tenetur ad recompensationem, non omnium, sed tantum pro sua parte, quæ eijcienda erat, quia tunc merces vtriusq; cooperantur ad nauis depressionem, seu iuuant ad submersionẽ ob cuius timorem eijciuntur, & quamuis iure naturali quiuis teneatur ad restitutionem attento pondere mercium, quia ratione illius, nauis deprimitur, iure tamen positiuo leg. 2. & 4. ff. de lege Rhodia de iactu, restitutio facienda est attento valore mercium, & non pondere, ita vt qui in naui habet gemmas maioris valoris, & ponderis minoris, quàm ferrum multo maioris ponderis, & valoris multo minoris, quod alter habet, teneatur (vbi ius Cæsarem habet vim) ad maiorem restitutionem proportionatam valori, seu pretio gemmarum, nullatenus attendendo ad minoritatem ponderis.

Addunt Medina de restitution. quæst. 3. Petr. Nauar. l. 3. c. 5. & Bonacin. q. 34. quod si is qui in dicto periculo eijcit merces alienas, nullas habeat proprias ad nullam teneatur restitutionem ex eo quod seipsum conseruet in mari, & meritò, quia iure naturali cuicunque permissum est repellere quidquid sibi affert mortem, aut impedit se à morte liberare.

Diffic. XIII. Vtrùm qui impedit aliquem à consequutione boni, teneatur ad restitutionem illius.

SVPPONIMVS Eũ, qui impedit aliquẽ à cõsequutione boni ipsi debiti ex iustitia siue quia habet dominiũ illius boni, siue quia habet ius ad illud, siue ratione promissionis, aut oppositionis, aut primogenituræ, aut alius tituli, teneri ad restitutionẽ illius boni impediti, verbi gratia, officij, aut beneficij, aut hæreditatis quãdo ex iustitia debetur quamuis sine vi, & fraude, sed sola suasione

ne impediatur, non tamen teneri ad restitutionem totius valoris boni impediti, nisi rarissime, sed valoris spei consequendi bonū illud, attentis contingentia illud consequendi, & alijs circunstantijs, quia spes consequendi bonum debitum rarissimè valet tanti quanti valet bonum speratum, sed an beneficium sit debitum ex iustitia oppositori digniori, disputatur tractatu de beneficijs.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an qui impedit aliquē à consequutione boni non debiti illi ex iustitia, sed conferendi ex liberalitate, aut ex gratitudine, aut ex fiedlitate pura, absque debito iustitiæ, tneatu ad restitutionem illius.

Circa quam conueniunt DD. eum qui impedit aliquem à consequutione boni quamuis ei non debiti ex iustitia, si vi, aut fraude, aut alia actione iniusta impediat, teneri ad restitutionem valoris consequendi illud, siue vis, aut fraus fiat ipsi collatori, vt non conferat, siue ipsi cui conferenda est, vt illud non procuret, vel vt non recipiat, quia quocumque modo ex his impediēdo, infert illi manifestam iniustitiam: eū verò qui absque vi, & fraude & absque alia actione iniusta impedit, nō teneri ad restitutionē: quia hic nullam illi facit iniuriam, quia nec impedit modo iniusto, nec illi est debitum ex iustitia; quod est verum, etiam si impediens id efficiat ex animo nocendi, vt contra Maiorem in 4. distinctione 15. quæstion. 16. aduertunt communiter Doctores, quia malus ille animus non est contra iustitiam, sed tantum contra charitatem, vel contra aliam virtutem, ex qua non oritur obligatio restituendi; & quamuis esset contra iustitiam, non sufficeret, quia re ipsa, & in effectu non efficit aliquid iniustum. Verum est in foro exteriori dari actionem de dolo contra impedientem animo nocendi.

Qui ergo manifestatione defectus occulti veri absque vi, & fraude impedit, aliquando tenetur ad restitutionem, & aliquando nō tenetur: tūc tenetur quādo manifestationē defectuosᵉ ipse est iniustè infamatus, vt quando publice infamatur, & ob eam infamationem iniustam, vt iniustam, non confertur ipsi bonum, verbi gratia, legatum, quia tunc iniustitia infamationis est defectuoso causa damni, seu impeditionis boni: si verò manifestatione defectus occulti non est iniustè infamatus, vt contingit quando manifestatio tantum fuit facta collatori boni, quia non est contra rationem, manifestare collatori

boni, id cuius ignorantia reddit collationem inuoluntariam, quia eo cognito nollet illud conferre, tunc impediens non tenetur ad restitutionem: quia non impedit iniustè, imò nec tenetur ad restitutionem boni impediti quãdo defectuosus fuit publice infamatus, & ideò iniustè infamatus, si non impeditur, ob publicam infamiam, sed tantum ob defectum manifestatum, quia tunc manifestans non impedit iniustè, quia manifestatio defectus nõ impedit vt iniusta, seu vt publice facta, sed vt facta collatori, qua ratione non est iniusta, & quamuis vt facta collatori esset iniusta adhuc non teneretur ad restitutionem boni impedit: quia nõ impediretur ob manifestationem defectus tanquam ob motiuũ, seu causam, sed tantum ob defectum ipsum verum manifestatum, vel si teneretur (quod existimo falsum) quia ipsa manifestatio fuit causa impediendi bonum, non teneretur ad integram restitutionem boni impediti, sed tantum ad partem ad arbitrium viri prudentis, quia nõ solum ipsa manifestatio iniusta, esset causa impediens, sed etiam ipse defectus manifestatus, hic tanquam causa motiua, & manifestatio tanquam conditio.

DISPVTAT. VI. DE RESTITVTIONE RATIONE REI ACCEPTÆ.

Difficultas I. Vtrùm habens rem alienam inuito domino teneatur eam illi restituere?

CONVENIVNT DD. eum qui bona fide habet rẽ alienam inuito domino (qui dũ oppositum non constat, censendus est inuitus) statim ac cognoscit esse alienã teneri eã domino restituere, quia nequit eã inuito domino retinere: ac proinde teneri ad restitutionẽ ratione rei acceptę, seu habitę, nõ ratione iniustę acceptionis, seu dãnificationis: quia eã non habet iniustè, quia eã habet bona

bona fide: quod si postquam cognouit esse alienam eam non restituit cum primum commode possit, ex tunc incipit mala fide possidere, & ideò ex tunc etiam incipit obligari ad restitutionem illius ratione iniustæ acceptionis; quia retentio acceptioni æquiualet, quod autem discrimen sit inter obligationem restituendi ratione rei acceptæ, & inter obligationem restituendi ratione iniustæ acceptionis, seu damnificationis, postea dicemus.

Ille dicitur, possidere, seu habere rem bona fide, qui eam possidet absque peccato, quia eam possidet ignorans inuincibiliter esse alienam: ille verò dicitur possidere, seu habere rem mala fide, qui eam habet peccando, quia eam habet cognoscens esse alienam, aut id potest cognoscere, quia id ignorat vincibiliter.

Vnde si quis rem alienam bona fide consumpsit, vel alienauit, non tenetur eam restituere, nec aliquid ei æquiualens, quia nec eam habet, nec aliquid æquiualens: tenetur tamen restituere id in quo factus est ditior ex illa re, si in aliquo factus est, & totum illud, dum non excedat valorem rei consumptæ, vel alenatæ: quia tūc ex ea re habet id in quo factus est ditior, seu id quod est fructus, seu effectus rei alienæ antea habitæ. Addimus, *Dum id in quo factus est ditior non excedat valorem rei consumptæ, vel alienatæ*, quia excessus hic non est fructus illius rei, & ideò non est restituendus. In eo autem censendus est quis factus ditior ex re aliena, quod ratione rei excusauit expendere ex proprijs, & etiam in eo, quod acquirit ratione rei alienæ.

Ex dictis constat, primò, quod si durante bona fide res illa aliena perit, siue à casu, siue propria voluntate, non tenetur quis ad restitutionem, quia tunc res non habetur in se ipsa, quia periuit, nec habetur fructus aliquis illius, quia quamuis illam habuit, non est factus ditior ex illa. Secundò constat, quod qui bona fide inuitatus comedit ex re furtim sublata, aut aliter iniustè detenta, non teneatur restituere partem, quam comedit, sed tantū id, quod expēderet ex proprijs rebus in comedendo, si nō comedisset inuitatus ex ea re aliena, & totū quod expēderet, nisi hoc totū excedat partē quā comedit, quia tūc nō tenetur hūc excessū restituere, quia hic excessus non est fructus partis rei alienæ, quā comedit. Tertiò cōstat, quod qui bona fide emit rē alienā, & eam

bona fide vendidit, non tenetur ad restitutionē, nisi alicuius lucri si fortè reportauit ex venditione, vt si fortè carius eam vendidit quam emit, quia tunc in eo excessu factus est ditior. Quartò constat, quod is qui bona fide donatione accepit rem alienam, & eā vendidit, tenetur pretium restituere, nisi iam pretium consumpsit, vel ludo, vel donatione, vel aliter: & non esset quantitatem illam sic consumpturus, nisi rem illam donatione accepisset. Quintò cōstat, quod qui bona fide accepit rem alienam, & eam donauit, qui eam habuit, & alias non erat donaturus, non tenetur ad restitutionem, quia non est factus ditior.

In casu autem in quo quis cœpit bona fide posside re rem, quamuis postea oriatur dubiū, an sit propria, an aliena, & post prudentem diligentiam (quæ adhibenda est ad inueniendum dominum, si sit spes inueniendi illum) perseueret, non tenetur eam restituere: quia in dubio melior est conditio posside ntis, si bona fide incœpit possidere, quod est verum quamuis ita dubitet, vt magis inclinet in eam partem, quod scilicet, res sit aliena, de quo diximus tract. de bonit. & malit. disp. 4. dif. 10.

Diffic. II. Vtrùm possessor bonæ fidei etiam teneatur restituere fructus perceptos?

SVPPONIMVS, Fructus esse in triplici differentia, quia alij sunt merè naturales, quos natura ipsa producit, nulla vel vix humana industria concurrente, quales sunt fœtus; animalium, poma, & herba: alij sunt merè industriales quos industria humana efficit, nullo modo, vel vix natura concurrente, quale est lucrum, quod medijs rebus vsu consumptibilibus, nempè pecunia, vino, & frumento, acquiritur negotiando: alij sunt mixti, quia ad eos natura, & humana industria concurrunt, quales sunt segetes, & alij fructus qui serendo producuntur, & etiam caseus, & vinum.

Hoc ergo supposito, iuxta ea quæ dicta sunt, difficultate præcedenti existimamus possessorem bonæ fidæ (imò, & malæ) non teneri in foro conscientiæ restituere fructus merè industriales etiam extantes, quādo cognoscitur rem esse alienam, quia hi non pertinent ad dominum rei; sed ad possessorem ipsum (adhuc malæ fidei) quia non sunt fructus rei, sed industriæ ipsius possidentis

rem.

rem: tenetur verò restituere fructus mere naturales, & etiã mixtos extantes quando cognoscitur rem esse alienam, deductis expensis vtilibus, & æstimatione laboris ex fructibus mixtis; quia fructus mere naturales, & etiam mixti quoad id, quod habent à natura, seu deductis dictis expensis, & labore pertinent ad dominum rei.

Addimus, *extantes*, quia fructus naturales, & mixti quoad id, quod hi habent à natura, iam non extantes, sed bona fide cõsumpti, vel alienati; quamuis pertinentes ad dominũ rei, nõ sunt restituendi, nisi tantum id in quo possessor bonæ fidei factus est ditior ex eis, quia possessor bonæ fidei tantum tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ, seu habitæ, & tunc dicti fructus non extant in seipsis apud illum, seu eos non habet, & si ex illis factus est ditior, hic excessus, qui est fructus quasi naturalis, ipsius rei extat apud illum, seu eum habet.

Diffic. III. Vtrùm qui rem furtiuam emit, teneatur cognita veritate eam domino restituere: an verò possit eam reddere ei à quo eam accepi, vt possit ab eo pretium recuperare?

SVPPONIMVS, Eum qui rem furtiuam gratis accepit, teneri eam domino restituere, & non posse eam furi reddere (nisi sit moraliter certus, quod furcam restituet) quia tenetur ratione rei alienæ acceptæ, seu habitæ, & nõ tenetur furi, quia non est furis ergo tenetur domino.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem Sot. 4. de iustit. q. 7. art. 2, Medina q. 10. de restitut. §. verum, Ledesma 2. part. 41. q. 18. art. 6. & Couar. regula peccatum, part. 3. docent eum qui rẽ furtiuam emit adhuc bona fide, teneri eam domino restituere, & non posse eam furi reddere, quia qui eam emit tenetur restituere ratione rei acceptæ, quia est aliena, ergo restituenda est ei cuius est, & non furi cuius non est.

Alexand. 4. part. q. 86. num. 63. art. 5. Gabr. in 4. distin. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. Syluest. verb. restitutio, 3. q. 7. & Angelus verb.

restitutio 1. docent, eum qui rem furtiuam emit adhuc mala fide, non teneri eam domino restituere, sed posse eam reddere furi à quo eam accepit, vt ab eo pretium accipiat, quia quisque potest sibi potius quam alijs consulere, præsertim quando non constituit rem in peiori statu, vt contingit in casu præsenti; quia eam reddit ei à quo eam accepit.

Nau. verò cap. 17. n. 9. Vazquez cap. 9. §. dub. 2. Lesius ca. 14. dub. 3. Turrian. disp. 1 ?. dub. 2. & Becan. de restitutione, q. 42. docent, & meritò eum qui bona fide emit rem furtiuam non teneri eam domino restituere, sed posse eam furi reddere, vt ab eo pretium accipiat, eum verò qui mala fide eam emit, teneri eã domino restituere.

Ratio prioris partis est; quia cum detrimento proprio præsertim æquali non teneor domino conseruare rem, quæ apud me est absque iniuria in eum irrogata, & absque eo quod ego eam voluntariè receperim, seu admiserim vt alienam id enim ratio non exigit, ergo absque iniuria in ipsum possũ eã deserere, quãuis sit peritura ergo etiã possũ eã reddere furi quãuis eã non restituro, hæc cõsequẽtia posterior probatur, quia ex vna parte eã reddere furi nõ restituro nõ est peius domino quã eã deserere vbi peritura sit, & eã reddendo furi nõ patior detrimentũ pretij, quia sic illud recuperabo; & ex altera parte ipsi furi non tribuo materiam noui peccati, sed cõmuto in antiquã materiã, nẽpè in rẽ furtiuã, & quãuis tribuerẽ materiã noui peccati nõ obstaret; quia peccãti ex malitia, exqua fur reguluriter peccat, potest licitè tribui materia peccati, quæ alias sit indifferens, qualis in præsenti casu est res illa furtiua; quia sicut fur potest eam retinere, etiam potest eam domino restituere, quando omissio tribuendi eam materiam nequit esse absque præiudicio temporali omittentis.

Ad rationem ergo DD. primæ sententiæ constat, quod rem alienam quam absque iniustia accepi, non teneor restituere domino cum detrimento meo saltem æquale.

Ratio posterioris partis est, quia tũc absque sufficiẽti fundamẽto, omitterẽ restituere rẽ alienã, quã habeo; quia tunc recuperatio pretij non sufficit, quia sciens, illud dedi iniustè contra dominũ rei, quia sciens esse alienam, emi à fure eam: recuperatio enim eius quod iniustè, & sciens dedi, non sufficit, vt res aliena, quæ alias erat ex obligatione restituenda, & eam iniustè, & sciens accepi, & habeo ipsi non restituam.

Ad

Ad rationem ergo DD. secundæ sententiæ constat, quod non possum licitè mihi consulere in recuperatione rei propriæ potius quam alteri in restitutione rei ipsius, quando iniustè, & sciens eã accepi, & sciens, & iniustè contra dominum illius dedi propriam, vt contingit quando mala fide dedi propriam pro aliena.

Dif. IV. Vtrũ possidens mala fide rẽ alienã teneatur eam restituere si apud ipsum pereat?

CONVENIVNT Cõmuniter DD. possidẽtẽ mala fide rem alienã teneri ad restitutionẽ, non tantũ dãmi emergentis, & lucri cessantis domino cuius est res, sed etiã ad restitutionẽ ipsius rei, si apud ipsum possessorẽ pereat quãuis à casu, si apud dominũ non erat peritura, quia tunc possessor malæ fidei ex vna parte, sua iniusta oblatione, seu possessione ipsi libera, liberè spoliat dominũ re sua, & ex altera nullo titulo excusatur à restitutione, quia nõ desinit esse damnosa domino, cum apud dominũ non esset peritura, iniusta autẽ ablatio, seu spoliatio, obligat ad redditionẽ illius rei, quando nullo titulo desinit esse domino damnosa, vt inæqualitas ablatione, seu spoliatione facta; & non excusata à damnificatione, reducatur ad æqualitatem redditione rei.

Est tamen difficultas, an res illa sit etiam restituenda, quando aliàs apud dominũ erat peritura, siue à casu, siue iuste ab altero, vt iusta hostium incursione: & hoc posterius addimus, quia si peritura erat iniustitia alterius, tunc possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem, sicut teneretur ille alter, si iniuste eam auferret, vel destrueret.

Circa difficultatem ergo, Palud. in 4. distinct. 5. q. 2. n. 1. Bartol. in legem *quod te mihi*, ff. si certum petatur; nu. 10. Alex. in legem *cum res*, ff. de legat. 1. partem affirmatiuã tuentur, quia possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, vel retentionis: hæc autem, semper obligat ad restitutionem rei, quamuis à casu pereat, quia inæqualitas, seu iniustitia ablationis, vel retentionis tantum, reducitur ad æqualitatem restitutione rei iniustè ablatæ, vel retentæ.

Medina verò de restitutione, quæstion. 6. Vazquez cap. 5. §. 1. dub. 11. Bonacina disputation. 1. quæstion. 3. punct. 10. Couarrub. Lesius, & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò, quia tunc iniusta possessio, vel ablatio desinit

esse damnificans, seu causa efficax damni, quia tunc absq; iniustitia etiam erat peritura apud dominum existens. Ad rationem ergo aduersariorum negamus iniustam acceptionem semper obligare ad restitutionem, sed tantum quando non desinit esse damnosa domino.

Et ob rationem dictam non tenetur quis restituere quamuis res non pereat à casu, sed eam phisice immediatè libere destruat, si destruit illam in eo loco, in quo peritura erat absque iniustitia: & intra illud tempus, intra quod erat peritura absque iniustitia, vt quando quis phisice destruit segetes, quæ eluuione destruendæ erant, quia scilicet, tunc destructio illa segetum desinit esse damnosa domino, seu eum damnificans, quia scilicet, illæ perituræ erant absque iniustitia in eodem loco, & post illud tempus: tenetur tamen rem aliam restituere, si illam destruit in alio loco in quo non erat peritura, vt palleum, quod existens apud furem non erat periturum, & existens apud dominum erat periturum, quamuis à casu, & absque iniustitia; quia tunc destructio illa est damnificans dominum, quia in eo loco existens apud furem in quo existebat domino non erat periturum, & etiam tenetur ad restitutionem; si illam destruit post tempus intra quod erat peritura, siue in eodẽ loco, siue in alio, vt res quæ ex naufragio eripitur, & post naufragium destruitur, quia tunc res illa perseuerans post naufragium, & domino perseuerans, non erat post naufragium peritura.

Quod si possessor malę fidei rem aliam quamuis alias perituram apud dominum vẽdit, tenetur ad restitutionem pretij accepti, non minus quam possessor bonæ fidei, & si aliter consumpsit quo factus est ditior, tenetur ad restitutionem illius in quo factus est ditior, non minus quam possessor bonæ fidei, quia tam pretiũ vendentis, quàm excessus ille in quo factus est ditior, sunt fructus ipsius rei alienæ, ac proinde ad dominum rei pertinent, & ei sunt restituendi.

Diffic. V. Vtrùm possessor malæ fidei teneatur restituere rem alienam, secundum maiorem valorem quem habuit à tempore iniustæ acceptionis, si fortè pereat, vel deterior fiat?

Nomine valoris intelligimus, non tantum valorem intrinsecũ, quo

quo res intrinsicè crescit, vt quando seges, & pullus, equinus intrinsicè crescunt, sed etiam extrinsecum quo res extrinsicè crescit, vt quando triticum extrinsicè crescit nunc valens viginti, & postea valens triginta.

Est ergo difficultas, an possessor male fidei teneatur restituere rem alienam, secundum maiorem valorem quem habuit, verbi gratia, si furatus est, vel iniustè retineat, triticum valens decem, & postea viginti, teneatur restituere viginti, si postea fortè pereat, vel valeat minoris: & si furatus est pullum equinum valentem viginti, & postea effectum meliorem valētem triginta, teneatur restituere triginta, si fortè pereat, vel valeat minoris.

Circa hanc difficultatem supponimus, quòd negari nequit, nēpè, quòd si res aliena extet in propria specie meliorata, siue extrinsicè quoad pretium, vt triticū, siue intrinsicè vt pullus equinus iam factus equus, restituenda est domino sic meliorata, deductis tamen expensis vtilibus factis à possessore malæ fidei, (sub quibus etiam comprehendimus æstimationem laboris) quia tota melioratio deductis expensis, pertinet ad dominum rei: quia res domino melioratur, vnde tunc possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem illius sic melioratæ, non solum ratione iniustæ acceptionis, vel retentionis, sed etiam ratione rei acceptæ, seu habitæ.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an quando res iam non extat in statu meliorationis, vel quia periuit, vel quia iam deterior facta est, siue extrinsicè, siue intrinsicè, teneatur possessor malæ fidei eam restituere, secundum eum maiorem quem habuit apud ipsum.

Nauarr. cap. 17. nu. 26. Gabr. in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. dub. 1. Sylu. verb. furtum, q. 16. & Angelus nu. 44. absolutè, & absque distinctione aliqua, partem affirmatiuam tuentur, quia res etiam secundum eum maiorem valorem pertinuit ad dominum, quia res domino creuit: ergo secundum eum valorem est illi restituenda.

Couar. verò regula peccatū, p. 2. §. 6. Medina de restitutione, q. 6. Vazquez cap. 3. §. 1. dub. 12 Lesius cap. 12. dub. 6. & Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 11. docent, & merito possessorem malæ fidei, non semper teneri ad restitutionē rei secundum maiorem valorem quem habuit apud ipsum, sed tantum quando dominus rei verè fuit damnificatus in eo maiori valore: quia tunc non tenetur ad id ratione rei acceptæ, seu habitæ, quia vel eam non habet absolutè, quia iam periuit, vel quia eam non habet secundum maio-

rem

rem valorem, quia iã est facta deterior, vt supponimus, ratione au tem iniustæ acceptionis, seu detentionis, non est obligatio restituendi, nisi quando iniusta acceptio, seu retentio fuit damnosa domino, vt diximus difficultate præcedenti: ergo quando dominus non fuit damnificatus in re sua, secundum maiorem valorem vt potest contingere, non est obligatio eam illi restituendi secundum eum valorem.

Túc autem dominus dicitur damnificatus in re sua, secundum maiorem valorem siue res perierit, siue facta fuerit deterior culpa ipsius iniqui possessoris, siue à casu absque culpa ipsius, si liberè omisit restituere rem in eo statu meliorationis, quando dominus erat rem sic melioratam alienaturus, & eam non alienauit: quia erat tunc apud iniquum possessorem, vel quando dominus loco illius rei, v. g. tritici, quia eo erat spoliatus emit aliud simile eo maiori valore, vel quando dominus rei erat vsurus, vel fruiturus ea re sic meliorata vsu, vel fruitione pretiosiore proportionata rei melioratæ, & non fuit fruitus, vel vsus illa sic meliorata, quia ea sic meliorata erat spoliatus.

Tunc verò, dominus rei non dicitur damnificatus in re sua, secundum eum maiorem valorem, sed secundum alium minorem, quando dominus quamuis non esset spoliatus, nō erat sic melioratam alienaturus, nec loco illius rei emit aliam in eo valor similem eo maiori pretio, nec ea sic meliorata erat fruiturus, nec vsurus vsu, vel fruitione pretiosiori, siue apud ipsum iniquum possessorem perierit, vel fuerit deterior facta à casu, siue culpa illius.

Secundum ergo, eum valorem maiorem, vel minorem, vel æqualem, dicitur dominus in re sua damnificatus ab iniquo possessore ablata, vel retenta, in quo dominus erat eam alienaturus, si apud ipsum esset, vel in quo emit loco illius, aliam similem in valore, vel in quo ea erat vsurus, vel fruiturus, & secundum eũ valorem est illi restituenda, vel restituendo dictum valorem, si res perijt, & si non perijt ipsam restituendo, & supplendo defectum valoris, si in maiori restituenda est.

Vnde, qui furatus est, vel iniustè retinet, v.g. triticum valoris viginti, & postea apud eum furem, vel iniustum retentorem perseuerans valet triginta, tenetur restituere triticum secundum valorem triginta, si dominus illud habens erat venditurus triginta, quia tunc dominus damnificatus est in suo tritico secundum eum valo-

valorem: si verò dominus illud habens non erat venditurus, nisi quindecim, non est illi restituendum nisi secundum valorem quindecim, quia dominus tantum est damnificatus in suo tritico secundum eum valorem: & si dominus spoliatus suo tritico, loco sui tritici emit aliud in suo valore simile pretio triginta, est illi secundum valorem hunc restituendum: & si tantum emit pretio quindecim, tantum est illi restituendum secundum eum valorem.

Et qui furatus est, vel iniuste retinet equum valentem quinquaginta, & postea apud eum perseuerans, valet sexaginta, tenetur illum restituere secundum eum valorem, si dominus erat illum venditurus sexaginta, quia tunc dominus damnificatus est in suo equo secundum eum valorem: & si dominus nõ erat illum venditurus, nisi quadraginta, non est illi restituendus nisi secundum hunc valorem.

Et quamuis dominus si non fuisset spoliatus suo equo, illum erat venditurus minori pretio, v. g. quadraginta nihilominus, si quando fuit illo spoliatus non vendidit eo pretio minori, & venditurus erat illum maiori, v. g. quinquaginta, si postea in aliqua parte temporis iniustæ retentionis ipsi restitueretur, ipsi est restituendus secundum valorem quinquaginta, quia omissione restitionis ipsi debitæ fieri in ea parte temporis, fuit damnificatus secundum eum valorem, quia etiam in ea parte temporis creuit in eo valore, ipsi domino ea proportione qua difficultate præcendenti diximus furem teneri restituere domino rem, quæ in potestate ipsius furis, non erat à casu, nec iuste peritura, perijt tamen culpa ipsius, quamuis in potestate domini esset à casu, vel iuste peritura, quia sicut hæc res perseuerans in potestate furis perseuerat domino, & ideo tunc dominus in ea damnificatur à fure, ita etiam res illa, quæ non restituitur, & iniuste retinetur, est domini secundum eum valorem maiorem quem habet in ea parte temporis apud furem, & ideo dominus in ea sua re damnificatur secũdum eum valorem, si in ea parte temporis ipsi restitueretur, & ipse in ea esset illam venditurus.

At quando ignoratur in quo statu, vel in quo pretio dominus erat rem sibi ablatam alienaturus si apud ipsum esset, restitutio facienda est non secundum maiorem valorem quem res habuit, (quidquid dicat Vazquez nu. 77.) nec secundum minorem, sed secundum valorem minorem maiore, & maiorem minore ad arbitrium viri prudentis, attenta maioritate, vel minaritate credulitatis

litatis pretij, quo alienanda erat à domino, quia si non magis crẽdatur quòd alienanda erat maiori, quàm minori pretio, restituenda est secundum pretium medium inter maius & minus; v.g. si non magis credatur quòd alienanda erat triginta, quàm viginti, restituenda est secundum pretium vigintiquinque, & si magis credatur, quòd alienanda erat triginta, quàm viginti, restituenda est secundum pretium maius, quàm vigintiquinque maioritate proportionata maioritati dictæ credulitatis, & si ècontra magis credatur quod alienãda erat viginti, quã triginta, restituẽda est secũdum pretium minus, quàm vigintiquinque minoritate, proportionata minoritati dictæ credulitatis.

Ad rationem ergo aduersariorum, concedimus rem secundum eum statum maioris valoris possessam ab iniquo possessore ad dominum pertinuisse, quia tamen non semper dominus damnificatur quoad totum eum valorem, ideo non semper est domino restituenda secundum totum illum, quia in casu huius difficultatis, tantum est domino restituenda ratione iniustæ acceptionis, seu damnificationis, ratione autem huius tantum est obligatio restituendi rem secundum eum valorem, secundum quem dominus est in ea re damnificatus.

Diffic. VI. Vtrùm possessor malæ fidei teneatur restituere fructus rei alienæ.

NOMINE, Fructus rei etiã comprehendimus meliorationẽ intrinsecam ipsius, vt qua segetes meliorantur, & qua pullus equinus.

Circa hanc difficultatem conueniunt primo DD. possessorem malæ fidei teneri restituere omnes fructus ex re aliena perceptos, & extantes, quos etiã dominus perciperet; & non solum fructus naturales, sed etiam mixtos quoad id quod habent à natura, seu deductis expensis vtilibus, quia ex vna parte omnes dicti fructus pertinent ad dominũ rei, & ex altera dominus eos etiam perciperet: & non solum teneri restituere fructus extantes (quos etiã possessor bonæ fidei tenetur restituere) sed etiã nõ extãtes mala fide perceptos, vel consumptos, sicut & ipsam rem alienam, quia ex vna parte dicti fructus, pertinẽt ad dominũ rei; non minus quã ipsa res, & ex altera eos etiam dominus perciperet: & non teneri restituere fructus merè industriales, quia non sunt fructus rei alie-

næ,

næ,ſed tantum induſtriæ ipſius poſſeſſoris, ac proinde ad ipſum pertinentes, & non ad dominum rei, vnde non tenetur reſtituere, quod pecunia aliena iniuſtè detenta negotiando lucratur, quia lucrum iſtud eſt merè induſtriale.

Conueniunt ſecundò, poſſeſſorem malæ fidei teneri ad reſtitutionem fructuum naturalium, & etiam mixtorum quoad id quòd habent à natura, quamuis eos non perceperit ſi dominus erat eos percepturus, quia iniuſta ſua poſſeſsione eſt cauſa ceſſationis lucri domino, vnde qui iniuſtè poſsidet pullum equinum, & illum occidit, tenetur reſtituere etiam meliorationem, qua melioraretur apud dominum deductis expenſis quas dominus exhiberet, quod intelligimus verũ, ſi poſſeſſor malæ fidei aduertat ad ceſſationẽ lucri, ſeu fructus, quia aliter ea ceſſatio non erit formaliter iniuſta, ſed tantum materialiter.

Conueniunt tertiò, poſſeſſorem malæ fidei teneri reſtituere dictos fructus rei alienæ apud ipſum extantes, quamuis dominus non eſſet illos percepturus, quia ipſi fructus extantes pertinent ad dominum rei ſicut ipſa res, ac proinde tenetur ad reſtitutionẽ eorum ratione rei acceptæ, ſeu habitæ, quia eos habet.

Eſt tamẽ difficultas, an teneatur reſtituere dictos fructus quos percepit, & iam non habet, ſed mala fide conſumpſit, & dominus non erat illos percepturus.

Vazq.c.5.§.1.dub.12.Couar.regul.peccatum,p.1.§.6.Petr. Nauar.lib.4.c.1.n.36.Sylueſt.& Medin.partem negatiuã tuentur, quia tunc poſſeſſor malæ fidei nullum damnum intulit domino, quia dominus nihil erat percepturus.

Molin.verò diſp.727.n.4.Rebell.lib.2.q.3.Leſſius c.12.dub. 17.& Bonac.diſp.1.q.3.punct.vlt.partem affirmatiuam tradũt, & meritò, quia fructus verè ad dominum pertinebant vtpotè fructus rei ſuæ, & aliàs non erant perituri à caſu, nec iuſtè vt ſupponimus ergo qui eos mala fide, ſeu aduertens, quod pertinebant ad dominum, conſumpſit tenetur eos domino reſtituere. Et confirmatur, quia poſſeſſor ille tenebatur fructus illos iam perceptos reſtituere domino ante ipſorum conſumptionem quamuis alias dominus non eſſet illos percepturus, quia ad dominum pertinebant, ergo ſi eos mala fide conſumpſit, tenetur eos reſtituere, ratione iniuſtæ acceptionis, & retentionis, & cõſũptionis ipſorum qua dãnificauit dominũ ei nõ tradẽdo eos fruct9 ad eũ pertinẽtes quib9 poſt reſtitionẽ ſibi factã poterat frui, quãuis ipſe alias non erat illos percepturus.

Ali-

Aliquoties addimus, *fructus consumptos mala fide*, quia si bona fide, non sunt restituendi, quia tunc non sunt restituendi ratione rei acceptæ, seu habitæ, quia nō habentur cum iam sint cōsumpti, nec ratione iniustæ acceptionis, vel consumptionis, quia deficiente mala fide non percipiuntur, nec consumuntur iniuste formaliter, sed tantum iniuste materialiter, quamuis res ipsa iniuste formaliter possideatur.

Addimus, possessorem malæ fidei etiam teneri restituere fructus quos culpa lata non percepit, quāuis dominus non esset illos percepturus, quia ex iustitia tenetur non omittere diligentiam ordinariam, non minus quam purus depositarius.

DISPVTATIO VII. DE ORDIne restitutionis.

DIsputatio hæc non habet locum quando bona debitoris, sufficiunt ad soluendum integrè omnibus creditoribus, sed tantum quando non sufficiunt.

Diffic. I. Vtrùm debita certa sint prius restituenda, seu soluenda quam incerta?

DEBITA Certa dicuntur, quorum creditores cogniti sunt: incerta verò, quorum creditores non sunt cogniti, & ad hæc reddacuntur debita quorum creditores cogniti sunt, adiri tamen non possunt, & etiam qui non debent adiri.

Circa difficultatem ergo Molina disp. 760. existimat debita certa non esse prius soluenda, seu restituenda, quam incerta, nec è contra, sed vtrisque debitis æqualem locum esse tribuēdū, nisi aliàs sit aliqua alia ratio prælationis ad soluenda prius certa, quā incerta, vel è contra. Ratio illius est, quia creditores incerti non habent minus ius, quàm certi, ergo non sunt postponendi creditoribus certis, consequentia patet, antecedens autem probatur, quia debita incerta sunt immediatè debita veris creditorib⁹ incognitis, seu incertis non minus, quàm debita certa suis creditoribus

ribus, ergo debita incerta, quæ ex voluntate præsumpta creditorum incognitorum debita sunt pauperibus, quibus volūt erogari sunt æquali loco illis soluenda, sicut essent suis creditoribus, si possent illis solui.

Vazq. verò de restitut. c. 11. Les. c. 15. dub. 1. Bonac. disp. 2. q. 8. & communiter DD. docent, debita certa prius esse soluēda, seu restituēda: & meritò, quia debita certa iure naturali sunt debita suis creditoribus; debita verò incerta quamuis hypothecaria debita sunt pauperibus (in defectum creditorum quibus, quia incogniti sunt nequeunt solui) non iure naturali; quia pauperes ex natura rei non substituūtur pro creditoribus, nec ex volūtate creditorum incognitorum, sed tantum iure humano Ecclesiastico, vt vidimus disp. 1. dif. 37. quia à Romano Pontifice sunt illis applicata, id autem quod iure naturali debetur præferendum est debito iure tantum humano.

Ad rationē ergo Molinæ respōdemus, quod etiā si debita incerta physice debita sint suis creditoribus incognitis, nō minus quā certa suis cognitis, tamen moraliter non sunt illis debita absolutè, sed tantū sub conditione si fortè appareant, quia eo ipso, quod creditor non agnoscitur, ea debita censentur carere creditore, & quāuis nō solū physice, sed etiam moraliter essent illis debita, & absolutè non sufficeret, vt æquali loco illis fiat solutio, ac creditoribus certis, quia pauperes non substituūtur pro illis ex natura rei, vt patet, nec ex voluntate creditorum, quia creditores non habent eam volūtatem, sed potius, quod retineantur à debitore, vt si fortè ipsi creditores appareant ipsis soluantur.

Obseruādū tamē est, quod si debitū incertū, seu incerti creditoris extet in seipso, seu in sua specie, v. g. res furtim sublata, tūc bonū illud debitū est restituēdū à fure, vel ab alio illud habēte pauperibus, nō alijs suis creditoribus certis aliorū debitorū, quia bonū illud nō est debitoris, sed alienū ex quo nō tenetur, nec potest alia debita soluere, quod si bonū illud possit applicari pauperib⁹, iuxta ea quæ diximus disp. 1. à dif. 36. & debitor bonū illud debitum incerto creditori applicet sibi, quia est pauper, aut egens ad suum statū, tunc ex eo tenetur soluere creditoribus certis, quia iā effectū est suū: imò tūc tenetur illud sibi applicare, vt illis soluat.

Debitum autem, quod est incertum, quia non constat probabiliter, seu prudēter an debeatur, an nō, sed id fit sub dubio, nō est ex obligatione restituēdū, quia in dubio melior est cōditio possidentis.

Disput. VII. de Ordine restitutionis.

Diffic. II. Vtrùm prius sit integrè soluendum creditori, qui transtulit dominium rei in debitorem, & perseuerat apud debitorem ipsum?

SVPPONIMVS, In quo conueniunt DD. rem extãtem apud debitorem cuius dominium nondum aquisiuit, siue eà habeat ex contractu, vt ex commodato, vel deposito, vel locato, siue ex delicto, vt ex furto, vel vsura esse primo loco restituẽdam suo domino, & non alijs creditoribus, ipsius debitoris, quia alij creditores non habent ius aliquod in rem alienam, non propriam debitoris.

Est tamen difficultas, an pretium rei extantis apud debitorem cuius dominium emptione, aut aliter acquisiuit, habita fide de pretio, quod nondum soluit, sit prius soluẽdum ei à quo illam acquisiuit, quàm alijs creditoribus. Addimus, *habita fide de pretio*, quia quando non est habita fides de pretio, & pretium nondũ est solutum, dominium rei adhuc perseuerat apud venditorem, & ei est restituenda, & non alijs creditoribus.

Circa difficultatem ergo Medina C. de restitut. q. 2. Nauar. ca. 17. num. 49 Lessius dub. 2. & Bonac. q. 8. pũct. 2. partem affirmatiuam tuentur; quia existimant eam rem esse obligatam pro pretio, & tacitè hypothecatam.

Couar. verò 1. variar. cap. 7. Vazquez cap. 11. dub. 1. Molina disput. 536. Petrus Nauar. lib. 4. cap. 4. Turrian. disp. 19. dub. 1. & Layman. lib 3. tractat. 2. cap. 11. partem negatiuam tradũt, & meritò, quia res illa nullo modo adhuc tacitè est obligata, seu hypothecata creditori, quia non iure naturali, quia absolutè, & absque conditione fuit empta, & acquisita, nec iure aliquo positiuo, quia nullum extat. Ex quo constat ad rationem aduersariorum excipimus bona Ecclesiæ, & fisci, & minoris, quæ quamuis vendita, fide habita de pretio, eis sunt restituenda, & nõ alijs creditoribus, quia iure positiuo ea non sunt acquisita; quoad dominium ab emptore, quousque pretium sit solutum, vt significatur in leg. *si curator*, ff. de iure fisci, ac proinde vbicunque fuerint, etiam vendita alijs, possunt vindicari.

Diffic.

Diffic. III. Vtrùm debita personalia ex delicto sint prius integrè restituenda, quam debita ex contractu?

DEBITA Personalia dicuntur, quæ debentur à persona absq; hypotheca, debita verò realia, quæ potius debentur à re hypothecata, quàm à persona.

Antonin. ergo 2.p.tit.2.c.7.§.1.& 2.docet, prius soluēda esse debita ex delicto, v.g. ex furto, & vsura quam ex contractu iusto, quamuis oneroso, quia quæ debētur ex delicto vltra obligationē iustitiæ satisfaciendi, habent annexam offensam Dei, & iniuriam creditori factam, ergo prius sunt soluenda, & extinguenda, quam debita ex contractu iusto. Addit autem Antonin. inter debita ex delicto prius soluenda esse debita ex maiori delicto, v. g. debita ex rapina prius soluenda esse, quam debita ex furto, & debita ex furto prius quam debita ex vsura, quia debita ex maiori delicto sunt contracta cum maiori iniuria. Hanc sententiam amplectūtur Medina de restit. q. 2. & Salon. q. 62. art. 8. excipiendo debita ex cōtractu habentia hypothecam in bonis debitoris, quæ secūdum ipsos præferenda sunt omnibus alijs debitis personalibus.

Caietan. verbo, restitutio, cap. 8. Nauarrus cap. 17. numer. 52. Armilla quæst. 36. Rosella numer. 4. & Tabiena nu. 26. docent, è contra debita ex iusto contractu oneroso v.g. emptionis, esse prius soluenda, quam debita ex delicto (nisi quando res debita ex delicto, v.g. ex furto perseuerat eadem in specie: quia tunc hæc prius est soluenda) id autem probant, quia non sunt accipienda, nec retinenda aliena inuito domino, vt fiat restitutio, seu satisfactio pro alienis ex delicto debitis, ergo quæ accepta sunt ex contractu iusto oneroso, non sunt restituenda, seu non sunt soluēda, vt soluantur quæ debita sunt ex delicto.

Molina verò disputation. 760. Vazquez cap. 11. dub. 2. Petrus Nauar. lib. 4. capit. 6. num. 45. Lesius cap. 15. dubio 3. Layman. libr. 3. tractatu 2. capit. 11. & Bonacina quæstion. 8. puncto 2. docent, inter prædicta debita, nullum esse ordinem, ex eo præcisè, quod alia sint debita ex contractu iusto oneroso, & alia ex delicto, & meritò, quia nullo iure est ordo aliquis prælationis inter prædicta debita, quia non iure positiuo, quia nullum extat, nec

iure naturali, quia iustitia ex qua tantum est obligatio soluẽda debita non magis obligat ad soluenda debita ex delicto, quã ex cõtractu oneroso elapso termino assignato, nec è cõtra, quia debita ex iustitia nõ sunt magis debita, quę debentur ex delicto, quã quę debentur ex cõtractu oneroso, nec è contra, quia nullũ debitũ ex dictis est magis, nec minus debitũ ex illa adhuc debitum ex rapipina, quia quãuis in rapina præter iniustitiã ablationis rei, etiam fuerit alia iniuria, violentiæ factæ personæ resistenti ablationi rei suæ, ex hac tamen non oritur debitum iustitiæ soluendi rẽ raptã, sed tantum alio modo satisfaciendi ei iniuriæ, in ablatione autem rei præcisè ex qua oritur obligatio soluendi, seu restituendi non est cæteris paribus maior iniustitia quasi intensiua, quam in non soluendo debitum ex contractu oneroso, nec è contra, nec ex illa oritur maior obligatio quasi intensiua soluendi, quam ex contractu, nec è contra, ergo absque iure aliquo, & absque alio fundamento ad dictum propositum conducente statuitur prælatio inter dicta debita ex contractu dicto oneroso, & inter debita ex delicto.

Addimus, *Oneroso*, quia credimus debita ex contractu gratioso, vt ex promissione esse posterius soluenda, quam debita ex delicto, sicut etiam posterius quam debita ex contractu oneroso, vt dicemus dis. seq.

Ad rationem ergo pro Antonino patet debita ex delicto non esse magis debita ex iustitia, & omissionẽ solutionis eorum non esse magis contra iustitiam, & ex delictis ex quibus oritur obligatio soluendi, non oriri maiorem obligationem, quam ex contractu oneroso: imò nec in illis præter obligationem iustitiæ soluendi esse peculiariter offensam, nec iniuriam Deo factam, quia etiam in non soluendo debitum ex contractu oneroso post elapsum terminũ est offensa, & iniuria Deo, nec in illis esse peculiariter annexam iniuriam creditori, quia tantum reperitur iniuria contra illum in auferendo, & in non soluendo, quia non est maior quasi intẽsiue, quã quę est in non soluendo debita ex cõtractu oneroso: peculiaris autem iniuria, quæ est in rapina contra creditorem, nõ obligat ad solutionem alicuius, nec ratione illius est maior obligatio quasi intensiua iustitiæ soluendi debitum ex ipsa rapina.

Ad rationẽ pro Caiet. & Nauar. concedimus nõ esse accipiẽda

nec retinenda aliena inuito domino, vt fiat satisfactio pro alienis male acceptis: negamus tamen accepta ex contractu iusto oneroso esse aliena, etiam si pretium eorum sit debitum, sicut etiam est debitum pretium pro rebus alienis ex delicto, vel destructis, vel alienatis, ac proinde negamus, debitum ex contractu oneroso esse prius soluendũ, quàm debitũ ex delicto ob rationẽ dictã.

Diffic. IIII. Vtrùm debita personalia ex contractu oneroso, sint prius integre soluenda, quàm debita contracta ex contractu gratioso?

DIFFICVLTAS Procedit de debitis contractis ex cõtractu oneroso, v.g. ex emptione, & de debitis contractis ex cõtractu gratioso, v.g. ex promissione celebratis tẽpore quo debitor erat potens soluere, v.g. emptum, & promissum soluendis tamen tempore quo debitor, non est potens soluere integre omnibus creditoribus.

Circa hanc difficultatem Vazquez c. 9. dub. 3 & Turrian. disp. 19. dub. 3. docent, inter prædicta debita nullũ esse ordinem prælationis ex eo præcisè quòd alia sint debita ex contractu oneroso, & alia ex gratioso, sed soluenda esse proportione geometrica seruata, quod probari potest, quia nullo iure est prælatio aliqua inter duo dicta debita, quia non iure positiuo: quia nullum tale extat, nec iure naturali, quia iustitia ex qua oritur obligatio soluendi debita, non magis obligat ad soluenda debita ex contractu oneroso, quàm ex gratioso, nec ècontra.

Lesius verò lib. 2. cap. 15. dub. 4. Becan. de restitutione, q. 52. & Bonac. q. 8. punct. 2. docẽt, debita ex contractu oneroso prius esse integre soluenda, quã debita ex contractu gratioso, & merito, quia promissio gratiosa vt licitè fiat, debet fieri saltem tacitè sub hac conditione, dabo vel soluã si fieri possit absq; pręiuditio creditorum, quamuis posteriorũ quibus debeo ex contractu oneroso, aut ex delicto, quòd est rationi consonum, & debitum secũdum rationẽ: & id credimus verum quamuis debitũ ex contractu gratioso, sit reale, seu hypothecarium, quia etiã tunc contractus gratiosus fit, & debet fieri sub dicta conditione.

Ad rationem verò aduersariorũ, constat dictã prælationẽ oriri ex iure naturali iustitiæ, quia hæc non obligat ad solutionẽ debiti

ex contractu gratioso absolutè, sed tantum sub dicta conditione, quia id ratio ipsa dictat.

Ex dictis constat, prius esse soluenda debita defuncti ex contractu oneroso, quā legata, quia hæc tātū sunt debita ex cōtractu gratioso, nihilominus ex bonis defuncti prius sunt soluēda legata ipsius, quā debita contracta ab ipso hærede adhuc ex contractu oneroso, quia absque dubio ea fuit voluntas testatoris, nisi quādo debita ab hærede sunt contracta intuitu hæreditatis, vt pro testamento, aut pro inuentario, aut pro expensis moderatis funeris, quia debita hæc sunt prius soluenda, quam legata.

Diffic. V. Vtrùm prius sit integre soluendum creditori personali non priuilegiato, pauperi, & inter pauperes pauperiori?

DIFFICVLTAS Hæc non procedit quando paupertas creditoris, pauperis, aut pauperioris, est tāta vt sit obligatio ex misericordia illi subueniendi, (de quo agimus tractatu de charitate, disp. 5. à difficult. 6.) quia tunc est illi prius soluendum, vt solutione ipsi subueniatur: tunc enim alius creditor tenetur ex misericordia pati dilationē solutionis, imò & quod ipsi nunquā fiat solutio, si id sit necessariū ad subueniendum ei creditori dicta necessitate oppresso, procedit ergo difficultas, quādo paupertas non est tanta vt sit obligatio ex misericordia illi subueniendi.

Circa hanc difficultatem Med. C. de restitutione, q. 2. dub. 3. & Valē. disp. 5. q. 6. pūct. 11. vers. 8. docent, prius esse soluendum creditori pauperi, quàm nō pauperi, & inter pauperes pauperiori, quia maior iniustitia fiet, ei non soluendo debitum.

Vazquez verò cap. 11. dub. 3. Les. c. 15. dub. 7. Becan. q. 52. & Bonac. q. 8. punct. 2. docent, non esse ordinē aliquē prælationis, inter debita nō pauperi, & debita pauperi; & inter debita pauperi, & debita pauperiori, sed eis omnibus soluēda esse debita, seruata proportione geometrica & merito, quia nullo iure præferēdus est creditor pauper, nō pauperi, nec pauperior pauperi, quia nō iure positiuo, quia nullū tale extat, nec iure naturali iustitiæ, quia dicta paupertas nō sufficit vt prælatio sit debita: quia si sufficeret maximè ratione misericordiæ, ratione autē huius nequit esse debita; quia vt supponimus, tūc nō obligat misericordia, nec est debita ratione

tione

tione iustitiæ; quia ex iustitia non est minus debita solutio diuiti quã pauperi, nec est minus debita pauperi, quã pauperiori, nec in retẽtione debiti pauperi fit maior iniuria, quã in retẽtione debiti diuiti, nec in retentione debiti pauperiori fit maior, quã in retentione debiti minus pauperi, vt patet, & quãuis aliquãdo omissio solutionis debiti pauperi, aut pauperiori sit causa cessationis alicuius lucri, aut passionis alicuius dãni ratione cuius potest esse maior iniuria in retẽtione eiusdẽ quãtitatis debitæ pauperi, aut pauperiori, hæc tamen maior iniuria non sufficit ad prælationem, sed tantũ, vt pro rata attendendo ad lucrum cessans, & ad dãnũ emergẽs, fiat maior solutio pauperi, aut pauperiori sicut etiã debet fieri maior creditori cui debentur centum, quam creditori cui debẽtur quinquaginta. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Dif. VI. Vtrùm sit prius integrè soluendum creditori personali non priuilegiato prius exigenti solutionem debiti?

NAVAR. Ca. 17. n. 52. Sylu. verb. restitutio, 6. q. 8. Les. c. 15. dub. 5. Bonac. disp. 1. q. 8. pũct. 2. Becan. & alij, docẽt, prius esse integrè soluendũ creditori personali, nõ priuilegiato petẽti, & inter petentes prius petenti, quia diligentia petendi, & etiam prius petendi efficit creditorem melioris cõditionis, sicut etiam id efficiunt hypotheca, & priuilegiũ: & non desunt qui existiment posse prædictis prius integrè solui non tamen esse obligationem prius soluendi illis.

Vazq. verò c. 11. dub. 5. & Turria. disp. 19. dub. 3. docẽt, petẽti siue in iudicio, siue extra cæteris paribus non esse prius integrè soluendum, & meritò, quia non iure naturali, quia ex natura rei ex eo, quod ego petam, quod mihi debetur prius quam alius, quod ipsi ante meam petitionem debetur mihi nihil iuris noui acquiro, nec alij aliquid sui iuris adimo: nec iure aliquo positiuo cõmuni, seu Cęsareo, quia nullũ tale extat. Addimus, nec iure aliquo positiuo communi, quia iure Castellæ l. 11. tit. 14. part. 5. petẽti in iudicio, & prius obtinenti sententiam, quamuis non petierit executionem sententię, est prius integrè soluendum, quã alijs creditoribus personalibus, quamuis prius petierint solutionem, si non obtinuerint prius sententiam.

Quod si iure naturali, & positiuo communi, creditori petenti etiam in iudicio, & iure Castellæ extra iudicium, imò in iudicio ante obtentam sententiam non est prius integrè soluendum, multo minus nō petenti, quamuis debitor id velit via gratificationis, in quo DD. conueniunt, quia in eo infert iniuriam reliquis creditoribus, quia non habent minus ius, nec sunt peioris conditionis quam ille cui ob solam gratificationem fit integra solutio: & non solum debitor sic soluendo, peccat contra iustitiam in reliquos creditores, sed etiam ipse creditor cui fit illa solutio eam accipiē do, vt contra Molinam disp. 536. & contra Lesium cap. 15. num. 41. & contra Filliucium aduertunt Vazquez, Turrian. Syluestr. Azor, Rebell. & Bonacin disput. 1. q. 8. punct. 2. quia tunc creditor accipiendo cooperatur iniustitiæ debitoris soluentis in damnum aliorum creditorum, ac proinde tenetur ad restitutionem excessus solutionis alijs creditoribus etiam si in foro exteriori illis negetur actio contra ipsum, tenetur autem ad restitutionem quidquid dicat Bonac. quamuis creditor eam solutionem acceperit bona fide, ignorans inuincibiliter eam solutionem fieri in damnum aliorum creditorum, si ea solutione factus est ditior quā esset si ea solutio non fuisset illi facta, quia tunc tenetur ad eam, non ratione iniustæ acceptionis, quia non fuit formaliter iniusta ob bonam fidem, sed ratione rei acceptæ, ratione, scilicet, excessus quem habet ob acceptionem illius solutionis, quamuis tantū materialiter iniustam. Et tenetur ad eum excessum non primo loco, sed secundo loco in defectum debitoris à quo solutionem illā accepit.

Diffic. VII. Vtrùm debitum antiquius sit prius soluendum?

Conueniūt primò DD. ex re hypothecata, seu obligata ex qua nō potest integrè omnibus debitoribus solui, prius esse soluē dum debitum reale, seu quod debitum est creditoribus quibus est hypothecata (qui dicuntur creditores hypothecarij, & etiam reales) quam debitum personale, seu quod debitum est alijs creditoribus quibus ea res non est hypothecata, seu obligata (qui dicuntur creditores personales, & etiam chirographarij): quamuis debitum reale sit posterius tempore contractum, quam persona-

le,

le, quod quando est posterius tempore contractum existimamus verum non iure naturali, sed positiuo, leg. *eos*, C. qui potiores in pignore, nomine autem hypothecæ non tantum comprehēditur, res obligata absque traditione rei, ei cui est obligata, quæ in rigore dicitur hypotheca, sed etiam res obligata, & tradita, quæ in rigore dicitur pignus.

Conueniunt secundo DD. inter ipsos creditores reales, seu hypothecarios regulariter prius esse ex re hypothecata soluendū ei, qui est tempore prior creditor, quia de creditoribus realibus traditur regula 54. iuris in 6. *qui prior est tempore potior est iure*, vt constat ex leg. *si fundum*, & ex leg. *si generaliter*, C. qui potiores in pignore habentur. Quod est verum etiam si prior hypotheca tantum fuerit generalis, aut tacita, & posterior fuerit specialis & expressa.

Addidimus, *Regulariter*, quia sunt aliqui casus in quibus posterior creditor hypothecarius præfertur priori ex priuilegio iuris, imò ex eo solo iure ferè in omnibus casibus referendis creditor fit tacitè tantum hypothecarius.

Primus casus est, quando quis mutuauit pecuniam ad reparationem, vel conseruationem rei antea alijs hypothecatæ, vt ad reparandam, vel armandam nauim, vel ad alimenta necessaria eis qui sunt necessarij ad gubernandam nauim, quia hic præfertur alijs creditoribus habentibus in ea re hypothecam quamuis expressam, & specialem non solum iure communi, seu Cęsareo, leg. *interdum*, ff. qui posteriores in pignore, sed etiam iure Castellæ l. 28. tit. 13. p. 5. his enim iuribus ea res tacitè, & cum priuilegio hypothecatur mutuanti pecuniam ad dictos effectus.

Secundus casus est, quando quis mutuauit pecuniam ad emendam rem aliquam eo pacto, quod res illa maneat pro mutuo obligata, quia tunc hic præfertur alijs habentibus hypothecam generalem in omnibus bonis præsentibus, & futuris ementis, ac proinde etiam in ea re empta, quia tunc ea res empta tacitè hypothecatur iure communi, l. *licet*, C. qui posteriores in pignore, & iure Castellæ l. 30. tit. 13. p. 5.

Tertius est, quando quis mutuauit pecuniam pro portatione mercium, vel pro cōductione domus, in qua reponuntur, quia hic præferendus est in eis mercibus alijs creditoribus habentibus hypothecam in eisdem mercibus, quamuis expressam & specialem; quia tunc mutuans habet in eis mercibus tacitam hypothe-

cam, & cum priuilegio inductam iure ipso communi, l. *huius*, ff. qui potiores in pignore, & iure Castellæ l. 29. tit. 13. p. 5.

Quartus est, quando ex pecunia pupilli emitur res aliqua, quia tunc in ea re empta præferendus est pupillus alijs creditoribus, quamuis habentibus hypothecam generalem expressam in omnibus bonis ementis præsentibus, & futuris, ac proinde etiam in ea re empta ex pecunia pupilli, iure communi, l. *idéque*, ff. qui potiores in pignore, & iure Castellæ l. 30. tit. 13. p. 5.

Quintus casus est, quando quis rem duobus obligatam, seu hypothecatam emit à debitore, si ex pretio satisfit primo creditori emptor succedit in iure prælationis, ipsi primo creditori quo ad valorem illi solutum, quia sic decernitur, iure communi, leg. *qui à debitore*, ff. qui potiores in pignore, & iure Castellæ, l. 34. ti. 13. part. 5.

Sextus est, in hypotheca dotali qua bona mariti, ita sunt iure communi, l. *assiduis*, C. qui potiores in pignore, & iure Castellæ l. 33. titul. 13. part. 5. tacitè hypothecata pro dote vxori, & eius descendentibus, vt præferantur alijs prioribus creditoribus non habentibus expræssam hypothecam, nec specialem, nec generalem, non verò habentibus expressam hypothecam, quamuis tantum generalem.

Septimus est, iure Castellæ leg. 33. tit. 13. part. 5. in hypotheca fisci, quia præfertur prioribus hypothecis tacitis non tamen expressis, iure verò communi l. vltima, ff. qui potiores in pignore, priuatus qui prius accepit hypothecam generalem in bonis acquisitis, & acquirendis, & postea fiscus, priuatus præfertur fisco in bonis acquisitis antefactam hypothecam fisco, iure verò communi l. 51 *si qui mihi*, ff. de iure fisci, fiscus præfertur priuato in bonis acquisitis post hypothecam factam fisco.

Octauus casus est, in quo iure Castellæ leg. 27. titul. 13. par tita 5. posterior in hypotheca præfertur priori, est quando quis petit mutuam pecuniam ab aliquo sub hypotheca, vel interueniente scriptura, vel alio modo, & antequam abeo acciperet pecuniam illam mutuam, eandem rem postea obligauit alteri à quo etiam petiuit pecuniam mutuam, & eam prius accepit ab eo quam ab illo cui prius rem hypothechauit, & à quo prius petierat pecuniam mutuam: tunc creditor posterior in hypotheca præfertur priori, qui posterius mutuauit pecuniam.

Nonus casus est, quando quis facit moderatas expensas fune-

funeris, quamuis nullam habeat hypothecam expressam in bonis defuncti præfertur creditoribus anterioribus, quamuis habentibus hypothecam expressam, & etiam doti iure communi leg. penultim. ff. de religios. & sumpt. funerum, & iure Castellæ leg. 30. titul. 13. partit. 5. imò, & iure naturali, & id eodem iure naturali est verum de expensis factis in infirmitate, quia nullus tenetur debito, quamuis reali satisfacere cum dispendio salutis, & nullum corpus debet inhumatum manere, vt debita soluantur.

Decimus casus est, quando quis mutuauit pecuniam ad militiam, vt ad emendum equum, præfertur habentibus hypothecam in bonis defuncti, & etiam doti posteriori ipso mutuo, & quando mutuatur cum scriptura, & deducitur in pactum quod mutuans, sit futurus prior in iure, & in priuilegio, etiam præfertur doti priori iure communi, Nouellæ Iustiniani 94. c. 4.

Superest difficultas, an ex debitis personalibus, quæ soluenda sunt post hypothecaria, seu realia, id quod prius tempore contractum est, sit prius soluendum: procedit autem ex eo solum, quod sit prius tempore contractum secluso quocunque alio priuilegio.

Gabr. in 4. dist. 15. q. 2. dub. vlt. Medi. q. 2. dub. 5. Valen. disp. 5. q. 6. pũct. 10. Salon. q. 62. ar. 8. Tolet. lib. 5. c. 25. Suar. opusc. de iustit. sect. 3. & Sáa verb. restitutio, nu. 61. partem affirmatiuã tuẽtur, quia regula illa, *qui prior est tempore potior est iure*, absq; fundamento limitatur, ad debita hypothecaria, seu realia. Et ratione videtur probari, quia quo quis diutius caret re sua, eo strictius illi debetur, ac proinde ei est prius integrè soluendum.

Anton. verò 2. part. titul. 2. cap. 7. Syluester verbo, restitutio, 6. quæstion. 5. Vazquez de restitutione, cap. 11. dub. 2. num. 48. Les. dub. 6. Eayman. lib. 3. tract. 2. cap. 11. & Bonacin. punct. 2. partem negatiuam meritò tradunt, quæ satis significatur l. priuilegia, ff. de priuileg. credit. Et ratione constat, quia debitũ antiquius ex eo præcisè, quod sit antiquius, nullo iure positiuo præfertur, quia nullum pro eo extat, nec iure naturali, quia debitum minus antiquum non est minus quasi intensiue, nec est minus strictè debitum ex iustitia quam antiquius. Prædicta autem regula, quæ tantum est iuris positiui, & non naturalis, tantum traditur pro debitis realibus, seu hypothecarijs non pro personalibus, vt in dicta lege indicatur.

Addi-

Addidimus, *Secluso quocunque alio priuilegio*, quia aliqua sunt debita personalia, quæ priuilegio prælationis respectu aliorum gaudent, & ideò sunt prius integrè soluenda suis creditoribus.

Et in primis, creditor qui pecuniam deposuit apud depositarium publicum non accipiens inde vsuras, præfertur alijs creditoribus personalibus, quamuis habentibus priuilegium prælationis, & quamuis non extet eadem pecunia apud depositarium, vt patet ex leg. *si hominem*, §. quoties, & ex leg. sequenti, §. depositario, & ex leg. *priuilegia*, ff. de priuilegijs credit. quod nonnulli extendunt ad deponẽtem apud quemlibet depositarium, quod ad minus est verum quando pecunia deposita eadem extat apud depositarium, quia tunc non est depositarij, sed manet propria deponentis, imò, & quando est mixta cum pecunijs depositarij, quod absque dubio non fit contra voluntatem deponentis, sed secundum eam, & quando voluntate dominorum miscentur singulæ partes fiunt communes dominis.

Secundò, sponsa de futuro quæ tradidit dotem sponso, & postea non fit matrimonium, iure communi gaudet priuilegio personali prælationis alijs creditoribus personalibus, vt constat ex leg. *eos*, C. qui potiores in pignore, & ex leg. 2. §. vltim. ex duabus legibus sequentib. ff. de priuilegijs credit. quod priuilegium non transit ad hæredes ipsius, nisi sint descendentes.

Tertiò, pupillus cui aliquid debet tutor, aut gestor suorum negotiorum iure communi gaudet priuilegio prælationis, quo etiam gaudent, minor, prodigus, fatuus, surdus simul, & mutus, vt constat ex leg *debemus*, §. 1. & ex tribus legibus seqq. ff. de priuileg. credit.

Quartò, soluens creditori habenti priuilegium personale prælationis, iure communi præfertur alijs creditoribus personalibus non habentibus priuilegium, quia succedit in locum illius creditoris cui soluit, vt constat ex l. *si ventri*, §. vlt. ff. de priuil. credit.

(?)

Diffic. VIII. Vtrùm debita posteriora contracta tempore impotentiæ ad soluendum priora debita, si posteriora soluantur, sint soluenda?

CONVENIVNT DD. (quamuis non omnes expressè loquuntur) omnes solutiones debiti contracti ex cōtractibus, tēpore impotentiæ ad soluenda priora debita factis, si posterius illud soluatur, qui tunc seu de præsenti fieri poterant, absque iniuria priorū creditorū, prius deberi integrè fieri, quā solutiones priorū debitorum, quamuis hæc priora debita habeant hypothecas, & priuilegia. Solutiones verò quæ tunc de præsenti non potuerūt fieri absque iniuria priorum creditorum, non esse postea faciēdas cum eorum præiuditio, sed totum quo potest fieri solutio diuidendum esse inter priores creditores, ita exprimunt Vazquez de restitution. cap. 11. dub. 3. & Turrian. dispu. 19. dub. 2. Ratio dictæ doctrinæ est, quia si de præsenti potuit fieri solutio, non obstante iure priorū, & eorū præiudicio, etiā poterit fieri postea, quia solutio futura facienda est ex eadē obligatione contractus ex qua fieret solutio præsens, ergo si obligatio ex qua fieret de prҿsenti, est tanta quod ex ea fieri potuit solutio præsens cum prælatione ad priores creditores, & cum eorum præiudicio, etiam poterit fieri postea: & è contra si ex contractu inito cum debitore alijs creditoribus, nō potuit in eo oriri obligatio faciendi solutionē de prҿsenti cū præiudicio priorū creditorū, nec poterit oriri obligatio faciendi postea solutionē cū prædictorū præiudicio, sed totū quo potuit fieri solutio, diuidendum esse inter priores creditores.

Addidimus, *Solutiones quæ de præsenti non potuerunt fieri cum præjudicio priorum creditorum, non posse postea fieri si adsit idem præiudicium*: quia si postea possint absque eorum præiudicio fieri, vt potest contingere, si debitor postea veniat ad pinguiorem, & sufficientem fortunam ad soluendum integrè omnibus creditoribus, faciendæ sunt ex obligatione, quia absque dubio contractus factus tempore impotentiæ soluendi priora debita, fit sub tacita conditione soluendi in euentu pinguioris, & sufficientis fortunҿ, & hac conditione posita fit absolutus,

ac

ac proinde debitum ex eo contractu admittendum est cum alijs factis tempore potentiæ solutionis seruato ordine iuris, quia etiam hoc debitum vltimum factum est absolutum, seu cõtractum est absolutè, tempore potentiæ soluendi in quo debitor peruenit ad pinguiorem, & sufficientem fortunam, est autem admittẽdum hoc vltimum debitum cum alijs prioribus debitis, quamuis debitor postea iterum redeat ad impotentiam integrè soluendi, quia contractus ex quo oritur, purificatus fuit, seu absolutus factus tẽpore potentię soluendi.

Superest tamen difficultas, qui contractus possint absque iniuria priorum creditorum celebrari cum debitore, ita vt ab eo possint licitè accipi de præsenti solutiones eis contractibus correspondentes cum præiudicio priorum creditorum.

Circa quam existimamus quoties contractus est necessarius debitori ad id ratione cuius potest omittere solutionem priorum debitorũ, tũc posse licitè cũ debitore celebrari eũ cõtractũ, & cõtrahentẽ cũ illo posse ab eo licitè accipere solutionem ei contractui correspondentem, quamuis debitor ob eam solutionem fiat impotens ad solutionem priorum debitorum, quia tunc creditores priores non erunt rationabiliter inuiti, in omissione solutionum eorum, quæ ipsis debentur. Quid autem sit id ratione cuius debitor potest omittere solutionem priorum debitorum dicem. disp. 9. interim tamen dicimus id esse, quod necessarium est debitori ad conseruandam vitam, vel salutem, vel honorem, vel famã, vel statum iustè acquisitum.

Vnde debitor suis bonis quamuis debitis, & quamuis eorũ expensione fiat impotens ad soluenda debita, potest decenter substentare vxorem, & etiam filios, qui non possunt decenter substentari, & conducere famulos, medicum, & alios sibi necessarios, & expẽdere necessaria ad vitæ, aut salutis, aut honoris, aut famæ, aut status conseruationem: & etiam potest expendere necessaria ad testamentum, & ad inuentarium bonorum, quia id cedit in bonum hæreditatis, & aliorum creditorum.

Addimus, debitorem qui suis bonis non potest soluere suis creditoribus, teneri ex iustitia acceptare legatum quo possit soluere, & soluat, vt patet, eum verò qui legatum à tali debitore repudiatum acceptat, non teneri ad restitutionem faciendam eis quibus debitor qui repudiauit, tenetur soluere; quia acceptans repudiatum ab illo, nullã in eo infert iniuriã creditoribus illius.

Constat

Constat ergo, ex dictis in hac disputatione debita certa prius esse soluenda, seu restituenda, quam incerta, quamuis hæc sint realia, seu hypothecaria, & certa tantum sint personalia: & inter debita certa prius esse soluenda debita ex contractu oneroso, quam ex gratioso, quamuis debita ex hoc contractu sint hypothecaria, & debita ex oneroso tantum sint personalia, & inter debita ex simili contractu siue oneroso, siue gratioso, prius soluendum esse hypothecarium, quam personale, & inter debita hypothecaria, id quod est antiquius, exceptis supradictis casibus, & debita tempore impotentiæ soluendi contracta, orta ex contractu, qui tunc potuit licitè celebrari prius esse soluenda, quam antiquiora.

DISPVTAT. VIII. DE CIRCVNstantijs restitutionis.

Diffic. I. Vbi & cuius expensis facienda sit restitutio debita ratione iniustæ acceptionis?

OMISSIS Varijs modis dicendi, quos refert Vazquez cap. 10. dub. 1. existimamus in quo conueniũt ipse Vazquez, Lessius cap. 15. dub. 8. Layman. cap. 10. Becanus q. 5 3. & Bonacin. disput. 1. q. 5. restitutionem debitam ratione iniustæ acceptionis faciendam esse in loco in quo dominus erat rem suam iniustè ablatam, vel destructam, vel retentam habiturus; & faciendam esse expensis debitoris deductis expensis, si quas dominus facturus erat rem illam seruando, vel secum deferendo si mutauit locum, quia alias dominus rei detrimentum pateretur ob delictum debitoris contra ipsum, quod est contra rationem.

Et quamuis debitor iniustus rem illam conseruaret, aut mitteret domino, nullis, aut minoribus expensis, quam dominus eam conseruando, aut secum deferendo, non potest augmentum illud recipere, vt contra Vazquez, & Bonacin. aduertit Rebel. 1. part. lib. 2. quæst. 13. section. 2. num. 8. quia nequit titulo aliquo illud à do-

à domino recipere, sed id fortunæ domini rei tribuendum est.

Est tamen difficultas, an quando dicta restitutio nequit fieri absque magnis expensis, possit omitti aut differri, circa quam existimamus, in quo DD. communiter conueniunt posse differri dum sit spes, quod postea poterit fieri domino absq; magnis expensis, & si non sit spes, quod postea poterit illi absque magnis expensis fieri non posse restitutionem omitti, sed faciendam esse.

Est tamen difficultas, quibus sit tunc facienda: quia nonnulli dicunt faciendam esse pauperibus pro anima creditoris: & alij faciendam esse cognatis illius. Vazquez verò cap. 10. num. 21. existimat & meritò faciendam esse domino, seu creditori quamuis nequeat ei fieri absque magnis expensis, & multo maioribus ipso debito, & quamuis debitum non sit magnum, quia iustitia in rigore exigit rem iniustè ablatam reddi domino suo absque damno aliquo ipsius, ac si sublata ei non fuisset, quamuis cum damno debitoris in eodem genere bonorum.

Quod si ex circunstantijs possit prudenter præsumi, quod dominus rei sublatæ contentus erit, si detur pauperibus, aut cognatis, aut amicis, eis poterit reddi: quod facile poterit præsumi si debitum sit paruum: imò & quando sit magnum, si creditor habeat parentes, & facilius si habeat filios, quibus possit reddi. In casu verò in quo non sit aliqua prudens præsumptio ex dictis; nec sit prudens aliqua spes, quod illi possit fieri restitutio, facieda est pauperibus, aut alijs operibus bonis, iuxta ea quæ diximus disp. 1. dif. 37.

Diffic. II. Vbi & cuius expensis facienda est restitutio debita ratione rei acceptæ.

PROCEDIT Difficultas de restitutione debita nō ratione contractus, nec ratione iniustæ acceptionis, sed ratione rei absque iniustitia acceptæ, vt ratione rei inuentæ, aut aliter bona fide acceptæ.

Circa hanc difficultatem, omissis varijs modis dicēdi, quos refert Vazquez dub. 2. existimamus, in quo conueniunt ipse Vazquez, Lessius, Layman, Becan. & Bonacin. vbi supra, restitutionē debitam ratione rei absque iniustitia acceptæ sufficienter fieri in

eo

eo loco, in quo qui eam restituturus est, habet illam, & eum non teneri suis expensis mittere illam domino alibi existenti, quia qui rem inuenit, aut bona fide possidet non fuit causa saltem iniusta, quod dominus rei careat possessione illius, ergo non obligatur ex iustitia, vt suis expensis constituat dominum in possessione illius, sed tantum vt procedat quasi depositarius, vel eam mittendo ipsi domino expensis ipsius domini, vel eam custodiendo, quousque dominum admoneat, & interim vt custos fidelis procedat non suis expensis, sed domini si ad custodiam illius sint necessariæ, vt si fortè cogatur discedere à loco in quo est, & fortè in eo non sit aliquis apud quem possit eam commode deponere, tunc expensis domini potest eam secum deferre, aut a[illegible]ter custodire.

In casu verò in quo non sit prudens spes quòd dominus eam recuperauit, restituenda est, aut pauperibus iuxta communiorem sententiam, aut debitorem posse eam sibi retinere, iuxta nostram sententiam, vt diximus disp. 1. dif. 37.

Difficult. III. Vbi & cuius expensis facienda est restitutio debita ex contractu?

CONVENIVNT DD. debitũ ex contractu, v.g. ex commodato, ex emptione, & venditione, regulariter esse restituẽdũ, in eo loco in quo res accepta est (nisi aliud fuerit in pactum deductũ) quia ille censetur regulariter locus tacitè assignatus à contrahentibus, & satis congruus dicto contractui, quia res debita ex contractu mutuo, aut est eadem numero, vt in commodato, aut est alia distincta, quæ debita est pro alia re accepta, vt in contractu commutationis, iustitia autem exigit vt res debita, siue quę accepta est in se ipsa, vt in commodato, siue quæ debita est pro alia accepta, restituatur in pristinum statum ad quem etiam pertinet locus.

Addidimus primo, *regulariter*, quia aliquando locus in quo res à creditore accipitur non censetur tacitè assignatus, sed locus in quo creditor habitat, vt contingit quando à creditore obuio in via accipitur mutuo pecunia.

Addidim⁹ secũdò, *nisi alius fuerit deduct⁹ in pactũ*, quia si alius locus assignetur seruata æqualitate attento onere, quod imponitur, & vtilitatè contractus, in eo loco facienda est restitutio.

Res ergo debita ex mutuo contractu stipendijs creditoris restituenda est, si creditor recessit à loco in quo res fuit accepta, aut à loco iustè deducto in pactum, si vt restituatur ad eum mittẽda est: stipendijs verò debitoris si ipse sit extra eum locum, nisi res, quæ in se ipsa debita est, & recepta fuit, sit extra eum locum absque culpa, vel voluntate debitoris, quia tunc non suis expensis, sed creditoris, seu domini rei restituenda est, quia tunc esse extra eum locum in quo fuit recepta, infortunio creditoris tribuendum est.

Conueniunt secundò, rem debitam ex contractu gratioso vt ex testamento, vel ex promissione, vel ex donatione, restituendam esse in eo loco in quo sita erat quando legabatur in testamento, vel promittebatur, vel donabatur, nisi aliud fuerit dispositum à contrahentibus, quia dum aliud non disponitur ea absque dubio est mens donantis rem, vt scilicet, eam accipiat donatarius in eo loco, si eam vult accipere, vnde si hæres donantis alio transtulit rem sic debitam restituenda est suis expensis ad locum vbi sita erat quando fuit legata, vel promissa, vel donata.

Obseruandum est debitorem, qui non tenetur suis expensis rem debitam restituere, non teneri proprijs expensis illam creditori mittere, si prudenter timeat eas non esse à creditore resarciendas, ac proinde poterit expensis ex re ipsa, vel ex eius pretio deductis, mittere creditori, vel partem residuam, vel pretium residuum, nisi alia commodior via, illam creditori restituendi suppetat.

Difficult. IV. Vtrùm restitutio facienda sit statim ac commode fieri possit?

CONVENIVNT Doctores, restitutionem debitam siue ratione iniustæ acceptionis, siue ratione rei acceptæ, siue ex contractu, finito termino assignato, statim ac commode fieri potest esse, ex obligatione faciendam; quia ex tunc omissio restitutionis est contra iustitiam: istud tamen *statim* non est sumendum mathematice quasi absque vlla mora facienda sit restitutio, nisi quando ex mora quamuis modicissima immineat

credi-

creditori aliquod damnum, sed sumendum est moraliter expectata videlicet, commoditate, seu opportunitate, quod explicatur illis verbis: *Statim ac commode fieri potest*, quia dilatio quæ fit spectando opportunitatem non est contra voluntatem saltem rationabilem creditoris, quando non est aliud damnum quam dilatio; imò non raro dilatio aliquantulum magna restitutionis rei debitæ, ex contractu post terminum assignatum, non censetur contra voluntatem creditoris adhuc existente opportunitate, præsertim quando creditor est potens petere debitum, & non petit. Arbitrio autem prudentis discernendum est, quando dilatio fit contra voluntatem, & rationabilem creditoris, & consequenter quando sit peccatum.

Et quamuis dilatio restitutionis sit aliquantulum magna, & rei aliquantulum magnæ, adhuc contra voluntatem rationabilem creditoris, non est facilè censenda mortalis, quando creditori non imminet aliud damnum, quia tunc ipsa dilatio non videtur grauis damnificatio, seu iniuria contra creditorem.

Obseruandum est debitorem ad certum terminum, si assignatus sit in fauorem debitoris, vt regulariter fit, posse anticipatè soluere, & creditorē teneri eā solutionē acceptare; quia tunc terminus assignatur ad solicitandā solutionē, ne vltra terminum differatur, & non assignatur, vt non fiat anticipatè; si verò terminus assignatus sit in fauorem creditoris, vt aliquando fit, non posse anticipacitè soluere, inuito creditore, quia id est contra ius creditoris.

Difficultas V. Vtrùm fur qui non restituit, quando tenetur, peccet actu post primam acceptionem?

CAIETAN. 22. quæstion. 66. articul. 3. ad tertium, & tom. 1. tractatu 17. existimat actu non peccare non restituēdo, sed tantum peccasse, quando primo accepit, & postea esse in statu illius peccati, quia omissio restitutionis non est actio, sed effectus peccati prioris acceptionis.

Doctores tamen communiter docent, etiam post primam acceptionem actu peccare, quoties aduertenter omittit restituere, & non adest causa sufficiens dilationis, aut omnimodæ omissionis restitutionis, & meritò, quia iustitia non tantum obligat ad non accipiendum alienum, sed etiam obligat ad reddendum ablatum, ergo nō tantum prima acceptio alieni est actuale peccatum, sed etiam non restitutio illius, quia vtraque est contra obligationem iustitiæ.

Quod autem, omissio restitutionis non sit actio, & sit quasi effectus prioris acceptionis, non obstat, quia, in primis, quod non sit actio, sed omissio non obstat, quia contra præceptum affirmatiuum, verbi gratia, audiendi Missam omissione peccatur, & in opinione Caietani, & nostra præceptum restitutionis est affirmatiuum; præsertim, quod DD. qui existimant præceptum restitutionis esse negatiuum censent omissionem restitutionis, quamuis physicè sit omissio, moraliter esse continuationem primæ acceptionis, quod sufficeret, vt esset peccatum actuale commissionis contra præceptum negatiuum non accipiendi alienum; & quamuis admittamus omissionem restitutionis esse quasi effectum peccati primæ acceptionis, non obstat vt sit peccatum actuale, quia quamuis sit quasi effectus peccati, est tamen actio, aut omissio actionis contra obligationem virtutis, & furi libera, seu existens in eius potestate.

Difficult. VI. Vtrùm qui multo tempore omittit restituere, peccet vno tantum peccato, an pluribus?

PETRVS Nauar. lib. 4. c. 4. n. 9. existimat omissionē restitutionis esse vnū tātū numero peccatū, quamuis ea omissio duret per multum tempus, & dictum peccatum non discontinuari per somnum, nec per alia, nisi per propositum restituendi statim, ac commodè possit, quia omissio restitutionis pro toto eo tempore quamuis longo est tantum vna, imò ipsa prima acceptio moraliter continuatur cum ipsa omissione restitutionis; quia prima acceptio, & omissio sunt moraliter vna retentio, ergo quamuis longo tempore duret est tantum vnū numero peccatū. Quod verò discontinuetur per subsequens propositū restituendi, quādo eo

cessante

cessante ipsum proponit non restituere probatur, quia eo proposito, ipsa retentio præcedens, aut omissio restitutionis præcedens desinit esse peccatum, ergo formaliter, seu in ratione peccati discontinuatur à retentione, aut ab omissione restitutionis sequente post dictum propositum, quia post ipsum cessans, incipit esse iterum peccatum.

Vazquez verò capit. 5. §. 1. dubio 3. Rebellus 1. parte, libro 2. quæstion. 17. section. 2. Bonacina disputation. 1. quæstion. 6. & communiter Doctores docent, eum, qui multo tempore omittit restituere non vno tantum peccato peccare omittendo, sed pluribus quando non adest causa aliqua sufficiens dilationis. Et meritò, quia omissio restitutionis, aut retentio rei debitæ, quando longo tempore durat, pluries discontinuatur moraliter, seu in ratione peccati, ergo qui longo tempore omittit restituere, pluribus peccatis omissionis peccat, consequentia patet, antecedens autem probatur, quia toties omissio restitutionis discontinuatur moraliter, seu in ratione peccati, quoties discontinuatur in esse liberæ, seu quoties desinit esse libera; quia omissio absque libertate nequit esse peccatum: omissio autem restitutionis pluries in longo tempore desinit esse libera; quia in primis desinit esse libera somno; & proposito restituendi statim accommodè possit, & impotentia restituendi, quamuis non adsit propositum restituendi, & etiam inconsideratione naturali ipsius omissionis, quia tunc ipsa omissio desinit esse libera, & humana, seu capax malitiæ: & etiam incõsideratione naturali ipsius malitiæ, quamuis omissio ipsa aduertatur, quia tunc desinit esse libera in ratione malæ, seu peccati, quamuis sit libera in ratione omissionis, ergo cum saltem aliquid ex his quibus omissio desinit esse libera, accidat omissioni, quãdo longo tempore durat, is qui longo tempore omittit restituere, non vno tantum peccato omissionis, sed pluribus numero distinctis peccat.

Ex quo constat ad rationem Petri Nauarra, quod quamuis tota omissio sit physicè vna; imò & prima acceptio in esse physico moraliter continuetur cum ipsa omissione, aut retentione, quando etiam res retinetur, in esse tamen morali, seu peccati discontinuatur non solum dicto proposito restituendi in quo Petr. Nauar. nobiscum conuenit, sed etiã reliquis prædictis.

Est tamen obseruandum plura proposita omittẽdi restitutionẽ elicita dum omissio perseuerat vna in ratione malæ, seu peccati

non esse plura peccata, quia ex vna parte dicta proposita nō sunt primario, seu ratione sui peccata, sed tantum secundario, & deriuatiuè ab omissione ipsa, & ex altera parte quodlibet propositū continuatur moraliter cum ipsa omissione, & est idem numero peccatum cum ipsa, quia quodlibet est simul cum ipsa, & tantum habet malitiam ipsius omissionis, qui nullum propositum habet propriam, sed tantum deriuatam extrinsece ab ipsa omissione, ac proinde dicta illa proposita moraliter, & quoad malitiam continuantur inter se, & sunt idem numero peccatum, quia omnia illa continuantur cum eadem numero omissione, quę autem sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

Numerus ergo, seu pluralitas peccatorum contingens in omissione restitutionis rei grauis longo tempore durante, explicādus est meliore modo, quo commode possit: ad quod regulariter sufficiet explicare tempus quo durauit omissio. Addimus regulariter, quia quando discontinuatio fuit extraordinaria, siue quoad multitudinem, siue quoad paucitatem discōtinuationum, illa etiam est explicanda. Circa quod legēdum est, quod dicimus tract. de Pœnitent. disp. 9. præsertim dif. 6.

Iuxta generalia autem principia, quæ à nobis traduntur tractatu de Pœniten. disput. 10. præsertim difficul. 23. Confessarius non potest absoluere pœnitentem obligatum ad restitutionem rei grauis, qui in omissione illius peccauit mortaliter, si non habeat firmum propositum restituendi oblata opportunitate; quia absque eo proposito non est sufficienter dispositus: imò regulariter non potest absoluere pœnitentem, qui sæpius confessus illud peccatum, fregit sæpius propositum restituendi; quia hic censetur esse in proximo periculo continuandi, aut iterum incurrendi in illud peccatum. Addimus regulariter, quia si ex circūstātijs prudenter iudicetur, quod statim oblata opportunitate restituet absoluendus est, quia tunc censendus est sufficienter dispositus, & absque periculo proximo iterum peccandi mortaliter.

Obseruandum tamen est, Confessarium absoluentem eum, qui non restituit, quamuis illicitè absoluat, non teneri ad eam restitutionem (sicut etiam tract. de Pœniten. disp. 10. dif. 22. diximus Confessarium non monentem pœnitentem obligatum ad restitutionem non teneri ad eam restitutionem) quia in sic absoluēdo nullam facit iniuriam creditori, & quia ea absolutione non inducit positiuè pœnitentem ad non restituendum, & quia non tene-

tur

tur ex iustitia, tunc negare absolutionem in fauorem creditoris, sed tantum ex religione in perfectionem Sacramenti, & ad summum etiam ex iustitiâ in fauorem pœnitentis in bonum spirituale ipsius.

Diffic. VII. Quomodo facienda sit restitutio?

CONVENIVNT Primò DD. restitutionem posse fieri per tertiam personam, & id expedire, quando restitutio fit ratione delicti occulti; quando verò fit ratione delicti publici, quo aliquis scandalizatur debere publice fieri, non determinate debito, seu obligatione iustitiæ, quia huic satisfit restitutione quouis modo facta, sed obligatione illius virtutis, contra quam est scandalum, si publicitas restitutionis est necessaria ad illud vitandum; quod si tunc restitutio facta fuerit secreto, aliter obuiandum est scandalo, nempè publicatione restitutionis factæ.

Est tamen difficultas, an quando tertia illa persona, cui tradita est res debita, vt eam restituat creditori, & eam non restituit, vel quia eam sibi retinet, vel quia ipsi subrripitur, vel quia aliter perit, teneatur debitor eam restituere.

Circa quam existimamus, quod si res illa debita sit sub dominio creditoris (nulla præcedente iniusta ablatione, vel retentione ex parte debitoris, & nullo præcedente pacto) qualiter est quando est commodata, aut locata, aut oppignorata, aut deposita, tunc debitor manet liber à restitutione, si tertia illa persona prudenter à debitore iudicabatur fidelis, quia tunc ex vna parte res perit domino suo, & ex altera in missione rei per eam tertiã personam, nulla fuit negligentia culpabilis in debitore, ratione cuius teneatur ad recompensationem rei non peruenientis ad dominum, seu creditorem, quia fuit missa per tertiam personam prudenter iudicatam fidelem. Si verò negligẽtia aliqua culpabili debitoris in electione illius tertiæ personæ, vt si non fuit prudenter iudicata fidelis, res illa non perueniat ad dominum, tunc debitor tenetur ad restitutionem illius, nisi alias res etiam erat peritura apud dominum absque iniuria alterius, rarissimè autem erit negligentia culpabilis in debitore in missione rei per tertiam personam electam ab ipso domino, ac proinde regulariter liber manebit ab obligatione restitutionis. Addidimus, *rarissimè*, quia ali-

quando poterit esse negligentia culpabilis, tunc videlicet quando debitor cognoscit infidelitatem personæ missæ, & prudenter timeat creditorem eam non agnoscere: deinde non erit negligentia culpabilis in debitore si mittat rem domino per tertiam personam dantem falso signum debitori, de quo conuentum fuit inter dominum, & debitorem, quando debitor non dubitauit prudenter eam tertiam personam fraudulenter dare signum illud, quia tunc debitor prudenter processit, mittendo rem illam domino per tertiam illam personam, erit verò negligentia culpabilis in missione rei per tertiam personam (ac proinde debitor non manebit liber ab obligatione restitutionis) si mittat per tertiam personam missam à domino ad monēdum ipsum debitorem, vt mittat rem illam, nisi aliàs tertia illa persona pruden ter iudicetur à debitore fidelis.

Si verò res debita non sit sub dominio creditoris, sed debitoris, qualiter est res debita ex mutuo, aut ratione dānificationis, tunc debitor non manet liber ab obligatione restitutionis, si res illa per tertiam personam missa (quamuis per Confessarium) non electam à creditore non perueniat ad ipsum creditorem, siue quia tertia illa persona eam sibi retinet, siue quia ipsi subrripitur, siue quia aliter perit; quia ex vna parte res domino perit, & ex altera perit absque culpa creditoris, vt supponimus. Et idem est, quando res quæ mittitur creditori est sub dominio ipsius creditoris, si fuit iniustè ablata, vel retencenta (nisi alias res illa erat absque iniustitia alterius apud dominum peritura) quia tunc debitor non satisfacit, nisi res illa perueniat ad dominum, quia aliter inæqualitatem iniusta ablatione, vel retentione factam non reducit ad æqualitatem, nisi aliàs res illa erat absque iniustitia alterius apud dominum peritura. Hæc autem duo, nempè, quod quando res debita est sub dominio debitoris: & etiam quod quando non est sub dominio debitoris, sed sub dominio creditoris, si fuit iniustè ablata, vel retenta, debitor non maneat liber, si res debita non perueniat ad creditorem, vel ad dominum, etiam intelligimus esse vera contra nonnullos oppositum probabiliter existimantes, quamuis debitor non potuerit per seipsum restituere absque periculo infamiæ; quia etiam tunc currit ratio à nobis tradita.

Addidimus, *Non electam à creditore*, quia quando aliqua

Ex dictis duabus rebus debitis, mittitur per tertiam personam à creditore electam non iudicatam à debitore infidelem, debitor manet liber ab obligatione restitutionis, quia tunc tertia illa persona gerit vicem creditoris, ac proinde, quando ei personæ traditur censetur tradi ipsi creditori, & creditor censetur acquirere dominium illius, non verò quando mittitur per personam fraudulenter dantem signum assignatum à creditore, & debitore; quia tunc non censetur tradi creditori, quia tunc non traditur personæ assignatæ à creditore, ac proinde, nec gerenti vicem illius.

Quomodo verò facienda sit restitutio ab his qui cooperati sunt ad damnum illatum diximus disp.6.

Conueniunt secundò Doctores, restitutionem non posse fieri per partes (nisi quando debitum est ex contractu, & contractus est, quod sic possit fieri) sed totam esse simul faciendam, si commodè fieri possit, quia ad id obligat iustitia.

Conueniunt tertiò, debitum solui posse in qualibet pecunia non solum aurea, vel argentea; sed etiam in pecunia ex quacunque alia materia inferiori. Ita Vazquez capit. 11. & Bonacina disputation. 1. quæst. 7. num. 5. quia eadem est æstimatio, & idem pretium omnium pecuniarum excipimus quando debitum est ratione mutui facti in pecunia aurea, vel argentea, vel ratione furti similis pecuniæ, quia tunc non sufficit soluere in pecunia inferioris materiæ, vbi pluris æstimatur pecunia superioris materiæ, vt nunc per accidens contingit in Hispania ob paucitatem pecuniæ superioris, & multitudinem inferioris, ob quod inferior exposita est multis incommodis, sed debet fieri in pecunia simili mutuatæ, vel ablatæ, vel si in inferiore addendum est aliquid quo recompensetur defectus superioris, quia aliter non fiet satisfactio ad æqualitatem quo ad omnia.

DISPVTAT. IX. DE CAVSIS OB quas differri, vel omitti potest restitutio.

Diffic. I. Vtrùm ob damnum imminens ex restitutione possit restitutio differri.

CONVENIVNT Primò DD. quod quando prudenter timetur restitutionem nocituram ipsi creditori possit differri in tempus magis opportunum quamuis res restituenda, debita sit ratione delicti, seu iniustæ acceptionis, quia tunc dilatio non erit contra voluntatem creditoris, quia vtiliter agitur negotiũ illius, attendendum tamen est ad grauitatem, & leuitatem nocumenti, quod timetur, & ad quantitatem restitutionis debitæ, quia tanta potest esse quantitas restitutionis debitæ, & nocumentum creditoris, tam leue, vt ob timorem illius nequeat differri restitutio, vt quando dilatio sit futura peior quam aliud malum quod timetur, imò & tam mala.

Conueniunt secundò communiter DD. quod quando timetur prudenter restitutionem grauiter nocituram iniustè alicui tertiò possit differri, v. g. restitutionem gladij, quo timetur creditorem occisurum aliquem, aut restitutionem pecuniæ, qua timetur creditorem abusurum ad iniustum bellum, quod est verũ, quãuis res restituenda, debita sit ratione iniustæ acceptionis, quia tunc in dilatione restitutionis creditor non erit rationabiliter inuitus; imò tunc debet differri, ne restituens cooperetur ei nocumento, nisi aliàs excusetur timore nocumenti proprij, si non fiat restitutio.

Tertiò conueniunt communiter DD. quod quando prudenter timetur graue nocumentum proprium in vita, aut in honore, aut in fama, possit, quandiu durat timor, differri restitutio, quamuis debita ratione iniustæ acceptionis; quia tunc dilatio restitutionis non erit contra rationabilem voluntatem creditoris, vnde multo melius poterit quis non impedire damnum aliorum imminente

nente sibi periculo vitæ, aut honoris, aut famæ; ac proinde adultera, quæ ex adulterio habuit filium, non tenetur manifestare adulterium ad impediendum damnum proueniens filijs legitimis in diuisione legitimæ inter ipsos, & spurium, quando ex manifestatione sibi imminet periculum vitæ, aut famæ.

Est tamen difficultas, an quando prudenter timetur graue nocumentum proprium in bonis fortunæ, seu diuitiarum posśit differri restitutio.

Circa quam (quamuis sint qui oppositum probabiliter censeant) existimamus, quod posśit differri in tempus opportunum si speretur, etiam si res restituenda, debita sit ratione iniustæ acceptionis, quia tunc dilatio non erit contra rationabilem voluntatem creditoris, quia ex misericordia tenetur ad non exigendam restitutionem, erit tamen contra rationabilem voluntatem creditoris, & debitor non poterit restitutionem differre, quando ex dilatione timetur etiam prouenturum creditori graue aliud damnum, quod postea nequeat ipsi satisfieri, quamuis res restituenda, non sit debita ratione iniustæ acceptionis, sed tantum ex contractu saltem oneroso ipsi creditori, quia tunc omisśio restitutionis verè est contra voluntatem rationabilem creditoris: benè tamen poterit differri, quando res restituenda, tantum sit debita ratione rei bona fide acceptæ: imò quando est debita ex contractu gratioso ipsi creditori, & oneroso ipsi debitori saltem ex contractu promisśionis.

Sed quamuis ad differendam restitutionem sufficiat timor proprij damni grauius etiam in bonis fortunæ, non tamen sufficit spes magnæ vtilitatis propriæ, nisi ea sit necessaria ad satisfaciẽdum alijs creditoribus.

Diffic. II. Vtrùm ob inopiam debitoris posśit differri restitutio?

CONVENIVNT Primò DD. ob necesśitatem extremam debitoris, vel suorum, vel proximi posse differri restitutionem, quandiu necesśitas durat, quando ob restitutionem rei debitæ, non potest dictæ necesśitati subueniri, quia tũc dilatio restitutionis nõ erit cõtra volũtatẽ rationabilẽ creditoris, quia ex misericordia tenetur subuenire ei necesśitati, saltẽ dilatione restitutionis.

Quid

Quid verò faciendum sit, quãdo etiam creditor est in extrema necessitate, & sibi non potest subuenire, nisi re sibi debita, examinauimus tract. de Charitat. disput. 5. diffic. 12. vbi diximus, quod quando debitor, & creditor in eodem tempore occurrunt in extrema necessitate; si res debita sit sub dominio debitoris, non teneatur eam restituere, quamuis creditor prius inciderit in extremam necessitatem: si verò è cõtra res debita sit sub dominio creditoris, quod teneatur eam creditori restituere, quamuis debitor prius inciderit in eam necessitatem, nisi quando debitor seclusa ea necessite nondum debet restituere, vt quando habet rem locatam pro tempore in quo contingit, & perseuerat ea necessitas; quia quando est sub dominio debitoris, durum sit ipsum in extrema necessitate constitutum se spoliare re sua, quamuis debita creditori existenti in simili necessitate; & non sit durum quando res debita est sub dominio ipsius creditoris, nisi quando nondum debet restitui creditori, vt in exemplo locationis adducto.

Conueniunt secundò communiter DD. etiam ob grauem necessitatem debitoris posse differri restitutionem, quandiu necessitas durat. Ita Petrus Nauar. lib. 4. cap. 4. Lessius cap. 16. dub. 1. & Bonacin. disput. 1. q. vlt. pũct. 1. quod nos credimus verum; quando res debita non est necessaria creditori ad vitam, nec ad statum, nec ad vitandum graue aliquod incommodum; quia tunc dilatio non est contra voluntatem rationabilem creditoris, quia tunc creditor ex misericordia, tenetur subuenire ei necessitati; non verò credimus verum, quando res debita est aliquo modo ex tribus dictis necessaria creditori; quia tunc dilatio est contra rationabilem voluntatem creditoris, quia tunc non tenetur ex misericordia subuenire ei necessitati, adhuc dilatione, quamuis res debita sit sub dominio debitoris, iuxta ea, quæ diximus tract. de Charitat. disp. 5. dif. 6. & 12.

Quæ autem diximus circa dilationem restitutionis posse fieri à debitore ob necessitatem sui tam extremam, quàm grauem etiam credimus posse fieri ab ipso ob similem necessitatem suorum; nempè alicuius sui ascendentis, aut descendẽtis, aut vxoris, aut fratris: quod etiam è contra credimus verum in fauorem cognatorum creditoris indigentium, quod scilicet, ob eorum necessitatem nequeat creditori differri restitutio, quãdo ob similem necessitatem ipsius nequit ipsi differri.

Addidimus, ***quandiu ea necessitas durat***, quia ea transacta quam-

quamuis fuerit extrema non est differenda restitutio, quamuis res debita iam fuerit consumpta ad subueniẽdum ei necessitati, iuxta ea, quæ diximus tractatu de Charitate disput. 5. diffic. 11. imò restituendum est damnum, quod creditori emersit, & lucrum quod ei cessauit ex dilatione, quamuis licitè facta, etiam si debitum fuerit contractum absque iniustitia, quia par non est, quod creditor patiatur damnum ob dilationem in fauorem debitoris contra ipsum creditorem, quamuis absque iniustitia factam. Vnde debitor non tenetur ad id ratione delicti, sed quasi ex contractu tacito annexo dilationi in fauorem debitoris contra creditorem factæ.

Difficult. III. Vtrùm ob cessionem bonorum possit differri restitutio?

CONVENIVNT DD. ob cessionem bonorũ (Hispane pleito de acreedores) à debitore factã, vt inter creditores proportione seruata diuidantur excusari debitorem à restitutione statim facienda, non solum in foro consciẽtiæ, quia post eam cessionem ad quam debitor cogitur, quia nequit integrè soluere, manet impotens ad restitutionem statim faciendam, sed etiam in foro exteriori, seu iudiciali, vt constat ex leg. 1. C. *qui bonis cedere possunt*, & ex l. *qui bonis*, ff. de cessione bonorum, & ex Institu. de *actionibus*, §. vltimo, & ex iure Castellæ l. 1. & 4. tit. 15. par. 5. vbi sancitum est, ne debititor post cessionem bonorum possit conijci in carcerem ob debitum quousque acquirat superfluum ad sui, & suorum sustentationem, quia dicto iure debitori ex bonis post cessionem acquisitis tantum conceduntur necessaria ad dictam sustentationem, quæ etiam ex bonis, quæ tempore instantis cessionis habebat, iure naturali conceduntur, quia nemo in foro cõscientiæ cogitur restituere cum tanto damno.

Vnde cedens bonis potest in foro cõsciẽtiæ occultare necessaria ad eam sustentationem, quamuis ius positiuum id neget, nisi ex bonis quæ post dictam cessionem acquirit.

Addidimus, *Ob cessionem bonorum excusari debitorem à restitutione statim facienda*; quia si post cessionem veniat ad pinguiorem fortunã, tenetur ad restitutionẽ (in quo DD. cõmuniter cõueniũt) quia debita nec iure positiuo, nec naturali extinguũtur

eb

ob cessionem bonorum, sed tantum consopiuntur. Quod contra nonnullos etiam credimus verum, quamuis cessio bonorum fiat actu aliquo ignominioso, vt fit in aliquibus Regnis, quia actus ille ignominiosus nullo iure est, nec censetur solutio debiti.

Diffic. IV. Vtrùm restitutio possit omitti ob remissionem debiti?

CONVENIVNT DD. remissionem debiti excusare à restitutione illius, sicut concessio dilationis excusat à restitutione statim facienda. Ita Vazquez cap. 9. §. 1. dub. 4. Petrus Nauar. lib. 4. cap. 5. & Bonacina disp. 1. q. vlti. puncto 2. quia remissione debiti cessat seu extinguitur debitum, cuius possit fieri restitutio.

Sed quia remissio debiti est quædam condonatio, seu donatio; ideò ad valorē dictæ remissionis excusantis à restitutione requiruntur tria, quæ requirūtur ad valorē donationis. Primò, quod fiat omnino liberè, id est, absque ignorantia, & absque metu iniusto adhuc leui, & absque fraude dantibus causam remissioni, id est, quando non fieret remissio, si non fuisset illa ignorantia, aut ille metus, aut illa fraus; quia remissio, & donatio debet esse liberalis, & non est talis, quando fit aliquo ex tribus dictis modis.

Vnde remissio debitori falso existimato pauperi facta ob paupertatem est nulla: remissio tamen facta ad petitionem debitoris, quamuis non offerentis solutionem, imò quamuis habentis animum non restituendi valida est, quia hæc non tollunt remissionem fieri liberaliter; & remissio partis debiti facta ob assecurandum residuum debiti valida est, si fiat absque prædictis.

Et non solum remissio formalis excusat à restitutione debiti, sed etiam remissio prudenter præsumpta, qua prudenter præsumitur creditorem remittere, quia etiam tunc debitor nihil retinet inuito domino. Imò Bonacina addit ex Manuele Saa non teneri ad restitutionem eum, qui aliquid accipit, quod si petijsset à domino, ei datum fuisset (& idem est non teneri eum, qui si petijsset remissionem debiti ei fieret) quod quamuis nō careat probabilitate non tamen credimus verum, quando ob petitionem fieret donatio, aut remissio debiti, & absque petitione nō fieret, vt non rarò contingit.

Secun-

Secundò requiritur, ad valorem remissionis debiti, quod fiat à potente donare, quia remittere est donare. Vnde remissio debiti pupillo, ab ipso facta est nulla; quia pupillus iure positiuo impeditur donare.

Tertiò requiritur, quod non sit iure aliquo annullata, vt annullata est remissio facta Canonico, qui non interfuit diuinis Officijs, & accepit distributiones eis officijs correspondentes, vt patet ex Tridentino Session. 24. cap. 12. de reformat. & vt annullata est remissio facta visitanti Ecclesiam, qui ex bonis Ecclesiæ visitatæ accepit aliquid præter sumptus necessarios ad victum diebus visitationis, quod tenetur intra mensem restituere in duplum, vt constat ex cap. exigit, & ex cap. fœlicis, de censibus, & exactionibus in 6. & vt annullata est remissio facta iudici Ecclesiastico delegato accipiẽti aliquid à partib⁹ nisi esculẽtũ, aut poculẽtũ, vel accipiẽti aliquid supra moderatas expẽsas, quãdo proficiscitur extra domicilium; imò accipienti aliquid pro expẽsis à partibus notabiliter pauperibus, vt constat ex capit. *statutum*, de rescript. in 6. & vt annullata est remissio facta Inquisitoribus prętextu sui officij pecunias extorquentibus, vt constat ex Clementina *nollentes*, de hæreticis: & ob id nec Canonicus, nec visitans Ecclesias, nec iudex Ecclesiasticus delegatus, nec Inquisitor excusantur à restitutione prædictorum donorum, quamuis eis fiat illorum remissio.

Diffic. V. Vtrùm debitor excusetur à restitutione restituendò creditori sui creditoris?

CONVENIVNT DD. restitutionem debiti factam creditori mei creditoris excusare à restitutione tantidẽ debiti meo immediato creditori. Ita Medina q. 3. causa 5. Lessius cap. 16. dub. 5. & Bonacina disput. 1. q. 4. punct. 3. vt si debeo Petro centum, & hic debet centum Ioanni, si restituo ea centum Ioanni excusor à restituendo illa centum, quæ debeo Petro debitori Ioannis, quamuis Petrus sit in eo inuitus, quia tunc restituendo illa cẽtum Ioanni creditori Petri acquiro ius illud Ioannis contra Petrum ad centum, quod valet tanti, quanti ius Petri contra me ad alia centum, ac proinde non restituendo centum debita Petro

vtor

absque violentia recompensatione iusta pro mihi debito ab ipso Petro? Id tamen non tollit, quin aliquando in foro exteriori cogar ad restituendum, seu soluendum meo immediato creditori, nempè Petro, quod illi debeo, ex Bartolo in leg. *solutum*, ff. de pignor. action. tunc videlicet, quando quod illi debeo non est res obligata suo creditori, non verò cogar quando est illi obligata, vt quando à Petro meo creditore conduco equum, quem Petrus conduxit à Ioanne suo creditore: nec cogar quando meus creditor mea causa factus est debitor suo creditori, vt quando meus creditor gerens mea negotia accepit pro me mutuum à Ioanne, cui factus est debitor talis mutui, quia in his duobus casibus non cogar à Petro in foro exteriori, vt ei soluam; quia tūc possum soluere Ioanni.

Addimus non solum compensationem factā à debitore modo prædicto excusare à restitutione, sed etiam recompensationē factam ab ipso creditore, v.g. à dicto Ioanne creditore Petri accipiēdo à me pro Petro centum, quæ debeo ipsi Petro, & Petrus ipsi Ioanni.

Difficult. VI. Vtrùm compositio obtenta à Romano Pontifice excuset à restitutione?

CONVENIVNT DD. compositionem factam auctoritate Romani Pontificis excusare à restitutione debiti incerti, seu incerti creditoris, siue iustè, siue iniustè contracti. Ita Lessi. cap. 16. dub. 11. Layman. lib. 3. cap. 12. & Bonacina disp. 1. q. vltim. puncto 2. quia in bona temporalia Christianorum magnam habet auctoritatem, quatenus dispositio eorum conducit ad bonum Ecclesiæ, aut ad bonum spirituale.

Sed quamuis Pontifex auctoritatem habeat in bona Christianorum, quatenus eorum dispositio ad bonum dictum conducit; compositio tamen super debitis certis, seu certorum creditorū fieri nequit absque graui causa ipsi dispositioni proportionata, quia non est dominus eorum bonorum.

Et non solum Pontifex habet auctoritatem ad compositionem

nem faciendam super debitis incertis, sed etiam Princeps sæcularis, dum Pontifex, id non prohibeat, aut præueniat, vt de facto præuenit, applicando debita incerta; saltem aliqua pauperibus, vt diximus disp. 1. diffic. 6.

Diffic. VII. Vtrùm ingressus in Religionem excuset à restitutione?

PROCEDIT Difficultas de debitore, qui non potest soluere, an scilicet, possit Religionem ingredi. Supponimus autē, quod si nulla sit illi spes prudens, quod poterit soluere, si maneat in sæculo, possit Religionē ingredi, quia tūc frustra manebit in sæculo.

Est ergo difficultas, quando est prudens spes; quod manens in sæculo poterit soluere, vel quia sperat hæreditatem, vel quia sperat labore, & industria sibi decente acquirere, quo possit soluere, an tunc possit Religionem ingredi, non obstante omissione solutionis, seu restitutionis, quàm manendo in sæculo posset facere.

S. Thom. 22. q. vlt. art. 6. & ibidem Caietan. Paludan. in 4. dist. 38. q. 3. art. 2. Anton. Angel. Syluest. & plures alij docent, tunc debitorem posse statim Religionem ingredi relinquendo bona, quæ habuerit creditoribus, si aliqua habeat, non obstante spe prudente soluendi, si maneat in sæculo, quia debitor nō est obligatus quoad suam personam, sed tantum quoad sua bona, ergo ea relinquendo creditoribus, si aliena habeat, eis sufficienter satisfacit.

Hanc sententiam moderantur Sancius lib. 4. Sum. cap. 19. Lessius capit. 16. dubio 8. Maior, Nauar. & Azor, vt tantum sit vera, quando non est spes prudens, quod quamuis maneat in sæculo poterit soluere intra breue tempus, nempe intra biennium, vt exprimit Sancius.

Medina verò de restitutione, quæst. 3. Layman. libr. 3. tract. 2. cap. 12. Bonacina disputat. 1. quæst. vltima, puncto 2. §. 1. Ierson, Molina, Valentia, Rebellus, & Reginaldus docent, debitorem non posse tunc ingredi Religionem, quamuis ad restituendū, seu soluendū sit necessarium expectare longissimum tempus; & meritò, quia debitor, qui liberè absq; necessitate se efficit impotentem ad soluendum infert iniuriam suo creditori: ingrediendo autē Religionē, & profitendo se efficit liberè, & absq; necessi

tate impotentem ad soluendum, quia libere ingreditur, & profitetur, ergo nequit id efficere absque iniuria in creditorem. Et confirmatur primò, quia debitor nequit omittere, imò nec differre restitutionem ob lucrum temporale, quamuis maximum. Quod non leuiter confirmatur secundò, motu proprio Pij Quinti edito anno 1587. & motu Clementis Octaui, edito anno 1602. dum in eis graues pœnæ imponuntur, recipientibus in Religione ære alieno grauatos, de quibus tract. de statu Religioso.

Prædictam doctrinam veram existimamus, quamuis debitor emiserit votũ Religionis, non solũ post debita contracta; quia tũc votũ esset vinculum iniquitatis, sed etiam quamuis emiserit votũ ante debita contracta, quia votum fit tacitè sub conditione, si nõ superueniat notabilis mutatio, superuenit autem superuenientibus debitis considerabilibus.

Debitor verò, qui restitutione non facta professus est, adhuc manet obligatus ad restitutionem, & tenetur ad eam ex bonis, quæ suæ liberæ dispositioni conceduntur à superioribus, & quæ potest suo labore decente ex licentia superioris acquirere, & de eis liberè disponere, & ad eum laborem tenetur, supposita licẽtia superioris ad acquirendum, & liberè disponendum, imò Monasterium ex bonis, in quibus loco ipsius debitoris succedit, tenetur ad restitutionem loco ipsius.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus debitorem non esse obligatum quoad suam personam; ita vt si aliter non possit soluere, teneatur se vendere, aut personaliter seruire, sed tantum quoad sua bona, tam quoad ea, quæ habet, quàm quo ad ea quæ potest habere, & ideò quando prudenter creditur, quod manens in sęculo habebit, vel poterit habere, non potest sęculum deserere, & Religionem ingredi.

Diffi. VIII. Vtrùm donatio facta creditori à debitore immemore debiti, excuset à restitutione tantidem debiti?

NON Desunt, qui existiment verè excusare (nisi quando donatio facta est in remunerationem tantidem beneficij accepti à donatario) quia tunc in debitore est intẽtio virtualis satisfaciẽdi debito, quia si memor esset debiti non dedisset animo donãdi, sed satisfaciendi debito. San-

Sancius verò lib. 1. Summ. cap. 13. Lessius cap. 39. dub. 10. & Layman. tract. 2. cap. 12. docent, non excusare, & meritò, quia debitor hic, & nunc non soluit, quia hic, & nunc absolutè donat. Quod autem solueret, & non donaret, si debitum in mentem veniret non sufficit, vt verè soluere dicatur: hæc enim dispositio cōditionalis qua debitor ita dispositus est, vt verè solueret, & nō donaret, si memor esset debiti nō sufficit, vt actu nō dicatur donare.

Nihilominus Layman. probabile censet ab obligatione restituendi promanante tantum ex iure Ecclesiastico, vt ab obligatione restituendi redditus Ecclesiasticos ex omissione diuini Officij excusari debitorem eleemosynis, quamuis factis absque memoria dictæ obligationis, & absque animo satisfaciendi ei obligationi, quia intētio virtualis elargientis eleemosynas sit satisfaciēdi omnibus obligationibus, quas suis negligentijs, & peccatis cōtraxit.

Diffic. IX. Vtrùm excommunicatio quădiu durat excuset à restitutione?

PRIMO, Est difficultas de excommunicatione creditoris. Circa quam Adrianus q. 3. de clauibus, Felin. & Panormit. in ca. *inter alia*, de sent. excom. Glos. in c. absolutos, de hæretic. & Sayrus lib. 2. c. 9. docent, excommunicationem creditoris excusare debitorem ab obligatione restituendi illi, quia restituere excommunicato non tollerato (de quo tantum procedit difficultas) est communicare cum illo, quod ipsa excōmunicatione prohibetur.

Medina verò q. 3. causa 9. Couar. in regula *peccatum*, 1. p. n. 8. Lessius cap. 16. dub. 9. Bonacin. disp. 1. q. vlt. num. 31. docēt, non excusare, & meritò; quia ex vna parte communicare cum excommunicato, adhuc non tollerato ob vtilitatem, adhuc ipsius excommunicati saltem ei ex iustitia debitam non prohibetur excōmunicatione, & aliàs debitor tenetur restituere, ergo excōmunicatio creditoris nō excusat debitorem à restitutione, etiam si in foro exteriori, præsertim Ecclesiastico non audiatur creditor exigens debitum, vt diximus tract. de excom. disp. 8. dif. 3.

Secūdò, est difficultas de excōmunicatione debitoris. Circa quā, quamuis non desint Canonistæ, qui existiment debitorē excōmunicatum excusari à restitutione, quandiu est in excommunicatione, quia id sit communicare cum alio, nempe cum creditore,

quod videtur debitori, vtpotè excommunicato prohibitū: Theologi tamen, & communiter Canonistæ docent, nō excusari, & meritò, quia ex vna parte non prohibetur cōmunicare cū creditore cōmunicatione restitutionis, quia est creditori vtilis, & ei debita, ac proinde omissio illius est ei dānosa, prohibitio autē cōmunicationis excōmunicati cū alijs cessat ob similem vtilitatē, & ex altera parte eam debet aliàs efficere. Quod adeo credimus verum, vt oppositum careat probabilitate, quia nulli sufficienti fundamēto innititur, & à recentioribus constanter reprobatur. Quando autem possit omitti restitutio ob præscriptionem, constat ex dictis disp. 2. de iustit. & iure.

DISPVTAT. X. DE RESTITVtione ratione damni spiritualis.

POSTQVAM Egim⁹ de restitutiōe in genere; incipimus iam agere de restitutione in particulari. Et primò de restitutione ratione damni spiritualis. Secūdò, de restitutione damni in bonis corporis. Tertiò, de restitutione ratione damni in fama, & in honore. Quartò, de restitutiōe damni in bonis fortunæ, seu diuitiarum.

Dif. I. Vtrùm qui aliquem priuauit bono naturali spirituali, teneatur ad aliquam restitutionē?

CONVENIVNT DD. eū, qui aliquē priuauit bono aliquo naturali spirituali, v. g. vsu rationis, aut memoria, siue id fecerit veneno, siue aliter, teneri in quantū possit, illū reducere ad pristinū statum; imò & restituere quodcūque aliud damnum tēporale, quod in bonis fortunæ inde illi proueniat, vt patet.

Est tamen difficultas, an præcisè pro damno ipso naturali spirituali illato, teneatur ad restitutionem pecuniæ, vel æquiualētis arbitrio boni viri.

Gabr. in 4. dist. 15. q. 17. art. 1. Sot. lib. 4. q. 6. art. 3. & plures alij partem affirmatiuam tuentur; quia quodcumque dānū contra iustitiam reparandum est inquantum fieri possit, ergo quando aliter non potest debet reparari pecunia, vel æquiualente.

Vazques

Vazquez verò cap. 8. dubio 1. Lessius cap. 8. dub. 1. Becan. q. 62. q. 4. & Bonacina disput. 2. quæst. 1. partem negatiuam tradunt, & meritò, quia huiusmodi damnum non potest pecunia, nec alio æquiualente reparari, nec ei aliqualiter satisfieri, ergo nõ est obligatio ad aliquam restitutionem pecuniæ, nec æquiualentis pro eo. Antecedens probatur, quia huiusmodi damnũ non est pretio stimabile (quia sua natura est supra omne pretiũ) sicut nec priuatio vitæ, nec vulnus, ergo non potest pecunia, nec alio pecuniæ æquiualente reparari, nec minimæ parti illius damni satisfieri.

Diffic. II. Vtrùm qui induxit aliquem ad peccandum, teneatur ad restitutionem damni spiritualis illius?

SVPPONIMVS Primò, in quo DD. cõuenire vidẽtur, prodãno ipso spirituali illato ei, qui inductus est ad peccandũ, quãuis vi, aut fraude fuerit inductus, non esse ex obligatione iustitiæ adhibendã satisfactionẽ aliquã media pecunia, nec alio pecuniæ æquiualente, quia tale dãnũ est sua natura sic irrestituibile, multo magis, quã dãnum corporale mortis. Est tamen difficultas, an sit obligatio ex iustitia restituendi illum in statum pristinum in quantum fieri posſit, conando, vt à peccato resipiscat.

Supponimus secundò, in quo DD. conueniunt, eum qui alterum, vi aut fraude in peccatum iniecit, teneri liberare illum ab ea vi, aut fraude: Et ex iustitia teneri ad auferendam vim, quia contra iustitiam infertur. Et addimus etiam teneri ex iustitia ad auferendam fraudem, seu deceptionem, in quo contra Vazquez, & Turrianum conueniunt communiter Doctores, quamuis peccatum ad quòd media deceptione iniecit non sit contra iustitiam, vt quando inducit ad peccatum contra fidem, quia etiam tũnc decipit contra iustitiam; quia quilibet habet ius iustitiæ, vt non decipiatur deceptioñe, qua moueatur in propriũ damnum, quãuis tantum spirituale; & ideò qui deceptione iniecit aliquẽ in peccatum hæresis, non tantum peccat contra fidem, sed etiam cõtra iustitiam in sic inductum.

His suppositis, difficultas est, an sit obligatio ex iustitia restituendi eum, qui inductus peccauit, in pristinum statum, co-

iuxta ea, quæ diximus tractat. de Charit. disput. 6. diffic. 4. non est obligatio aliqua curandi, quod resipiscat, seu iustificetur, nisi in articulo, vel periculo mortis, vt etiam est in eo, qui non induxit illum, & tunc ex sola charitate erga Deum ad id obligatur, ne peccator ille in inimicitia Dei in æternum discedat.

Difficult. III. Vtrùm retrahens aliquem ab statu Religioso, teneatur ad aliquam restitutionem?

CIRCA Hanc difficultatem dicendum existimamus. Primò, eum qui sine vi, & fraude retraxit aliquem à proposito Religionis, ne ingrediatur, aut iam ingressum nouitium extraxit, ad nullam restitutionem teneri, in quo cōtra Paludanum, Maiorem, Adrianum, & Antoninum conueniunt Vazquez cap. 8. dub. 2. Lessius lib. 2. cap. 8 dub. 3. Turrianus disput. 15. dub. 2. Rebell. Petr. Nauar. & plures alij, quos refert, & sequitur Bonacina disput. 2. quia non tenetur ad aliquam restitutionem ipsi retracto, aut extracto, quia ei in eo nulla facta est iniustitia, vt patet, nec tenetur ipsi Religioni, quia nec ipsi facta est aliqua iniustitia, quia nec ingressus in Religionem, nec perseuerantia in ea debetur ex iustitia Religioni, quamuis retractus, aut extractus emiserit votum ingrediendi, & perseuerandi, quod est verum, etiam si retraxerit, aut extraxerit malo animo; quia quod ratione sui non est contra iustitiam, non efficitur esse cōtra illam ex eo, quod fiat malo animo.

Et idem existimamus de eo qui absque vi, & fraude extraxit iam professum (sub quo etiam comprehendimus eum, qui in nostra Societate post biennium tria vota emisit) quod scilicet ad nullam restitutionem teneatur, vt contra Vazquez, Turrianum, & Layman aduertunt Sotus, Salon, Petrus Nauar. Lessius, & Bonacina, quia non tenetur ad aliquam restitutionem ipsi professo extracto, quia ei nulla facta est iniustitia, nec tenetur ipsi Religioni, sicut nec ipse extractus tenetur, quia nec tenetur ad restitutionē valoris spei commodi temporalis, quod ex operis, & industria extracti sperabatur; quia extractus ad nihil eorum tenetur ex iustitia,

stit..., nec ad restitutionem personæ extractæ, quia Religio nõ habet ius iustitiæ in ipsa, nec ad ipsam, quia Religiosus non est mancipium, nec quasi mancipium Religionis, sed filius, vel quasi filius.

Secundò existimamus eum, qui vi, aut fraude retraxit aliquẽ ab ingressu Religionis, aut iam ingressum nouitium extraxit, teneri ad auferendam vim, & fraudem, in quo Doctores conueniũt, & ad id teneri ex iustitia, iuxta ea, quæ diximus difficult. præcedenti, & multò melius ad id teneri ex iustitia, qui vi, & fraude extraxit professum; quia in vtroque casu professi videlicet, & non professi fit iniustitia retracto, aut extracto, & Religioni; quia tam persona retracta, aut extracta, quàm Religio habet ius iustitiæ, persona ne violentetur, nec decipiatur in proprium damnum, & Religio ne ea persona violentetur, nec decipiatur in damnum ipsius Religionis: satisfaciet autem ipsi personæ retractæ, aut extractæ auferendo vim, & fraudem; Religioni verò non satisfaciet sufficienter eas auferendo, quia etiam tenetur ad restituendum illi tantum, quanti valet spes boni temporalis retracti, aut extracti, quod Religio sperabat ex hæreditate, aut ex donatione, aut ex industria illius non suppleta per industriam alterius, si aliquid sperabat, quia etiam in eo damnificata fuit iniustè Religio, & si nequeat satisfacere Religioni, nisi ei famulando, ad id tenetur, si commode posit, & ipsius statum non dedeceat; imò etiam non satisfaciet sufficienter, nisi etiam quantum commodè posit, procuret reductionem retracti, vel extracti, quia Religioni intulit iniuriam, auocando illum à Religone; si tamen non reducat, non tenetur ipse ingredi, vt contra Syluest. Molinam, & alios aduertunt Vazquez, Turrianus, Layman. & Bonacina; quia id exigere est maximè durum ob rigorem, & perpetuitatem status Religiosi, tenetur tamen quantum commodè posit alium æquè idoneum inducere, vt contra Sotum, & Lesium aduertum Paludan. Layman. & Bonacina, quia ex vna parte non aliter satisfit iniustitiæ illatæ ipsi Religioni, & ex altera parte id exigere non est durum.

DISPV-

DISPVTAT. XI. DE RESTITVtione ratione damni corporalis.

QVIA Nec ex homicidio, nec ex alio corporis damno oritur obligatio restitutionis, nisi adsit iniustitia; ideô prius examinabimus, quod homicidium,& quod aliud corporis damnum fiat iniustè,aut aliter illicitè, & postea de restitutione ratione illius;homicidiũ autem, si latè sumatur nihil aliud est quam hominis occisio,siue iusta,siue iniusta;strictè verò est hominis iniusta occisio.

Diffic. I. Vtrùm licitum sit se ipsum occidere propria authoritate?

CONVENIVNT Doctores, semper esse illicitum, quemlibet adhuc Principem propria authoritate directè,aut immediatè se ipsum occidere,quia se ipsum innocentem non potest licitè,vt patet,quia id est manifestè contra fortitudinem, nec se ipsum nocentem,quamuis sit Princeps, cum non sit sui iudex,sicut nec sibi superior.

Nonnullæ autem sanctæ virgines, quæ in nouo Testamento se directè interfecerunt,vt Appolonia se in rogum inijciendo, & Pelagia,& Sophronia se ipsas in flumen præcipitando, ne stuprũ per vim paterentur excusantur, vel quia id fecerunt inspiratione Dei, qui ad id potest potestatem conferre, vel quod verius est, quia id fecerunt bona fide,seu ignorantia inuincibili absque scrupulo aliquo existimantes se in eo obsequium maximum præstare Deo. Sanson etiam,& Eleazarus,qui in veteri Testamento se ipsos occiderunt,vel excusantur,quia inspiratione Dei id fecerunt, vel quod verius est id licitè fecerunt absque excusatione aliqua; quia non se occiderunt directè,sed indirectè, volentes videlicet, occisionem non propriam, sed aliorum, & non immediatè, sed mediatè iustissima causa existente,exponendo se,videlicet manifesto periculo mortis prouenturæ ab altero, Sanson videlicet à ruina domus,& Eleazarus ab interfectione elephantis.

Addidim⁹ primò, *propria authoritate*, se directè, aut immediatè occidere esse illicitū, quia certum est id esse licitū, si fiat authoritate Dei, qui est dominus vitæ, & mortis; & etiam existimamus eum, qui ob aliquod delictum dignus est morte, posse se ipsi offerre iudici, vt ab eo publica authoritate occidatur: imò contra nonnullos credimus, vt optimè Lessius cap. 9. dub. 6. & Becanus q. 11. Reum ad mortem iustè damnatum, posse se ipsum directè, & immediatè occidere authoritate iudicis ipsi Reo committētis executionem mortis, quamuis crudelis, quia id nulli virtuti opponitur; imò ad id tenetur, quando modo executionis, & alijs circunstantijs perspectis, executio, quia ab ipso facienda non censeatur crudelis, qualis non censetur executio media sumptione veneni: non tamē tenebitur, quando prædictis perspectis crudelis censeatur.

Addidimus secundò, *directè, aut immediatè*, quia indirectè, & mediatè nempe efficiendo, vel omittēdo aliquid, ex quo mors est euentura; quamuis certò absque directa voluntate se occidendi, potest quis licite propria authoritate morti quamuis certo euenturæ se exponere causa rationabili ad id existente (quod non est in rigore se occidere) quia id nec fortitudini, nec alij virtuti opponitur.

Ex dictis inprimis deducitur licitum esse nonnulla efficere, quamuis inde sit mors euentura, quia primo licitum est, aliquem ex altissimo loco desilire, quamuis mors sit certissimè euentura, vt horrendum incendium effugiat, quia tunc non se interficit directè, quia id non vult expressè, sed tantum fugere illud incēdium, nec se interficit immediatè, sed mediatè, quia interficitur à terra, vel ab aqua in quam incidit, vel ab aere per quem desilijt, sed tantum se exponit manifesto periculo mortis certo euenturæ, iusta causa ad id existente, nempe vt effugiat crudelissimam mortem.

Secundò, licitum est milites, qui vident se in potestatem hostiū venturos, se in mare inijcere, vt hostium crudelitatem effugiant, & etiam secundum non paucos Doctores licitum est eos communi consensu ignem inijcere in puluerem tormentarium, quamuis certo sciant se statim dissipandos, quia tunc non se directè interficiunt, quia id non volunt expressè, nec se interficiunt immediatè, seu à se ipsis, sed mediatè, quia immediatè interficiuntur, vel ab vndis, vel ab impetu ignis.

Tertiò,

Tertiò, licitum est in bello iusto turrim, & menia hostiũ suffodere quamuis oppressio ipsorum sit certò euentura, quando id est vtile bono communi exercitus iusti, quia tunc nec directè, nec immediatè se interficiunt, sed tantum ob iustam causam exponũtur morti certo euenturæ.

Quartò, licitum est seruire peste infectis, quamuis certum sit, seruientem ob id moriturum, quia tunc nec directè, nec immediatè se interficit, sed tantum exponitur periculo, iusta causa ad id existente.

Quintò, ob rationem repetitam, licitum est aliquem se obijcere telo ad conseruandam vitam Principis, aut alterius, & in naufragio tabulam ab ipso occupatam concedere alteri, etiam si cõcedens sit certo ab vndis deprimendus.

Sed quamuis illicitum sit aliquem se ipsum propria authoritate occidere directè, aut immediatè, adhuc vt ad gloriam transeat, & vt effugiat peccatum quod timet. Licitum tamen est immediatè, quamuis non directè propriam vitam aliquãtulum abbreuiare afflictionibus adhuc positiuis, vt flagellis, vt corpus in seruitutem redigat, vel vt puniat sua peccata, vel ob aliud opus virtutis, quia leuis abbreuiatio vitæ non intenta, ob opus virtutis facta videtur rationi conformis.

Deinde ex dictis deducitur, licitum esse nonnulla omittere, quamuis ex eorum omissione mors sit euentura; quia primo licitum est non assumere tabulam in naufragio, vt alter assumat, & saluetur; quia tunc ex iusta causa omittit conseruare vitam. Secũdò etiam est licitum abstinentijs aliàs honestis aliquantum abbreuiare vitam, quia id omittitur ex rationabili causa.

Tertiò, licitum est omittere redemptionem propriæ vitæ, si immenso pretio redimenda est: & etiam omittere exquisitissimos cibos, & exquisitissima medicamenta, quamuis sine illis non sit vita conseruanda, & omittere transitum ad locum in quo aer est salubrior extra quem vita citò abbreuiabitur, si transitus est difficilis, quia vita non est ex obligatione conseruanda cum magno incommodo, quantum est quodcumque ex tribus dictis.

Quartò, licitum est non occidere inuasorem, quamuis sit necessarium ad defensionem propriæ vitæ, si prudenter credat se mori in statu gratiæ, quia tunc ex causa iusta omittitur defensio propriæ vitæ, ne scilicet proximus occidatur, præsertim in malo statu. Quintò, licitũ est Reo nõ fugere ex carcere, quamuis sciat

se

se morte plectendum; & etiam condemnatum, vt fame pereat, posse licitè à cibo clam oblato abstinere, quia tunc ex rationabili causa omittuntur fuga, & manducatio.

Obseruandum est vt aduertunt Vazquez 12. disput. 102. & Turrianus disp. 25. dub. 2. se ipsum directè, aut immediatè occidere propria authoritate esse peccatum mortale, vt patet: & esse peccatum temeritatis contra virtutem fortitudinis, & non esse peccatum odij contra propriam charitatem quando quis non se occidit ex odio sui; nec esse peccatum iniustitiæ contra iustitiam legalem, quando quis non se occidit ex expresso contemptu boni communis; nec esse peccatum iniustitiæ contra iustitiam commutatiuam respectu Reipublicæ, quia Respublica non habet ius iustitiæ commutatiuæ in vitam, imò nec in bona ciuis; nec esse peccatum iniustitiæ contra iustitiam commutatiuam respectu Dei; quia inter Deum, & hominem nequit esse iustitia commutatiua propriè, & strictè, ac proinde neque iniustitia commutatiua propriè & strictè, quia Deus nihil vtilitatis amittit, nec ipsi strictè damnum infertur ex eo, quod quis se occidat.

Difficult. II. Vtrùm aliquando sit licitum se mutilare, seu membrum sibi abscindere?

SVPPONIMVS, Nulli licitum esse extra casum necessitatis propria authoritate membrum sibi amputare ea proportione, qua nulli licitum est propria authoritate se ipsum occidere: est autem peccatum mortale ex suo obiecto; & ex eo tantum est contra fortitudinem, sicut se ipsum propria authoritate occidere.

Hoc supposito, conueniunt DD. licitum esse se ipsum mutilare, quando naturaliter, & quasi ab intrinseco est necessarium ad salutem corporis, vt quando cancer membrum infecit, aut quando vipera, aut aspis momordit, & non adest aliud remedium, quia membra sunt naturaliter ob bonum totius, ergo quando aliquod est toti corpori naturaliter perniciosum amputandum est, quod ipsa ratio dictat.

Est tamen difficultas, primò, an in casu dictæ necessitatis, homo non solum possit, sed etiam teneatur membri mutilationem pati, saltem ab altero exequendam.

Bañez

Bañez, & Salon. q. 65. art. 1. Saa verbo, *vita*, & Turrianus disput. 30. dub. 1. docent, non teneri, quia id videtur medium extraordinarium.

Sotus verò lib. 5. quæst. 2. art. 1. Lessius cap. 9. dub. 14. Becanus q. 65. q. 1. & Bonacina disput. 2. q. vltim. punct. 6. docent, teneri, quando dolores non sunt futuri ingentes, & meritò, quia tunc abscissio membri non est medium extraordinarium, & quãdo dolores non sunt futuri ingentes, non est admodum difficilè, & durum.

Addidimus, quando dolores non sunt futuri ingentes, quia si futuri sunt tales, non tenetur, vt aduertunt prædicti; quia tunc quamuis medium sit ordinarium, est tamen admodum difficilè, & durũ; & ob id non poterit à superiore ad id obligari, quãuis egẽs amputatione sit Religiosus. Nihilominus etiam tunc ad id tenebitur, quando persona sit bono cõmuni valdè necessaria; quia bonum commune præferendum est excusationi magni doloris.

Secundò, est difficultas, an sit licitum se ipsum mutilare, ne occidatur à Tyranno, alioquin minante mortem.

Tolet. lib. 5. c. 6. Petr. Nauar. lib. 2. c. 3. n. 98. Layman. lib. 3. p. 3. c. 1. Less. Becan. & Bonacin. vbi supr. docent, id esse licitum, quia pars naturaliter est propter totum, ergo licitũ est ipsi homini custodi, seu gubernatori membrorum, & totius, membrũ abscindere ob conseruationem totius.

Sot. verò lib. 5. q. 2. Bañez q. 65. ar. 1. Turrian. & Salon. vbi supra docent, id nõ esse licitum; & meritò, quia tunc homo ille cooperatur, vel potius operatur peccatum, quod Tyrannus intendit ex eo nempe abscissionem membri.

Sed quãuis tũc sit illicitũ sibi mẽbrũ abscindere, est tamẽ licitũ, quãdo id est quasi per se necessariũ ad conseruationem vitæ, vt quãdo quis est manu alligatus, & accedit ignis eũ cõbusturus, vel hostis illũ interfecturus; tũc enim licitũ est sibi manũ abscindere, ne ipse cõburatur, vel interficiatur, vt aduertunt DD. vtriusq; dictæ sententiæ, quia ex vna parte tunc, id est, quasi per se necessariũ ad conseruationem totius, & ex altera ille membrum sibi abscindendo non cooperatur peccato alterius; quia hostis ille non intendit abscissionem manus illius; imò etiam credimus illum tunc teneri ad abscissionem membri, si dolores non sunt futuri ingẽtes, sicut diximus, quando abscissio membri est naturaliter necessaria, vt in morbo ob eandem omnino rationem.

Ter-

Tertiò, est difficultas, an sit licitum abscindere sibi membrum, ob salutem animæ, ad vitandum videlicet periculũ peccati, v. g. se castrare ad vitandum periculum fornicationis.

Circa quam conueniunt DD. id non esse licitum, quod tradunt Basil. lib. 5. de Virginit. Chrysostom. hom. 63. in Matth. & Augustin. lib. 6. cõtra Iulianum, & habetur Can. 22. Apostolorũ, & Can. 1. Concilij Nysseni. Et ratione cõstat, quia abscissio mẽbri non est necessaria ad salutem animæ, ad vitandum videlicet, peccatum, quia quilibet, quamuis illi nullum deficiat membrum, est liber ad vitandum quodlibet peccatum etiam carnis.

Vnde si bona fide, aut inspiratione Dei non fuerunt excusati reprehendi potuerunt Origenes, quod sibi virilia amputauerit, vt melius Deo seruiret. Et quidã Marcus Anachoreta, qui ex humilitate ne cogeretur sacris initiari sibi pollicem abscidit. Imò, & Adolescens ille, quem Hieronymus in vita Paulæ refert particulam linguæ sibi abscidisse, & eam expuisse in faciem fœminæ ipsum sollicitantis ad libidinem. Etiam si Bonacina hoc vltimum approbet, quando alia via non possit quis à sollicitante defendi; immerito tamen id approbat ob rationem prædictam.

Quartò, est difficultas, an sit licitum se ipsum castrare, vel id permittere, vt suo dulciori cantu sit sic vtilis Ecclesiæ.

Salon 2. 2. q. 65. art. 1. controuersia 2. id probabiliter affirmat. Layman. verò lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 1. & Bonacina tract. de censuris, disput. 7. quæst. 2. puncto 2. num. 34. id negant, & meritò, quia ea castratio non est necessaria, sed tantum vtilis ad Officia diuina, quod est causa leuis ad rem adeò difficilem, & naturæ contrariam.

Diffic. III. Vtrùm licitum sit publica authoritate occidere malefactores?

SVPPONIMVS, Contra Manicheos licitum esse occidere viuentia irrationalia, v. g. animalia, & plãtas, vt constat ex Scripra Genes. 1. & 9. Luc. 22. & 1. ad Corinth. 10. Et ratione cõstat, quia homo naturaliter non minus habet dominium in viuentia irrationalia, quàm in alias res inanimatas, ergo non minus potest ea in suos vsus conuertere, quam alias res inanimatas.

Hoc ergo supposito, conueniunt DD. licitum esse publica autho-

authoritate occidere malefactores, quod ad Roman. 13. significatur, dum de Principe, seu potestate publica dicitur: *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in irā illi qui male agit.* Et ratione constat, quia ad publicam authoritatē pertinet bono communi prospicere, bonum autem commune aliquando exigit, quod malefactores occidantur, vt homines à grauissimis criminibus retrahantur, ergo aliquando est licitum publica authoritate malefactores occidere, quod non solum est licitum ob iniustum homicidium, & ob aliqua grauissima crimina, in quo DD. conueniunt, sed etiam ob grauissimum furtum, vt cōtra Scotum in 4. dist. 15. q. 3. docent, reliqui DD. quia grauissima furta etiam nocent grauissime bono communi.

Prædicta autem doctrina, non est contra verba illa quinti præcepti Decalogi Exod. 20. *non occides*, quia his verbis tantum prohibetur occisio aliàs iniusta, siue priuata, siue publica authoritate, facta.

Ex dictis constat, licitum esse bannitos, seu proscriptos per iustam sententiam, occidi à priuato homine, quia id efficit publica authoritate iudicis, qui illos proscripsit. Imò & proscriptos per facultatem concessam à Principe, quam concedere potest, quando crimen est euidens, vt aduertunt Turrianus disp. 26. dub. 2. & Bonacin. disput. 2. q. vlt puncto 2. Possunt autem à quolibet laico occidi adhuc ab altero proscripto, dum existunt intra territorium proscribentis.

Addimus primò, *à laico*, quia a Clerico in sacris, quamuis possint occidi absque iniustitia, non tamē absque peccato sacrilegij, contra Religionem, quia intuitu sui status sacri prohibitus est sententiam mortis exequi. In cap. sententiam Clerici, vel Monachi; nullibi tamen est prohibitus, si potestatē temporalem habeat iudices in causa sanguinis constituere, nec eis præcipere, quod iustam sententiam exequantur, etiam in casu particulari.

Addimus secundò, *dum existunt intra territorium proscribētis*, quia dum existunt extra, à nullo possunt occidi absque licentia saltem rationabiliter præsumpta illius, qui in eo territorio potestatem habet, vt contra Graphis, & contra alios Iurisperitos aduertunt Toletus lib. 5. cap. 6. Layman. lib. 3. tractat. 3. part. 3. cap. 2. Bonacin. & communiter Theologi, quia iudex nequit extra suum territorium sententiam proferre, nec eam exequi, nec per se, nec per alterum. Vnde qui proscriptum occidit in alieno terri-

territorio absque licentia habentis potestatem in eo infert iniustitiam, non solùm habenti in eo potestatem, sed etiam ipsi proscripto; ac si nō fuisset proscriptus; quia proscriptio nullam habet vim in eo alieno territorio.

Filius tamē non poterit occidere patrē proscriptū, nec è cōtra vt cōtra Bartolū, & Gomez aduertit Bonacina, quia id erit contra pietatem, quod verum existimamus, nisi pater, aut filius proscriptus sit nimis nociuius Reipublicæ, & ei nocumento nequeat aliter obuiari.

Difficult. IIII. Vtrùm licitum sit patri filiam adulteram, & marito adulterum suæ vxoris occidere?

IVLIVS Clarus lib. 5. Sentēt. §. homicidium, à num. 48. & alij Recētiores docent primò, licitum esse patri filiam in adulterio flagranti deprehensam, & ipsum adulterum occidere, seruatis tamen conditionibus in l. 20. & sequentibus, ff. ad legem Iuliam de adulterijs, quarum prima est, quod filia sit in potestate patris. Secunda, quod eodem impetu occidat filiam, & adulterum, si possit. Tertia, quod eos occidat in domo ipsius patris, vel generi. Secundò, docent, licitum esse marito occidere adulterum deprehēsum in flagranti adulterio cum vxore, si adulter sit persona vilis, non vxorem ipsam. Ratio prædictæ doctrinæ est, quia ex vna parte Principes possunt eam facultatem concedere, cum adulterium sit dignum pœna mortis; & ex altera parte ea facultas de facto conceditur patri in l. 20. & 22. & 23. ff. de adulterijs, & marito in l. *Grauis, C. de adulterijs*, & in l. duodecim tabularum, *mechum in adulterio deprehensum necato*, ergo pater, & maritus id possunt licitè exequi.

Couar. verò in epitom. part. 2. cap. 7. §. 7. Sotus lib. 5. quæst. 1. ar. 3. Sancius lib. 7. de Matrimon. disput. 16. Lessius lib. 2. ca. 9. dub. 9. Bonacina disput. 2. q. vltim. sect. 1. punct. 2. & communiter DD. docent, & meritò id nō esse licitum patri, nec marito, quod significatur in can. inter hæc, 33. q. 2. & significat Augustin. lib. 2. de adulter. coniugat. cap. 15. Et ratione constat, quia id est, contra misericordiam spiritualem; quia animæ eorum, qui sic occiduntur sunt in manifesto periculo damnationis æternę, & absq; neces-

necessitate in eo periculo occiduntur, quia possunt capi, & per sententiam puniri, quod aliter contingit in proscriptis, quia hi si non occidantur, non punientur, quia capi non possunt, & maximè expedit, quod puniantur; & quia quamuis occidantur non sunt expositi tanto periculo damnationis, quia non occiduntur in flagrãti peccato.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, dictam facultatem posse à Principe concedi, & ab inferioribus exequi absque iniustitia contra dictos adulteros ob aduersariorum rationem, non tamen posse absque peccato cõtra misericordiam ob rationem à nobis adductam. Poterunt tamen pater, & maritus absque omni peccato id exequi post sententiam latam, quando ipsis à iudice cõmittitur; quia qui tũc occiduntur non sunt in eo periculo.

Diffic. V. Vtrùm personæ priuatæ sit licitum occidere Tyrannum?

TYRANNVS Absolutè dicitur, qui absq; titulo occupat, vel inuadit Principatum.

Castro lib. de hæresibus, verbo, *Tyrannus*, docet, nulli priuatę personæ licitum esse occidere Tyrannum, quia nullus apparet titulus in persona priuata ad id.

Caiet. verò q. 64. ar. 3. Sot. lib. 4. q. 1. art. 3. Lessius lib. 2. c. 9. dub. 4. Becan. circa q. 64. q. 4. & Bonac. disp. 2. q. vlt. sect. 1. puncto 3. docent, licitum esse priuatæ personæ occidere Tyrannum, & meritò; quia ille est inuasor grauiter iniustus singulorum, quia iniustè efficitur Princeps, seu superior singulorũ, ergo à quolibet potest iure defensionis occidi, & non solum à quolibet illius Principatus, sed etiam à quolibet alio, dum non constet eum Principatum, cuius ille efficitur, vel intenditur effici Princeps nolle quod occidatur.

Verus tamen Princeps, qui tyrannice gubernat, quærendo potius commoda propria, quam publica, non potest à priuata persona occidi, vt aduertunt Less. Becan. & Bonacin. quia est verus superior, quamuis prauus, nihilominus quando intolerabilis fit, deponendus est à Republica, vel ab alio habente authoritatem. Sed an posit à sibi subdito interfici ob defensionem sui, vel suorum bonorum postea dicemus.

Difficult. VI. Vtrùm licitum sit priuatæ personæ occidere iniustum inuasorem in defensionem propriæ vitæ?

AVGVSTIN. De Ancona tractat. de potestat. Ecclesiæ, q. 53. artic. 3. & Gerson tractat. de Eucharist. docet, id non esse licitum, quod significare videtur Chrstus Matth. 26. dum reprehendit Petrum, quod exemerit gladium ad defensionem ipsius Christi. Et Paulus ad Roman. 12. illis verbis: *Non vos defendentes charissimi.* Et ratione probatur, quia id est, proximum in æternam damnationem præcipitare, quod potius est vitandum, quam mors propria corporalis.

Sanct. Thom. verò quæst. 64. art. 7. Couarrub. in Clementin. *Si furiosus*, p. 3. §. vnico, num. 6. Les. ca. 9. dub. 8. Bonacina puncto 8. & communiter Doctores docent, id esse licitum, si fiat cum moderamine inculpatę tutellæ, seu defensionis. Id est, quãdo occidere inuasorem sit necessarium ad propriam defensionem faciendam, adhuc absque contractione grauis damni, vt ignominiæ grauis, quæ aliquando cõtrahitur, fugiẽdo. Et meritò; quia quilibet habet ius à natura cõcessum defendendi suam vitam, repellendo vim iniustam, ergo si ad eam defensionem absque contractione notabilis ignominiæ sit necessarium occidere inuasorem iniustum, id erit licitum inuaso; quia vt supponimus vtitur iure suo, & cum moderamine inculpatæ tutellæ; quia tunc vt supponimus ad propriam defensionem absque contractione notabilis ignominiæ est necessarium occidere inuasorem. Tunc autem inuasus dicitur occidere inuasorem, non solum authoritate publica; quia leges Principum ad id conferunt facultatem, sed etiam authoritate priuata, quia id efficit iure proprio, seu priuato à natura concesso; quod sufficeret ad id, quamuis nulla lex Principũ ad id concederet facultatem.

Prædicta autem doctrina est vera, quamuis inuasus dederit inuasori occasionem medio adulterio, aut contumelia, aut furto, quia quamuis occasionem dederit non amisit ius ad sui defensionem.

Dictum ius defensionis propriæ inuasi contra inuadentem, exten-

extendunt Lesſius, Azor, Saa, & Bonacina ad quoſcumque contra quoſcumque; ita vt id etiam ſit licitum Clerico, quamuis celebranti adhuc contra Epiſcopum, & Monacho contra Abbatem, filio contra parentem, mancipio contra dominum, & vaſſallo contra Principem: Et id Azor, Saa, & Filliucius exiſtimant verum, quamuis ex occiſione inuaſoris, ſequatur magnum damnum Reipublicæ, quia vitatio damni communis non ſit neceſſariò præferenda vitationi damni particularis, quando damnum commune occaſionatur ex malitia ipſius inuaſoris.

Et prædictum ius etiam extendunt ad quemcumque contra amentem, & contra ebrium, & contra dormientem, & etiam contra iniuſtè pugnantem bona fide. Et etiam illud ſuo modo extendunt ad beſtias, vt dominus animalis inuaſi occidentis animal inuadens alterius; non teneatur ad reſtitutionem animalis occiſi.

Ad id autem, quod inuaſus licitè occidat inuaſorem ſufficit, quod prudenter timeat inuadi, vt occidatur, & occidendum eſſe ab inuaſore, ſi eum non occidat.

Addimus, quod quamuis pro defenſione vitæ poſsit inuaſus licitè occidere inuaſorem, quando aliter non poteſt defendi abſque grauiſsimo damno proprio, non tamen tenetur, niſi raro, ad illum occidendum; imò regulariter eſt melius permittere ſe occidi ab illo, quam eum occidere, quia, id eſt, conformius miſericordiæ ſpirituali, ne inuaſor in æternum damnetur.

Addimus, *Regulariter*, quia aliquando tenetur ad illum occidendum. Primò, quando ex morte ipſius inuaſi magnum eueniet damnum Reipublicæ, aut ſuæ familiæ, vxori, videlicet, & filijs, quia ad id vitandum maximè tenetur. Secundò, quando inuaſus prudẽter timet, quod ſi permittat ſe occidi damnabitur, quia tunc ad illum occidendum tenetur ex lege charitatis erga Deũ, ne in æternum decedat in inimicitia Dei.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus, quod quamuis occidere inuaſorem, ſit illum in æternam damnationem præcipitare; negamus tamen inuaſum teneri eam potius vitare, quam propriam mortem corporalem, quia inuaſor ſe in eam miſeriam ſponte conijcit.

Petrus autem, Matth. 26. reprehenditur à Chriſto, quia amputauit auriculam ſerui Principis Sacerdotum, non ad defen-

sionem; quia id erat ad defensionem inutile, sed ad vindictam. Et Paulus ad Roman. 12. non tam dissuadet defensionem, quàm vindictam, quia verbum Græcum cui correspondet verbum defendere, significat vlcisci.

Diffic. VII. Vtrùm licitum sit præuenire eum, qui paratus est iniustè inuadere?

CONVENIVNT Doctores, non esse licitum præuenire, seu occidere eum, qui nondum inuasit, nec insidiatur vitæ, seu non parat ad id, quia tunc nondum infert vim adhuc inchoatiue: esse tamen licitum præuenire, seu occidere eum, qui irruit ad occidendum: imò & cum qui parat ad id, quando id prudenter creditur, quia iam inchoatiue infert vim, & moraliter censetur inuadere, ac proinde licitum est eum præuenire, seu occidere quando non est alia via euadendi; & quamuis sit alia, si sit admodum dura ipsi inuaso qualis est se intra domum perpetuò cõcludere, aut patriam deserere. Vnde vt non pauci DD. aduertunt fœmina, quæ videt sub ceruicali mariti gladium credens prudenter maritum velle eam interficere, potest eum præuenire, si aliter non possit mortem propriam vitare.

Et nõ solũ est licitũ præuenire, seu occidere eũ, qui parat vt per se ipsũ occidat, sed etiam eũ qui parat, vt per alterũ, vt per sicarium occidat, quia moraliter idem est conari ad id per se, aut per alterũ. Imò vt Bañez q. 64. art. 7. & alij contra non paucos aduertunt, etiam esse licitum occidere eum, qui per iudicem parat mortem iniustam media accusatione, aut testimonio falso, quãuis alieno, quod nobis non displicet, quando nõ potest alia via mors illa iniusta vitari, quia etiam qui sic parat infert vim per alterum, nempè per iudicem.

Quod autem sit licitum acceptare duellum: imò & ad illud prouocare, quando prudẽter iudicatur necessarium ad defensionem propriæ vitæ, imò & grauis honoris, & etiam diuitiarum in magna quantitate, diximus in tractatu de Charitat. disp. 9. diff. 27.

Diffic.

Diffic. VIII. Vtrùm licitum sit occidere innocentem, quando necessarium est ad defensionem propriæ vitæ?

CONVENIVNT Cōmuniter DD. non esse licitum per se, & directè occidere innocentem, quia nullus habet dominiū in vita alterius, ac proinde nullus potest eā tollere, nisi ob necessariā defensionē, vel Respublica in punitionem. Vnde non est licitum innocentes obsides occidere, quamuis qui eos miserunt nō stent promissis: nec innocentes existentes in castris iustè obsidentium, vt obsessi se dent obsidentibus, quia in vtroque casu id esset directè, & per se occidere innocentes.

Addidimus, *Per se, & directè*, quia per accidens, & indirectè licitū est aliquādo innocētē occidere, vt quando in cōflictu actuali belli sunt in aliqua arcē mixti nocētes, & innocētes, & ad victoriā necessariū est arcē illā quati: & etiā quādo in naui aliqua Turcarum sunt Christiani remiges, & ad victoriā est necessariū nauim illā quati, in quo DD. communiter cōueniunt, quia tunc milites, suo iure vtentes occidunt per accidens, & indirectè innocentes.

Et etiā vt contra Vazq. & Petr. Nau. aduertunt Caiet. q. 67. artic. 2. Less. dub. 9. Bonac. disp. 2. q. vlt. Sot. 1. pūct. 7. Becan. Layman. & alij quando iniustè inuadens se protegit innocente aliquo eum interponendo, potest inuasus petendo inuasorem, etiā occidere per accidens innocentem interpositū, etiā infantē si baptizatus sit, & etiam quando inuasus fugiens inuasorem per angustā viam inuenit innocentem, vel dormientem, vel claudū, vel infantem baptizatum, potest eum cōculcare, etiamsi occidatur, vt inuasus liberetur ab inuasore; quia tunc vtens iure suæ defensionis per accidens, & indirectè illum occidit. Indirectè quidem, quia id non intendit, sed liberari, & id non elegit, sed fugere, per accidens autem, quia mixtin cū conculcatione reliquæ viæ conculcat innocentem.

Addidimus in tertiò casu, *Si baptizatus sit*: & in quartò casu, *Baptizatū*, quia in neutro casu potest infās occidi, si nō sit baptizatus, quia inuasus ex misericordia spirituali, tenetur pati mortē, ne immo cēs, qui ab ipso occidēdus est ante baptismū dānetur, nisi quādo ipse inua-

sionem; quia id erat ad defensionem inutile, sed ad vindictam. Et Paulus ad Roman. 12. non tam dissuadet defensionem, quàm vindictam, quia verbum Græcum cui correspondet verbum defendere, significat vlcisci.

Diffic. VII. Vtrùm licitum sit præuenire eum, qui paratus est iniustè inuadere?

CONVENIVNT Doctores, non esse licitum præuenire, seu occidere eum, qui nondum inuasit, nec insidiatur vitæ, seu non parat ad id, quia tunc nondum infert vim adhuc inchoatiue: esse tamen licitum præuenire, seu occidere eum, qui irruit ad occidendum: imò & eum qui parat ad id, quando id prudenter creditur, quia iam inchoatiue infert vim, & moraliter censetur inuadere, ac proinde licitum est eum præuenire, seu occidere quando non est alia via euadendi; & quamuis sit alia, si sit admodum dura ipsi inuaso qualis est se intra domum perpetuò cõcludere, aut patriam deserere. Vnde vt non pauci DD. aduertunt fœmina, quæ videt sub ceruicali mariti gladium credens prudenter maritum velle eam interficere, potest eum præuenire, si aliter non possit mortem propriam vitare.

Et nõ solũ est licitũ præuenire, seu occidere eũ, qui parat vt per se ipsũ occidat, sed etiam eũ qui parat, vt per alterũ, vt per sicarium occidat, quia moraliter idem est conari ad id per se, aut per alterũ. Imò vt Bañez q. 64. art. 7. & alij contra non paucos aduertunt, etiam esse licitum occidere eum, qui per iudicem parat mortem iniustam media accusatione, aut testimonio falso, quãuis alieno, quod nobis non displicet, quando nõ potest alia via mors illa iniusta vitari, quia etiam qui sic parat infert vim per alterum, nempè per iudicem.

Quod autem sit licitum acceptare duellum: imò & ad illud prouocare, quando prudẽter iudicatur necessarium ad defensionem propriæ vitæ, imò & grauis honoris, & etiam diuitiarum in magna quantitate, diximus in tractatu de Charitat. disp. 9. diff. 27.

Diffic.

Diffic. VIII. Vtrùm licitum sit occidere innocentem, quando necessarium est ad defensionem propriæ vitæ?

CONVENIVNT Cōmuniter DD. non esse licitum per se, & directè occidere innocentem, quia nullus habet dominiū in vita alterius, ac proinde nullus potest eā tollere, nisi ob necessariā defensionē, vel Respublica in punitionem. Vnde non est licitum innocentes obsides occidere, quamuis qui eos misserunt nō stent promissis: nec innocentes existentes in castris iustè obsidentium, vt obsessi se dent obsidentibus, quia in vtroque casu id esset directè, & per se occidere innocentes.

Addidimus, *Per se, & directè*, quia per accidens, & indirectè licitū est aliquādo innocētē occidere, vt quando in cōflictu actuali belli sunt in aliqua arcē mixti nocētes, & innocētes, & ad victoriā necessariū est arcē illā quati: & etiā quādo in naui aliquā Turcarum sunt Christiani remiges, & ad victoriā est necessariū nauim illā quati, in quo DD. communiter cōueniunt, quia tunc milites, suo iure vtentes occidunt per accidens, & indirectè innocentes.

Et etiā vt contra Vazq. & Petr. Nau. aduertunt Caiet. q. 67. artic. 2. Less. dub. 9. Bonac. disp. 2. q. vlt. Sot. 1. pūct. 7. Becan. Layman. & alij quando iniustè inuadens se protegit innocente aliquo eum interponendo, potest inuasus petendo inuasorem, etiā occidere per accidens innocentem interpositū, etiā infantē si baptizatus sit, & etiam quando inuasus fugiens inuasorem per angustā viam inuenit innocentem, vel dormientem, vel claudū, vel infantem baptizatum, potest eum cōculcare, etiāmsi occidatur, vt inuasus liberetur ab inuasore; quia tunc vtens iure suæ defensionis per accidens, & indirectè illum occidit. Indirectè quidem, quia id non intendit, sed liberari, & id non elegit, sed fugere, per accidens autem, quia mixtin cū conculcatione reliquæ viæ conculcat innocentem.

Addidim⁹ in tertiò casu, *Si baptizat⁹ sit*: & in quartò casu, *Baptizatū*, quia in neutro casu potest infās occidi, si nō sit baptizat⁹, quia inuas⁹ ex misericordia spirituali, tenetur pati mortē, ne innocēs, qui ab ipso occidēd⁹ est ante baptismū dānetur, nisi quādo ip-

inuasus prudenter timet se ob angustiam temporis damnandum si occidatur, quia tunc non tenetur ex misericordia erga illum. Id autem quod in vtroque casu dicimus de infante non baptizato, credimus verum de infante, de quo prudentissimè speratur, quod si viuat baptizabitur, quod non potest sic credi de infante infidelium inter eos commorante.

Difficul. X. Vtrùm prægnanti sit licitum medicinam sumere quando adest periculum aborsus?

CIRCA Hanc difficultatem primò existimamus, non esse licitum prægnanti sumere medicinam directè procurando aborsum prolis, quamuis nondum animatæ quamuis credatur, quod proles allatura sit mortem matri. Ita Vazquez de restitution. cap. 3. §. 2. dub. 6. Lessius cap. 9. dub. 10. Turrian. disp. 36. & Bonacin. disp. 2. q. vltim. sect. 5. punct. 7. contra nonnullos oppositum probabiliter affirmantes, quando proles nondum est animata, & in primis, quod non sit licitum quando proles est animata anima rationali, patet, quia id est, directè occidere innocentem, quod est intrinsicè malum. Deinde, quod non sit licitum directè procurare aborsum prolis nōdum animatæ anima rationali, patet, quia est contra naturam generationis, non minus imò magis, quam directè procurare effusionem seminis.

Secundò, existimamus vbi solum agitur de vita corporali licitum esse sumere medicinam causatiuam sanitatis, ex intentione sanitatis, quamuis adsit periculum aborsus prolis, quamuis animatæ anima rationali. Et in primis, quod sit licitum quando proles nondum est sic animata, nec id prudenter dubitatur, docent Turria. Less. Bonacin. vbi sup. & cōmuniter DD. Et ratione probatur, quia id non est contra naturam, sicut nec sumere medicinā sanatiuam, quamuis adsit periculum, imò & certitudo futuræ effusionis seminis. Deinde, quod id sit licitum etiam quādo proles est animata anima rationali, docent Cordu. q. 38. dub. 2. Lopez cap. 63. Layman. & Bonacin. quia tunc ex vna parte prægnans vtitur iure suo conseruandi vitam suam, & ex altera per accidens tantum,

tantum, & indirectè occiditur proles, sicut est licitum prægnanti fugere inuadente fera, quamuis ex fuga adsit magnum periculum aborsus prolis animatę.

Addidimus, *ubi solum agitur de vita corporali*, quia quando prægnans probabilissime credit, quod ipsa saluabitur, quamuis tunc moriatur: & quādo ipsa mortua proles iam animata edetur viua, & baptizabitur (quod rarissime eueniet, & rarissime poterit probabiliter iudicari) tunc pręgnans non poterit vti remedio, ex quo sequutura sit mors proli animatæ anima rationali, quia saluatio animæ ipsius prolis, quia ab ipsa prægnante quasi occiditur, præferenda est vitæ corporali ipsius prægnantis, quamuis hoc nonnulli probabiliter negent.

Quo autem tempore á die conceptionis, proles animetur anima rationali, non conueniunt DD. Lessius, & Bonacin. verius existimant masculum animari aliquando die trigesimo, à die cōceptionis, aliquando die 35. aliquando die 40. & aliquando die 45. fœminam verò aliquando die 35. aliquando die 40. aliquādo die 45. & aliquandò die 50.

Procurantes autem aborsum prolis animatæ anima rationali, & cooperantes ad illum ope, aut consilio, aut aliter quando re ipsa sequitur aborsus absque ignorantia futuritionis aborsus, seu præuidentes prudenter illum sequuturum, incurrunt excommunicationem Ordinario reseruatā, vt constat ex Bulla Sixti V. quæ incipit, *Effrenatam*, & ex Bulla Gregorio XIII. quę incipit, *Sedes Apostolica pia mater*, quæ suauificat Bullam Sixti V. & quamuis probabile sit prægnantes ipsas aborsum procurantes eā excommunicationem non incurrere, probabilius est eam incurrere.

Sumentes verò medicinam ad sterilitatem, vel ad impediendam formationem prolis, quamuis peccent contra naturam generationis etiam si id efficiant ad vitandum periculum mortis, non tamen incurrunt eam excommunicationem; quia id non est procurare, nec cooperari ad abortum.

Diffic. XI. Vtrùm licitum sit occidere iniustum inuasorem, in defensionem proprij honoris, quando aliter defendi non potest?

CONVENIVNT DD. id esse licitum, quia honor est res grauissima, & magni momenti, ergo non dissonat rationi, quod in defensionem illius, inuasor iniustus occidatur, quando honor nequit aliter defendi.

Ex quo constat, licitum esse viro honorato inuaso occidere iniustum inuasorem, qui fustem, vel alapam nititur ei impingere, quo ei ignominiam inferet, & inuasus non potest aliter defendi, in quo Doctores communiter conueniunt, quia vtrouis modo grauis ignominia irrogatur. Addimus, in quo etiam Doctores communiter conueniunt, inuasum non teneri fugere, quamuis fugiendo, nec ipse percuteretur, nec inuasor occideretur, quando fuga est ipsi inuaso grauiter ignominiosa, qualis est viro honorato, nõ tamen religioso, imò nec clerico sæculari Ordinis sacri, imo & minorum Ordinum quãdo gaudet priuilegio fori; quamuis quoad clericum sæcularem res hæc dubia videatur Patri Vazq. de resti. c. 2. §. 1. dub. 9.

Est tamen difficultas, an cessante, vel finita percussione, vel fugiente qui alapa, vel fuste percusit, quando ignominiam intulit, licitum sit percuso repercutere illum, quando necessarium est ad tuendum, vel ad reparandum honorem, qui amittitur, vel non recuperabitur, si percussus non repercutiat.

Conueniunt DD. post iam moraliter transactã congressionem, vt quando inuasor iam fuit ad alia diuersus, vel quando iam alibi exiuit, non esse licitum, quamuis id sit necessarium, quia id iam non est honorem defendere, quia iam verè est adhuc moraliter in facto esse amissus; sed vindictam sumere, quod nequit authoritate priuata licite fieri, iuxta capit. significasti, 2. de homicidio.

Punctum ergo difficultatis est, an statim ac inuasor percusit sit licitum percusso eum repercutere, vel fugientem insequi, & repercutere.

Sot. lib. 5. q. 1. ar. 8. Vazq. vbi sup. Molin. disp. 17. Turria. disp. 27.

27. dub. 3. & alij docent, id nō esse licitum, quia iam post percussionem factam, quamuis statim non est honorem tueri, & defenre, sed vindictam sumere, quia iam honor est amissus, quia percussione iam facta fuit amissus.

Vict. verò relectione de iure Belli, numero 5. Nauarr. capit. 15. numer. 4. Rodriguez cap. 126. numer. 11. Mercado lib. 6. Summ. Lopez 1. part. capit. 62. Henriquez de irregularit. cap. 10. & Petrus Nauar. lib. 2. cap. 3. numer. 380. docent, id esse licitum percusso, quantum sit necessarium, vt percussus nō maneat ignominia affectus, quod etiam sentit Bonacin. de restit. disp. 2. q. vltim. sect. 1. punct. 10. & meritò, quia statim repercutere, vel insequi percussorem fugientem, & eum repercutere sit in actuali ipsa congressione antequam inuasor ad alia diuertatur, aut iam alibi quietus existat, quia adhuc saltem moraliter durat, & nondum est saltem moraliter finita, & honor nondum est saltem moraliter in facto esse amissus, sed tantum est amissio illius in fieri, & inchoatio amissionis, & repercussione amissio honoris non perficitur, quia ea repercussione impeditur, ne sit in facto esse, ergo, id est, licitum percusso. Patet consequentia, quia ea repercussio non tam habet vim vindictæ, quàm defendendi honorem impediendo ne amissio honoris maneat perfecta, & consummata, & in facto esse. Ex quo cōstat ad rationem aduersariorum, cauendum tamen est ne in dicta repercussione adsit periculum odij, vindictæ, & excessus.

Ex quo constat, primò, licitum esse læso occidere eum, qui contumelijs grauibus illum afficit, siue verbis, siue signis, quando nec verbis, nec alia ratione potest honor defendi, vt contra Azorium, & Lessium, & Fillincium, & contra alios aduertunt Antonius Gomez, Iulius Clarus, Lopez, Petrus Nauarra, Bonacin. vbi supra, & alij; quia aliter graui ignominia afficeretur. Quod iuxta prædicta verum est, non solum quando dicta ignominia imminet, sed etiam quando actu infertur: imò & postquam verba contumeliæ physicè prolata sunt, si statim moraliter occisio fiat in congressione ipsa, antequam inuasor ad alia diuertatur, aut iam alibi quietus existat, quia quandiu durat saltem moraliter congressio, etiam durat inuasio, & illatio ignominiæ nondum est moraliter in facto esse, sed tantum in fieri.

Secundò constat, licitum esse occidere eum, qui apud iudicē

Diffic. XI. Vtrùm licitum sit occidere iniustum inuasorem, in defensionem proprij honoris, quando aliter defendi non potest?

CONVENIVNT DD. id esse licitum, quia honor est res grauissima, & magni momenti, ergo non dissonat rationi, quod in defensionem illius, inuasor iniustus occidatur, quando honor nequit aliter defendi.

Ex quo constat, licitum esse viro honorato inuaso occidere iniustum inuasorem, qui fustem, vel alapam nititur ei impingere, quo ei ignominiam inferet, & inuasus non potest aliter defendi, in quo Doctores communiter conueniunt, quia vtrouis modo grauis ignominia irrogatur. Addimus, in quo etiam Doctores communiter conueniunt, inuasum non teneri fugere, quamuis fugiendo, nec ipse percuteretur, nec inuasor occideretur, quando fuga est ipsi inuaso grauiter ignominiosa, qualis est viro honorato, nõ tamen religioso, imò nec clerico sæculari Ordinis sacri, imo & minorum Ordinum quãdo gaudet priuilegio fori; quauis quoad clericum sæcularem res hæc dubia videatur Patri Vazq. de resti. c. 2. §. 1. dub. 9.

Est tamen difficultas, an cessante, vel finita percussione, vel fugiente qui alapa, vel fuste percusit, quando ignominiam intulit, licitum sit percuso repercutere illum, quando necessarium est ad tuendum, vel ad reparandum honorem, qui amittitur, vel non recuperabitur, si percussus non repercutiat.

Conueniunt DD. post iam moraliter transactã congressionem, vt quando inuasor iam fuit ad alia diuersus, vel quando iam alibi exiuit, non esse licitum, quamuis id sit necessarium, quia id iam non est honorem defendere, quia iam verè est adhuc moraliter in facto esse amissus; sed vindictam sumere, quod nequit authoritate priuata licite fieri, iuxta capit. significasti, 2. de homicidio.

Punctum ergo difficultatis est, an statim ac inuasor percusit sit licitum percusso eum repercutere, vel fugientem insequi, & repercutere.

Sot. lib. 5. q. 1. ar. 8. Vazq. vbi sup. Molin. disp. 17. Turria. disp. 27.

a 7. dub. 3. & alij docent, id nō esse licitum, quia iam post percussionem factam, quamuis statim non est honorem tueri, & defenre, sed vindictam sumere, quia iam honor est amissus, quia percussione iam facta fuit amissus.

Vict. verò relectione de iure Belli, numero 5. Nauarr. capit. 15. numer. 4. Rodriguez cap. 126. numer. 11. Mercado lib. 6. Summ. Lopez 1. part. capit. 62. Henriquez de irregularit. cap. 10. & Petrus Nauar. lib. 2. cap. 3. numer. 380. docent, id esse licitum percusso, quantum sit necessarium, vt percussus nō maneat ignominia affectus, quod etiam sentit Bonacin. de restit. disp. 2. q. vltim. sect. 1. punct. 10. & meritò, quia statim repercutere, vel insequi percussorem fugientem, & eum repercutere fit in actuali ipsa congressione antequam inuasor ad alia diuertatur, aut iam alibi quietus existat, quia adhuc saltem moraliter durat, & nondum est saltem moraliter finita, & honor nondum est saltem moraliter in facto esse amissus, sed tantum est amissio illius in fieri, & inchoatio amissionis, & repercussione amissio honoris non perficitur, quia ea repercussione impeditur, ne sit in facto esse, ergo, id est, licitum percusso. Patet consequentia, quia ea repercussio non tam habet vim vindictæ, quàm defendendi honorem impediendo ne amissio honoris maneat perfecta, & consummata, & in facto esse. Ex quo cōstat ad rationem aduersariorum, cauendum tamen est ne in dicta repercussione adsit periculum odij, vindictæ, & excessus.

Ex quo constat, primò, licitum esse læso occidere eum, qui contumelijs grauibus illum afficit, siue verbis, siue signis, quando nec verbis, nec alia ratione potest honor defendi, vt contra Azorium, & Lessium, & Filliucium, & contra alios aduertunt Antonius Gomez, Iulius Clarus, Lopez, Petrus Nauarra, Bonacin. vbi supra, & alij, quia aliter graui ignominia afficeretur. Quod iuxta prædicta verum est, non solum quando dicta ignominia imminet, sed etiam quando actu infertur: imò & postquam verba contumeliæ physicè prolata sunt, si statim moraliter occisio fiat in congressione ipsa, antequam inuasor ad alia diuertatur, aut iam alibi quietus existat, quia quandiu durat saltem moraliter congressio, etiam durat inuasio, & illatio ignominiæ nondum est moraliter in facto esse, sed tantum in fieri.

Secundò constat, licitum esse occidere eum, qui apud iudicē

falsa accusatione, aut falso testimonio, quamuis alieno nititur grauiter in honore lædere, & re vera lædet, nisi occidatur, in quo DD. ob rationem dictam communiter conueniunt. Imò ob eãdẽ licitum esse occidere eum, qui detractionibus nititur graue damnum inferre, & inferet, nisi occidatur, vt aduertunt Petrus Nauarra num. 375. & Bannez q. 64. artic. 7. dub. 4. qui addit id esse verum, quamuis defectus qui detractione publicatur, sit verus, si sit occultus; quia etiam tunc eum defectum pandendo fit grauis iniuria. In praxi tamen difficile est hoc modo defensionis licitè vti, vt aduertit Lessius dub. 12. n. 82.

Addimus, in quo DD. præsertim Recentiores communiter conueniunt, licitum esse cuiuis pro defensione suæ pudicitiæ inuasorem occidere, quando non potest fugiendo, vel vociferando, vel aliter defendi; quia eo intenditur grauissima iniuria irrogari. Potest tamen licitè persona, quæ intenditur violari, non occidere inuasorem, patiendo coacte violationem, quando non adest periculum consensus, vt aduertunt Molina, Bannez, & alij.

Difficul. XII. Vtrùm licitum sit occidere furem in defensionem propriarum facultatum?

CONVENIVNT DD. licitum esse laicis occidere inuasorẽ suarum facultatum magni momenti, si aliter non possunt saluari, vel recupererari, quia in eo fit domino earum iniuria magni momenti, quam licitum est repellere adhuc inuasorem occidendo, quando aliter non potest ei damno obuiari, quod est verum, siue inuadat per se ipsum, siue per alterum adhuc per iudicem media accusatione falsa, vel falso testimonio, vt contra Toletum libro 5. cap. 6. Syluest. & Saa aduertunt Lessius cap. 9. dub. 11. Bonacina puncto 10. & communiter DD. quia id laicis nullibi est prohibitum. Imo eis id esse licitum, significatur in cap. *olim*, 1. de restit. spoliatorum, & in cap. *dilecto*, 6. de sententia excommunication. in 6.

Addidimus primò in conclusione, *facultatum magni momenti*, quia quando sunt exigui valoris, vt quatuor aureorum, non est licitum occidere inuasorem, quia contra rationem est damnum nostrum exiguum præferre morti proximi, quamuis inuadentis.

Quando

Quando autem domino verteretur probo considerabili non resistere furi, vt regulariter vertitur quando domino, aut custodi fit vis ad furtum suarum facultatum, tunc licitum est domino, & custodi occidere furem, quamuis rei exiguæ, quia tunc non tam fiet occisio ob defensionem rei, quam honoris domini, aut custodis.

Addidimus secundò, quando aliter non possunt saluari, vel recuperari, quia si aliter posśint facilè absque magnis molestijs, vel alijs magnis incommodis, non potest inuasor occidi licitè, quia exiguum incommodum, aut damnum non est sufficiens causa ad occisionem inuasoris. Quando verò est dubium, an posśint saluari, vel recuperari, si non occidatur inuasor, licitè potest occidi, quia non tenemur exponi periculo amittendi res magni momenti pro saluanda vita inuasoris iniusti.

Obseruandum est, non solum esse licitum occidere furem rei magni momenti, quando eam nititur furari, & etiam quando actu furatur, & etiã quando re accepta fugit, quia etiam tunc censentur durare inuasio, seu aggresśio, sed vt aduertũt Vazquez de restitutione, cap. 5. §. 1. dub. 8. Lesśius dub. 11. Bonacina, & alij, etiam esse licitum eum occidere iam quietè habentem rem illam in domo sua, si dominum rei ingredientem ad eam recuperandam impediat, si dominus nequeat iuridice rem suam recuperare, vel si posśit non tamen absque magnis expensis, vel molestijs, quia fur etiam dum habet quiete rem in domo sua, est actu inuasor rei, & eam habendo infert actu iniustitiam. Secus est, quã do iam res illa non habetur à fure; quia tunc non potest dominus vi considerabili satisfactionem à fure sumere in alia re, quia iam fur non satisfaciens, etiam si actu peccet non satisfaciendo, non est inuasor, sed fuit; ille enim qui non satisfacit dum rem non retinet, non dicitur inuasor, seu aggressor, sed omittens satisfactionẽ.

Diffic. XIII. Vtrùm licitum sit occidere inuasorẽ alterius, sicut inuasorem proprium?

CONVENIVNT Communiter DD. quod in eis casibus in quibus posśumus occidere inuasorem in defensionem nostræ vitæ, aut nostri honoris, aut diuitiarum nostrarum, etiam possumus occidere inuasorem vitæ, aut honoris, aut diuitiarum proximi,

ximi, ita Iulius Clarus §. homicidium, verſ. Præterea, Leſsius du bio 13. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 3. & Bonacin. quæſt. vltim. ſection. 1. punct. 11. quia licitum eſt cooperari operi defenſionis licitæ, ſuſcipiendo partem innocẽtis. Dicitur autem in propoſito, innocens qui iniuſtè inuaditur, etiam ſi ipſe incæperit inuadere, ſi iam deſtitit ab inuadendo.

Excipimus tamen, vt inuaſor proximi nequeat licitè à nobis occidi, aut quando inuaſor eſt nobis maximè coniunctus, vt parens, imò & frater, aut quando occiſio inuaſoris eſt, maximè nociua bono publico, aut quando ipſe innocens non vult ab altero defendi, quia ſi nollit non eſt licitum, niſi ei in quem redundat iniuria, quia eo ipſo, quod innocens non vult defendi, cedit iuri ſuæ defenſionis, quod licitè poteſt efficere, quamuis non ſit dominus ſuæ vitæ, quia ei cedere non eſt dominium ſuæ vitæ inuaſori tribuere. Addidimus: *Niſi ei in quem redundat iniuria*, quia huic licitum eſt defendere inuaſum, quamuis nollentem defendi; quia etiam ille iniuriatur. Vnde pater poteſt pudicitiam, & honorem ſuæ filiæ defendere, & maritus ſuæ vxoris, quamuis vxor, & filia nollint defendi, quia harum iniuria in eos redundat.

Addimus, quod quamuis in dictis caſibus in quibus poſſumus occidere inuaſorem noſtrum, etiam poſsimus occidere inuaſorẽ proximi, non tamen tenemur, quamuis ſit inuaſor vitę illiũs, quia non tenemur medio adeo horrendo, niſi quando proximus inuaſus, eſt occidendus, & eſt nobis maximè coniunctus, vt eſt parẽs, aut alius aſcendens, vel deſcendens, vel frater, vel eſt perſona cuius occiſio maximè noceat bono communi. Tenemur tamen proximum inuaſum defendere quando poſſumus, non inferendo inuaſori tantum damnum quantum ipſe intendit inferre inuaſo: & quãdo poſſumus abſque notabili damno noſtro, vel alieno, & abſque periculo illius, quia cum eo non tenemur.

Tenemur autem eo damno, vel periculo non imminente, ex charitate, vel potius ex miſericordia, & non ex iuſtitia, ſi non tenemur ex officio, ac proinde quamuis non defendamus inuaſum, non tenemur ad reſtitutionem damni illati inuaſo ab inuaſore, quia obligatio reſtitutionis tantum oritur ex violatione iuſtitiæ. Coniuncti autem ſanguine tenentur inuaſum coniunctum defendere, non ſolum ex miſericordia ſicut tenentur cæteri, ſed etiam ex pietate. Qui verò tenentur ex officio inuaſum defendere, vt Princeps, & Iudex, & milites, & curatores, & tutores, tenentur

etiam

etiam ex iustitia, alij quoad bona fortunæ, alij etiam quoad vitã prodiuersitate officij, ac proinde ad restitutionem damni restitui bilis illati ex defectu defensionis debitæ. Famuli verò ad alia ob sequia conducti, non eo ipso tenentur ex iustitia ad defensionem herorum, nec vassalli ad defensionem sui Principis, nec subditi ad defensionem sui superioris. Isti tamen tres prædicti tenentur ex obseruantia, saltem ad defensionem personarum, & honoris eorum. Eos autem qui ad defensionem vitæ alterius tenentur ex iustitia, & occiditur ex defectu defensionis debitæ eorum, nõ incurrere irregularitatem, diximus tract. de irregul. disp. 2. diff. 9.

Diffic. XIV. Vtrùm pro vita, vel membro iniustè ablatis, vel pro cicatrice, sit aliquid restituendum?

PROCEDIT Difficultas, quando nulla est excusatio ob quam occisio, vel mutilatio, vel illatio cicatricis, desinat esse peccatum contra iustitiam, de quo egimus disp. 5. à dif. 1.

Hoc ergo supposito, Scotus in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. Maior q. 19. Gabriel. q. 15. art. 2. & Adrianus q. vltima de restitution. docent, homicidam qui pœna tallionis punitur ad nullam restitutionem, teneri ob vitæ ablationem, si tamen illa pœna non puniatur teneri, vel vitam suam in bello iusto exponere, vel in bonis spiritualibus, vt in missis pro occiso ad arbitrium viri prudentis satisfacere. Eum verò qui non occidit, sed vulnerauit, ait Gabriel. teneri pro vulnere satisfacere ad arbitrium viri prudentis.

Prædictis Doctoribus quodammodo consentiunt, Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. Syluester restitutio. 3. quæst. 2. Armi. restitutio, n. 21. Caietan. in Summa, verbo, restitutio, capit. 2. & Mercado in Summa, dum docent, pro damno vitæ, aut membri, aut cicatricis faciendam esse restitutionem in pecunia, vel in æquiualente ad ar bitrium viri prudentis, quia pro damno iniustè illato facienda est satisfactio & restitutio quantum fieri possit, ergo pro iactura vitæ, aut membri, aut cicatricis quamuis non sit facienda in totum, quia nequit in totum fieri, faciẽda est quoad aliquid ad arbitrium viri prudentis. Et confirmatur, quia quis tenetur vitam animalis irratio-

irrationalis ablatam restituere domino, ergo multo melius vitam hominis, quæ pretiosior est, non in totum; quia fieri non potest, ergo in partem ad arbitrium viri prudentis, & idem est suo modo faciendum pro iactura membri, vel cicatricis.

Nau. verò cap. 15. num. 22. Vazquez de restit. cap. 2. §. 3. dubio 6. Couar. 2. variar. cap. 10. Petr. Nauar. libr. 4. cap. 10. nu. 8. & Bonacin. sectio. 2. punct. 1. docent, & meritò pro iactura vitę, aut membri, aut cicatricis nihil esse ex obligatione restituendum, quod satis significatur in l. vltim. ff. de ijs qui effuderunt. Et ratione constat, quia nihil est, quod pro iactura corporis humani sit ex obligatione restituendum, quia in primis pro iactura corporis humani nullum pretium pecuniarum est ex obligatione restituendũ, quia eo nequit aliqualiter, seu minimo dictę iacturæ satisfieri, pro damno autem aliquo non est ex obligatione restituendum, id quo nullo modo potest ei damno satisfieri, quod autem nullo pretio pecuniario possit aliqualiter, seu alicui parti iacturæ corporis satisfieri, patet, quia corpus humanum sua natura est supra omne pretium pecuniarum, & nullam talem recipit æstimationem, quia totum pretium pecuniarum non æquiualet minimo damno corporis, ergo nullo pretio pecuniario potest aliqualiter minimę parti iacturæ corporis satisfieri.

Deinde pro iactura corporis humani nullum spirituale, v. g. oratio, & sacrificium Missæ est ex obligatione restituendum, quia nullum potest esse pretium illius, quia quodcumque spirituale est sua natura supra omne corporale, & diuersissimi generis, ergo nequeunt commensurari in ratione dati, & accepti, ergo nullum spirituale potest esse debitum, seu ex obligatione restituendum pro iactura corporis, ergo pro iactura vitæ nihil nec pecuniarum, nec spirituale, est ex obligatione restituendum, nec pro iactura membri, nec cicatricis hominis adhuc mancipij, quia corpus etiã mancipij est supra omne pretium pecuniarum, & corpus hominis adhuc liberi est infra spirituale. Verum est pro iactura corporis mancipij faciendam esse domino aliquam restitutionem, nõ præcisè pro iactura ipsa ob rationem adductam, sed pro damno operarum mancipij in quas dominus habet dominium.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, pro iactura corporis humani nullam posse fieri satisfactionem, quia non pretio pecuniario, quia hoc non sufficit ad aliquam satisfactionem, nec re spirituali, quia hæc vtpote omnino improportionata corpori,

ri, nequit esse debita pro iactura illius.

Et ad confirmationem respondemus, pro iactura animalis irrationalis esse domino aliquid restituendum, si non præcisè ob vitam, saltem ob damnum temporale eueniens domino ex iactura sui animalis, ob quod si alicui eueniat ob iacturam corporis humani etiam facienda est restitutio, vt iam dicimus.

Difficult. XV. Vtrùm damna sequuta ex iniusto homicidio, ex vulneratione, & cicatrice iniustè illatis sint restituenda?

CONVENIVNT DD. homicidam, & vulneratorem teneri restituere, non solum expẽsas in curatione morbi factas deductis expensis, quas alias percussus erat secum facturus, sed etiã damnum emergens, & lucrum cessans ratione homicidij, & vulneris, quia iniustè fuerunt causæ efficaces dicti damni, quod si moriantur antequam satisfaciant pro damnis illatis, hæredes illorũ tenentur ad satisfactionem ex bonis homicidæ, & vulneratoris, & non tenentur si hi non habeant, ac proinde patet non teneri pro læsione facta à filio non habẽte bona propria; tenẽtur autem ad restitutionem dictorum damnorum, si ea præuiderunt; saltem cõfusè preuidendo videlicet, quod aliqua alia damna præter occisionem, & vulnus sint illaturi, quod generaliter requiritur ad restitutionem cuiuscumque damni.

Est autem restituendum lucrum cessans, tantum, quantũ occisus, & vulneratus erant re ipsa, seu effectiue lucraturi, taxandum tamen à viro perito attentis contingentia lucri, si aliqua sit, & alijs circunstantijs, & extractis expensis faciendis ad illud acquirendum.

Est tamen difficultas, an etiam extrahenda sit laboris æstimatio, ita vt pro labore non sit aliquid restituendum.

Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. Couarrub. 2. variar. cap. 10. Vazquez cap. 2. § 3. dub. 2. Lessius cap. 9. dub. 19. Bonacin. disput. 2. q. vltim. sect. 2. punct. 10. & communiter DD. docent contra Maiorem in 4. distinct. 15. q. 19. non esse extrahendam laboris æstimationem,

irrationalis ablatam restituere domino, ergo multo melius vitam hominis, quæ pretiosior est, non in totum; quia fieri non potest, ergo in partem ad arbitrium viri prudentis, & idem est suo modo faciendum pro iactura membri, vel cicatricis.

Nau. verò cap. 15. num. 22. Vazquez de restit. cap. 2. §. 3. dubio 6. Couar. 2. variar. cap. 10. Petr. Nauar. libr. 4. cap. 10. nu. 8. & Bonacin. sectio. 2. punct. 1. docent, & meritò pro iactura vitę, aut membri, aut cicatricis nihil esse ex obligatione restituendum, quod satis significatur in l. vltim. ff. de ijs qui effuderunt. Et ratione constat, quia nihil est, quod pro iactura corporis humani sit ex obligatione restituendum, quia in primis pro iactura corporis humani nullum pretium pecuniarum est ex obligatione restituendũ, quia eo nequit aliqualiter, seu minimo dictę iacturæ satisfieri, pro damno autem aliquo non est ex obligatione restituendum, id quo nullo modo potest ei damno satisfieri, quod autem nullo pretio pecuniario possit aliqualiter, seu alicui parti iacturæ corporis satisfieri, patet, quia corpus humanum sua natura est supra omne pretium pecuniarum, & nullam talem recipit æstimationem, quia totum pretium pecuniarum non æquiualet minimo damno corporis, ergo nullo pretio pecuniario potest aliqualiter minimę parti iacturæ corporis satisfieri.

Deinde pro iactura corporis humani nullum spirituale, v. g. oratio, & sacrificium Missæ est ex obligatione restituendum, quia nullum potest esse pretium illius, quia quodcumque spirituale est sua natura supra omne corporale, & diuersissimi generis, ergo nequeunt commensurari in ratione dati, & accepti, ergo nullum spirituale potest esse debitum, seu ex obligatione restituendum pro iactura corporis, ergo pro iactura vitæ nihil nec pecuniarum, nec spirituale, est ex obligatione restituendum, nec pro iactura membri, nec cicatricis hominis adhuc mancipij, quia corpus etiã mancipij est supra omne pretium pecuniarum, & corpus hominis adhuc liberi est infra spirituale. Verum est pro iactura corporis mancipij faciendam esse domino aliquam restitutionem, nõ præcisè pro iactura ipsa ob rationem adductam, sed pro damno operarum mancipij in quas dominus habet dominium.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, pro iactura corporis humani nullam posse fieri satisfactionem, quia non pretio pecuniario, quia hoc non sufficit ad aliquam satisfactionem, nec re spirituali, quia hæc vtpote omnino improportionata corpori,

ri, nequit esse debita pro iactura illius.

Et ad confirmationem respondemus, pro iactura animalis irrationalis esse domino aliquid restituendum, si non præcisè ob vitam, saltem ob damnum temporale eueniens domino ex iactura sui animalis, ob quod si alicui eueniat ob iacturam corporis humani etiam facienda est restitutio, vt iam dicimus.

Difficult. XV. Vtrùm damna sequuta ex iniusto homicidio, ex vulneratione, & cicatrice iniustè illatis sint restituenda?

CONVENIVNT DD. homicidam, & vulneratorem teneri restituere, non solum expēsas in curatione morbi factas deductis expensis, quas alias percussus erat secum facturus, sed etiā damnum emergens, & lucrum cessans ratione homicidij, & vulneris, quia iniustè fuerunt causæ efficaces dicti damni, quod si moriantur antequam satisfaciant pro damnis illatis, hæredes illorū tenentur ad satisfactionem ex bonis homicidæ, & vulneratoris, & non tenentur si hi non habeant, ac proinde patet non teneri pro læsione facta à filio non habēte bona propria; tenētur autem ad restitutionem dictorum damnorum, si ea præuiderunt; saltem cōfusè prçuidendo videlicet, quod aliqua alia damna præter occisionem, & vulnus sint illaturi, quod generaliter requiritur ad restitutionem cuiuscumque damni.

Est autem restituendum lucrum cessans, tantum, quantū occisus, & vulneratus erant re ipsa, seu effectiue lucraturi, taxandum tamen à viro perito attentis contingentia lucri, si aliqua sit, & alijs circunstantijs, & extractis expensis faciendis ad illud acquirendum.

Est tamen difficultas, an etiam extrahenda sit laboris æstimatio, ita vt pro labore non sit aliquid restituendum.

Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. Couarrub. 2. variar. cap. 10. Vazquez cap. 2. § 3. dub. 2. Lessius cap. 9. dub. 19. Bonacin. disput. 2. q. vltim. sect. 2. punct. 10. & communiter DD. docent contra Maiorem in 4. distinct. 15. q. 19. non esse extrahendam laboris æstimationem,

tionem, sed etiam restituendam. Et meritò, quia occisus, & vulneratus iniustè patiuntur damnum cessationis totius lucri acquirendi ex eo labore, quia iniustè impeditur ne laboret, ergo totum illud damnum est ei restituendum, sicut etiam qui expressè impeditur iniustè ne laboret, restituẽdum est ei totum pretium laboris. Quod Lessius, Bonacina, & alij id temperant, vt id tantum sit verum quando occisus, & vulneratus eius essent ingenij, quod nihil dedissent pro redẽptione laboris, quia si eius essent ingenij, quod aliquid dedissent ad excusandum laborem, id est, à lucro extrahẽdum, & non restituendum, quod non caret probabilitate.

Secundò, est difficultas, quod tempus vitæ futuræ post tempus occisionis, quod sciri non potest, attribuendum sit occiso, si non occideretur, vt eo attento cum alijs circunstantijs taxetur lucrum restituendum ab homicida.

Angelus verbo, restitutio, 1. §. homicida, Anton. Gom. tom. 3. cap. 3. & Couar. vbi supr. docent, occisio supra ætatem quam habet quando occiditur, attribuendum esse tempus futuræ vitæ vsque ad ætatem sexaginta annorum, iuxta dispositionem l. *computationi*, ff. ad leg. *Falcidiam*.

Sotus verò art. illo 3. Vazquez dub. 3. Turrian. disput. 18. dubio 2. Lessius dub. 20. Becanus q. 8. & Bonacina vbi supra, docent, computationem temporis quo occisus victurus erat post tẽpus occisionis, si non occideretur, faciendam esse arbitrio prudentis, attentis varijs circunstantijs, præsertim ætate in qua occisus fuit, & sanitate, viribus, & officio, occisi si officialis erat, & meritò, quia lex illa *computationi* tantum facta est pro alimẽtis ad vitam legatis, iure autem naturali facienda est modo dicto ad arbitrium viri prudentis.

Id verò quod Nauar. cap. 15. num. 24. docet, nempè damna re alia ratione occisionis iniustę hæredibus defuncti emergentia, seu inferenda ratione iniustæ occisionis defuncti, sufficienter cõpensari quinquaginta aureis, iuxta leg. 1. ff. de ijs qui deiecerũt, falsum est, vt aduertunt Turrianus, Lessius, & alij, quia ex vna parte lex illa non loquitur de damno illato, seu emergenti resarciendo, sed de pœna infligenda ob homicidium fortuitum: & ex altera iure naturali, totum quod emerserit est resarciendum.

Tertiò, est difficultas, an homicida iniustus teneatur ad expensas funeris occisi.

Conueniunt communiter Doctores contra Nauarrum cap. 15.

5. num. 26. non teneri, quia occisus non est passus damnum earum expẽsarum, nec eius hæredes, quia expensæ funeris, etiam erant faciendæ quando morte naturali erat moriturus, est tamen restituendus excessus expensarum si ob occisionem maiores fiãt, & etiam damnum emergens, & lucrum cessans, si aliquod contingat, ex eo quod ob occisionem citius fiant, quàm fierẽt si morte naturali obiret.

Quarto est difficultas, an inuasus qui se defendendo occidit inuasorem excedendo moderamen inculpatæ tutellæ, teneatur ad restitutionem integram omnium damnorum, tam personalis corporis si pro eo facienda est aliqua restitutio, quàm realiũ, damni videlicet emergentis, & lucri cessantis.

Antonius Gomez, Angelus, Sotus, & Bonac. vbi supra, docent, non teneri ad integram, sed ad minorem restitutionem ad arbitrium viri prudentis, tùm quia inuasor eo ipso quod inuadit, videtur aliqualiter amittere ius, seu ei cædere ad compensationem damni sibi inferendi, tùm etiam, quia æquitas naturalis videtur exigere vt inuasus, quamuis in sui defensionem notabiliter excedat, non obligetur ad integram compensationem damni à se illati inuasori.

Nauar. vero num. 27. Vazquez dub. 4. Turria. dub. 4. Lessius dub. 21. & Becanus q. 9. docent, teneri ad integram restitutionẽ damnorum, quia verè fuit causa efficax iniusta omnium damnorũ, vnde æquitas naturalis non exigit quod diminuatur restitutio, & absque sufficienti fundamento, dicitur quòd inuasor ex eo quod inuadat, aliqualiter cedat iuri quod habet vt sibi fiat compensatio damni sibi inferendi.

Difficul. XVI. Quibus facienda est restitutio damnorum post occisionem iniustam occisi?

CONVENIUNT DD. homicidam iniustum teneri ad restitutionem damnorum occiso illatorum, faciendam saltẽ hæredibus necessarijs occisi, quia saltem hi succedunt occiso in omnibus bonis, tam habitis ante occisionem, quàm postea habendis si viueret.

O Est

Est tamen difficultas. Primò, an teneatur homicida restituere parentibus, filijs, & vxori occisi beneficia, quæ illis erat præstiturus si viueret, quamuis nõ sint hæredes necessarij, vt contingit vxori respectu mariti, & è contra, & parenti respectu filij occisi habentis filios, & filijs illegetimis respectu patris.

Circa quã cõueniũt cõmuniter DD. verè teneri, vel quia parẽs, & filius cẽsentur vna persona, & etiã maritus, & vxor, ac proinde læsi censentur in bonis proprijs vtpotè euenturis ipsis quasi ab ipsis, quia euentura sunt ab eo qui est vna persona cũ ipsis, vel potius quia per vim iniustã, nẽpè per occisionẽ illius, à quo accepturi erant beneficiũ eo priuati sunt. Excipiunt Lessius, & alij, vt homicida non teneatur ad restitutionẽ eorũ beneficiorũ quãdo parens, & filij, & vxor occisi aliunde habent similia beneficia, quæ non haberent, si non cessarent beneficia, quæ conferebantur ab occiso, quia tunc non sunt damnificati occisione defuncti.

Secũdò, est difficultas, an homicida teneatur creditoribus occisi restituere, vel soluere debitum ipsis ab occiso.

Supponimus, quod quando occisus non erat soluturus creditoribus illis, vel ex defectu potentiæ, vel ex defectu voluntatis, vel aliter non teneatur homicida illis soluere, quia tunc re ipsa nullũ eis intulit damnum.

Hoc supposito, difficultas est, ân homicida teneatur, quando occisus soluturus erat creditoribus, si non occideretur.

Salon. Lessius, Becanus, & Bonacina existimant non teneri, quia occisio debitoris non sit sua natura, seu per se damnosa creditoribus, sed tantum occiso.

Molina verò disput. 83. Turrian. disputat. 28. dub. 3. & Layman. lib. 3. tractat. 3. part. 3. cap. 6. docent, teneri, quod nos existimamus verum, siue occisus esset creditoribus soluturus ex bonis, quæ ipse occisus habebat, siue ex illis quæ esset lucraturus, si viueret, quia per vim illatam occiso soluturo impediuntur à solutione recipienda à debitore, quia fuit occisus: ita tamen vt si solutio facienda erat ab occiso debitore ex bonis, quæ habebat, hæredes ipsius sint primo loco obligati ad solutionem, & si ex bonis quæ occisus lucraturus erat, homicida teneatur primo loco ad solutionem creditoribus faciendam, & si supersit aliquid ex lucro, quod futurum erat, sit restituendum hæredibus.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus eam ocisionem nõ esse iniustam, & per se damnosam creditoribus, quia occisio verè

&

& per se, & ratione sui fuit causa non soluendi creditoribus.

Tertiò, est difficultas, an quibuscunque alijs distinctis ab hæredibus necessarijs, & à parentibus, & filijs, & vxore non hæredibus necessarijs, nempè familiaribus, aut clientib⁹, aut amicis, aut pauperibus teneatur homicida iniustus ad restitutionem beneficiorum, quæ reciperent ab ipso, si non occideretur.

Lessius, & Bonacina vbi supra, & plures alij docent, non teneri, quia occisio benefactoribus non est illis iniusta, cum non sit per se damnosa, sed per accidens: excipiunt tamen vt teneatur fratri, & cuicunque alij hæredi non necessariò non existentibus necessarijs, quando occisus læditur in bonis habitis ante occisionem, vt in expensis factis in curatione, & in excessu facto in expẽsis funeris ratione occisionis, quia ad ea bona habent ius dum aliud nõn disponit occisus.

Vazquez verò cap. 2. §. 3. dub. 7. Petrus Nauarr. lib. 4. cap. 1. num. 67. Azor 3. part. lib. 5. cap. 3. q. 11. & Turrianus disput. 28. dub. 3. docent, teneri, & meritò, quia tunc occisus vi sibi iniustè illata, nempè occisione impeditur ne benefaciat eis quibus decreuerat bene facere, & eis erat benefacturus, in quo prædictis fit iniuria, quia quilibet habet ius vt non impediatur à consecutione beneficij, inferendo vim benefactori, vel benefacturo, vel eum dicipiendo, quo benefactor desistit inuoluntariè ab executione benefaciendi quod decreuerat, vel impeditur inuoluntariè, ne proponat, seu decernat benefacere, & ne exequatur suum decretum.

Ad rationem aduersariorum constat, eam occisionem esse iniustam, & per se damnosam eis quibus occisus benefacturus erat.

Est tamen contra non paucos aduertendum, vt optimè Turrianus dub. 3. num. 21. quòd si occisus erat lucraturus, v. g. quinquaginta, & ex eis erat gratis collaturus amicis, vel pauperibus viginti, homicida satisfaciat restituendo dictis amicis, vel pauperibus viginti, & hæredibus triginta, quia hæredibus tantum tenetur ratione lucri cessantis, & eis tantum cessauit lucrum triginta, quia ex quinquaginta acquirendis, erat alijs collaturus viginti. Ex bonis autem quæ occisus iam habebat, non sunt dictis amicis, vel pauperibus restituenda ea quæ erat illis adhuc ex eis bonis collaturus; quia hæres succedit in omnibus bonis, & iuribus, quæ occisus habebat, de quibus ante mortem non disposuit, sed sunt restituenda ab homicida ex suis bonis,

quia restituenda sunt ob damnum ab ipso illatum.

Difficultas XVII. Quando homicida liberetur ab obligatione restitutionis damnorum?

PRIMO Est difficultas, an liberetur, quando sufficienter punitur à iudice. Rosella verbo, *restitutio*, tertio, & alij recentiores, docent, tunc liberari, quia ea punitio videtur sufficiens satisfactio: quibus consentit Salon quæst. 62. art. 2. controuers. 4. & 10. quando homicida punitur ad instantiam partis læsæ, quia tunc ea pœna videtur pars læsa contenta.

Nauarr. verò capit. 15. num. 25. Vazquez cap. 2. §. 3. dub. 2. Lessius dub. 22. Bonacina disput. 2. quæst. vltima, sect. 2. puncto 1. & communiter DD. docent, non liberari quamuis sufficienter puniatur à iudice. Et meritò, quia ea punitio non est recompensatio damnorum, quia pars læsa eodem modo manet dãnificata, & læsa, ac si punitio non fieret. Quod etiam est verum, quamuis homicida puniatur ad instantiam partis; quia pars ex eo non remittit, quod sibi debetur in satisfactionem damni sibi illati, quia ea punitio tantum exigitur vt pœna ob culpam ipsius homicidij.

Obseruandum tamen est, quod quando homicida punitur priuatione bonorum, quæ à iudice applicantur parti læsæ accipienda sunt ab ipsa parte in satisfactionẽ damni sibi illati, vel totalem, si pro omni eo sufficiat, vel partialem, si non sufficiat pro omni, quia tunc absque dubio ea etiam est intentio interpretatiua iudicis, quamuis aliquando, iudices ea priuatione puniant homicidam, in fauorem partis, quamuis nullum agnoscant damnum reale fuisse ei illatum, vt potest aliquando non inferri.

Secundò, est difficultas, an homicida liberetur à restitutione damnorum tam personalis, si pro eo facienda est aliqua realis restitutio, quàm realium remissione eorum facta à percuso: non censetur autem facta quoad restitutionem, ex eo solum, quod percusus dicatur se remittere iniuriam, & occisionem; quia his verbis, & æquiualentibus tantũ, censetur remittere iniuriam, quoad affectum vindictæ, & rancorem; procedit autem diffi-

difficultas de restitutione damni occiso illati, & consequenter hæredibus illius, & non de damno illato quoad priuationem beneficiorum eis quibus erat benefacturus, quia hoc damnum certum est non posse remittere, quia sibi non fit.

Circa difficultatem ergo conueniunt communiter DD. contra nonnullos, quos tacitis nominibus refert Salon. q.62. art.2. controuers.9. homicidam liberari ab obligatione restitutionis dicti damni remissione ab occiso facta. Ita Molin. trac.3. disp.85. c.9. in fin. Turrian. disp.28. dub.4. Less. c.9. in fin. & Bonacina q. vlt. sect.2. punct.1. & meritò, quia hæredes non læduntur in bonis fortunæ ab homicida, nisi quatenus occisus, cuius sunt hæredes, læditur contra suã voluntatem: ergo si occisus liberè remittit læsionem, nullum in illis erit ius contra homicidam.

Nihilominus, quamuis plures huius sententiæ id absque vlla limitatione doceant. Nos id non credimus verum absolutè, sed tantum quoad id, quod occisus donatione, seu remissione inter viuos potest validè remittere, de quo tract. de contractu donationis.

Quando autem duo mutuo consensu pugnarũt absque inuasione alterius in alterum; quamuis alter ex eis alterum prouocauerit, seu inuitauerit, & alter inuitationem admiserit iniustè; quia absque sufficiente causa, tunc homicida alterius, quamuis fuerit iniustus, vt verè fuit, quia occisus non potuit iniustitiæ homicidij suæ personæ cedere; sicut nec coniugatus iniustitiæ adulterij contra seipsum, non tamen tenetur ad restitutionem illius, quod occisus potuit donatione, seu remissione inter viuos remittere, quia eo mutuo consensu in pugnam, vteruis censetur remisisse homicidæ quidquid potuit.

Difficul. XVIII. Vtrùm defloratio virginis addat specialem malitiam supra malitiam simplicis fornicationis?

CAIETAN. q. 154. art.6. existimat, deflorationem virginis supra malitiam simplicis fornicationis, addere malitiã iniustitiæ contra ipsam puellam defloratam, & contra parentes illius; quam-

quamuis ipsa, & parentes consentiant, quia nequeunt iuri suo cedere, sicut qui cognoscit vxorem alicuius consentientis, etiam peccat peccato iniustitiæ contra illum, quia nequit cedere iuri suo. Et addit fieri iniuriam parẽtibus, quamuis puella non sit sub custodia illorum; quia virginitas fœminæ sua natura exigit custodiam parentum.

Reliqui verò DD. communiter docent, quod quando virgo non est sub custodia parentum, nec aliorum, si ipsa consentiat se violari, seu deflorari, in ipsius defloratione præcisè nullum aliud committi peccatum, quam simplicis fornicationis; nec quando est sub custodia parentum ipsis consentientibus, quia si aliquod aliud peccatum maximè iniustitiæ; hoc autẽ non cõmittitur, quia tunc nulli fit iniustitia, quia non ipsi, quia ex vna parte ipsa consentit, & ex altera ipsa est domina sui corporis, & sigilli virginei in ordine ad actum copulæ, quamuis illicitæ (etiam si non sit domina suorum membrorum, sed tantum quasi custos) est autẽ domina sui sigilli in ordine ad actum copulæ, & quia actus copulæ in ea, seu defloratio non est ruptio alicuius membri, sed tantũ apertio partium cõtrictarum, & quia quamuis esset ruptio esset leuissima, & naturaliter ordinata ad generationem: nec fit iniustitia alijs, quia sub nullius custodia est, cui possit fieri iniustitia, vel quia si est sub aliquorum custodia, defloratio fit ipsis consentientibus.

Addimus contra non paucos, vt optimè Sotus in 4. distinct. 18. q. 2. art. 4. Vazquez c. 3. §. 1. dub. 1. Lessius cap. 10. dubio 1. Suarez tom. 4. disp. 22. section. 4. & Ægidius de Pœnitent. disp. 7. dubio 4. quod quamuis virgo sit sub custodia parentum, & ipsi dissentiant, si ipsa consentit nullum aliud peccatum in eius defloratione præcisè committitur; quàm simplicis fornicationis, sicut nec in accessu ad filiam iam defloratam consentientem existentẽ sub cura parentum ipsis dissentientibus; quia sola fœmina, siue virgo, siue violata habet dominium sui corporis, vt eo possit abuti absq; iniustitia in parentes, & nõ ipsi parentes, quamuis hi habeant ius in custodiam illius, ergo quamuis parentibus fiat iniustitia in raptu; quo filia ipsis dessentientibus extrahitur ab ipsorum domo, non tamen in accessu ad ipsam, quamuis ipsi dissentiant.

Addidimus, in defloratione virginis cõsentiẽtis, *præcisè*, nullũ aliud peccatum reperiri præter peccatũ simplicis fornicationis, quia

quia ex aliquibus circunstantijs poterunt esse plures malitiæ, nẽpè iniustitiæ contra parentes, si eis custodibus fiat aliqua violentia à viro deflorante, & etiam malitia impietatis, & iniustitiæ, si parentes infamẽtur, impietatis, vt prouenit à virgine, & iniustitiæ. vt prouenit à deflorante; & etiam contra misericordiam, si ex ea defloratione sequantur grauissimæ dissensiones.

Ad rationem ergo Caietan. respondemus, coniugẽ non posse cedere iuri quod habet erga alterum coniugem obligatum seruare fidem, quia non habet ius illud absolutè in sui fauorem, sed ordinatum in bonum prolis, quia mutua translatio dominij corporum coniugum fit in ordine ad prolis generationem, & ideò quamuis coniux cõsentiat in copulam cum alio, nequit ipsi, quãuis consentienti non fieri iniustitia in ordine ad prolem; nec posse aliquem cedere iuri suo, vt ipsi abscindatur membrum absque iniustitia contra seipsum, quia non sumus domini nostrorum mẽbrorum, sicut nec nostræ vitæ: fœminam verò, siue virginem, siue violatam, habere dominium sui corporis, & sigilli virginalis in ordine ad actum carnalem, & ideò posse cedere iuri suo, vt absque iniustitia contra ipsam possit cognosci, & deflorari.

In defloratione ergo virginis consentientis non reperitur stuprum propriè sumptum, quia stuprum sic sumptum præter malitiam simplicis fornicationis contra castitatem, etiam includit malitiam iniustitiæ contra fœminam carnaliter cognitã, ac proinde stuprum propriè sumptum tantum committitur violento accessu ad fœminam nõ solum ad virginem, sed etiam ad violatam, vt habetur leg. *inter liberas*, ff. de adulter. quia vtrique fit iniustitia, si inuita cognoscatur. Imò addimus, eum, qui virginem inuitã deflorat, non solum peccare peccato simplicis fornicationis, & peccato iniustitiæ simili ei, quæ irrogatur iam violatæ dissentienti, sed etiam alio peccato iniustitiæ distincto, quia ei violenter aperitur claustrum virginale ratione cuius erat habilior ad placendum marito in matrimonio, & hæc tertia malitia iniustitiæ est, quæ constituit stuprum proprijssimè sumptum, quia stuprum sic sumptum est violenta virginis defloratio. Differt autem à raptu, quia hic tantum dicit violentam extractionẽ fœminæ, siue virginis, siue violatæ à domo propria, vel parentis, siue postea sequatur copula, siue non.

Difficult. XIX. Ad quid teneatur, qui virginem deflorauit?

SVPPONIMVS Primò, eũ qui virginè cõsentiẽtẽ deflorauit, ad nihil ei teneri, nec parenti, quãuis dissentiẽti, quia tũc nullam illis intulit iniustitiam, vt diximus. Et idem maiori ratione dicendum est de eo, qui fœminam iam violatam cõsentientem cognouit, quamuis reputatam virginem.

Supponimus secundò, virgini violenter, aut aliter iniustè defloratæ nihil esse restituendũ præcisè pro defloratione ipsa, quia sua natura est omnino irreducibilis ad æqualitatem, sicut occisio, & percussio, quia totum pretium pecuniarium non æquiualet minimo damno deflorationis, & quodcumque spirituale, quamuis minimum est supra omne damnum deflorationis, nec ei esse aliquid restituendum pro damnis quoad nuptias sequutis, si deflorata remittit illa; quia quoad hæc damna potest iuri suo cedere.

Est ergo difficultas, ad quid teneatur, qui iniustè, id est, qui per vim, aut fraudem, aut metum iniustè incussum, virginem deflorauit nihil ipsa remittente.

Angelus verbo stuprum, & Angles in Floribus, quæst. de restitut. bonor. corpor. dub. 7. docent, eũ teneri defloratam in vxorem ducere, & ei integram dotem conferre, quod habetur in c. 1. de adulterijs, illis verbis: *Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotauit eam, & habebit vxorem.*

Reliqui DD. docent, eum tantum teneri, vel illam in vxorem ducere, vel dote sufficiente, vel addita supra patrimonium, si aliquid habeat, vel aliter, curare, quod æquè benè nubat; ac si deflorata non fuisset, si ad id sit necessaria dos, vel alia diligentia. Et merito, quia ea defloratione iniustè est damnificata in ordine ad nuptias, quia sic est facta minus habilis ad illas, ergo deflorator ex iustitia tenetur damnum illud reparare, supplendo defectum deflorationis, vel illam ducendo, vel illi matrimoniũ aliàs æquale procurando, quando vnum, aut alterum sit necessarium ad illius damni reparationem. Quod addimus, quia quando non est necessarium, vt quando deflorata aliàs fortè æquè bene nupsit, deflorator ad neutrum tenetur: imò nec ad aliud, nisi deflorata ob deflorationem patiatur damnum aliquod à marito; quia tunc siue id sci-

id sciuerit maritus ante matrimonium cum illa, siue post, tenetur deflorator ad aliquam restitutionem, aut satisfactionem ad arbitrium viri prudentis pro damno, quod tūc patitur à marito, si resarcibile sit, aut impedibile, quia huius, deflorator verè est causa. Quod est verum quamuis deflorator dote, aut alia diligentia adiuuerit ad matrimonium æquè bonum. Tenetur autem, qui virginem occultè deflorauit ad prædicta, quamuis deflorata manifestet deflorationem ei, cui nubit; quod quamuis possit, vt absque fraude procedat, non tamen tenetur, vt diximus tract. de matri, disp. 2. dif. 17.

Prædicta autem verba cap. 1. de adulterijs, tantum dirigūtur ad iudices, vt eam pœnam per sentētiam defloratori iniusto, imponant, non ad conscientiam defloratoris.

Ita tamen deflorator tenetur ad vnum, aut ad alterum ex dictis, vt non satisfaciat eam ducendo, si ipsa nolit, vel quia est sibi inæqualis, vel aliter, quia sicut ipsa ante deflorationem erat libera ad non contrahendum cum illo, sic etiam est relinquenda, aliàs manebit damnificata: nec ipse tenetur illam ducere, si aliàs ei inueniat nuptias æquè bonas, quia eo satisfacit damno illato, quia ipsa ante deflorationem non habebat ius contrahendi cum illo, ipso nolente; teneretur tamen illam ducere, si aliàs non facta defloratione, erat eam ducturus.

Pro periculo autem, cui deflorata exposita est, vel non inueniendi nuptias æquè bonas, vel malæ tractationis à marito, vel vtriusque, si fortè neutrum tale damnum sequatur ad nullam restitutionem, tenetur deflorator, quia periculum non est damnum formaliter, & in facto esse, sed quasi in via, & in semine; & ideò periculum vsque ad partum damni, nullam inducit obligationem restitutionis, pro periculo enim damni, v. g. damni emergentis nihil est restituendum, nisi damnum ipsum emergat, etiam si, qui periculo damni expositus est, possit aliquid minus, quam sit damnum, quod timetur accipere ex pacto, quo paciscitur, quod quamuis damnum eueniat erit contentus eo minori quod accipit; quia tunc in se suscipit periculum damni, Hispanè, *à su riesgo*, alterum relinquendo liberum ab obligatione maioris restitutionis, si fortè damnum eueniat, quia illius susceptio in se est alicuius valoris; tunc enim fit contractus assecurationis liberandi ab obligatione ad maius pretium pro eo minori.

& eam non cogunt; admiſcebitur tamen aliqua violentia ratione cuius dicetur iniuſtè deflorari, & ob id deflorator tenebitur ad dictam reſtitutionem, quando moleſtè ſolicitatur; & ita vt magis velit pati deflorationem quam ita moleſte ſolicitari, quod numquam aut ferè numquam continget. Si ergo qui importunis precibus abſque mixtione alicuius violentiæ deflorat virginem ad nullam tenetur reſtitutionem, multo minus tenebitur, qui muneribus, vel promiſsionibus, vel blanditijs aſsiduis, quia his multo minus infertur violentia etiam ſi voluntas eis maximè attrahatur ad conſenſum.

Nec tenetur ad dictam reſtitutionē, qui metu iuſto, ſeu mali iuſtè inferendi, vt metu iuſtæ accuſationis defloraut virginem: vt contra nonnullos aduertit Turrianus, quia tunc non iniuſtè attrahitur ad deflorationem, ſed iuſtè; obligatio autem reſtitutionis tantum oritur ex iniuſtitia facta.

Ad quid autem teneatur deflorator, qui ſpe fictæ promiſsionis matrimonij virginem defloraut, dicimus tract. de matrimonio diſput. 1. difficult. 12. & an quando ante deflorationē emiſſerat votum caſtitatis, vel Religionis, teneatur ad implere, dicimus difficul. 21.

Diffic. XX. Vtrùm pro adulterio ſit aliquid reſtituendum?

SVPPONIMVS Primò, pro iniuria, ſeu iniuſtitia ipſa adulterij nihil eſſe reſtituendum, vt contra Rebellum lib. 3. q. 10. aduertunt Molin. diſput. 10. Turrianus diſput. 30. dubio 2. Leſsius cap. 10. dub. 5. Becan. quæſt. 16. & Bonacina q. 4. punct. 15. quia ea iniuria irreſtituibilis, & irreparabilis eſt. Eſſe tamen obligationem peccandi veniam, ſi iniuriam paſſus ſciat eſſe ſibi illatam, & deſideret quod à ſe petatur, quod rariſsimè, vel potius numquàm deſideratur.

Supponimus. Secūdò, quando ex adulterio oritur proles eſſe obligationem iuſtitiæ impediendi damna, quæ marito, & hæredibus euenient ex ſuſtētatione prolis, & ex partitione hæreditatis, & ex collatione dotis quæ à patre putatiuo tribuitur filiæ adulterinæ, vel reſtituendi illa, ſi non fuerint impedita, dum non

adſit

adsit aliqua causa à dicta obligatione excusans.

His suppositis, conueniunt primò DD. contra Sotum, teneri adulterum restituere ea, quæ maritus consumpsit in alenda prole excepta sustentatione lactis matris, quæ matri ad triennium cōpletum incumbit, nisi mater nequeat absque periculo graui, aut infamiæ, aut alio, vel nisi mater sit eius conditionis, quod ad proprium pectus non debeat prolem lactare; quia tūc ad adulteram, etiam pertinent expensæ lactis alieni: imò etiam expensæ factæ in hospitali fundato pro filijs egentium, nisi etiā adulter sit egēs, poterit tamen quamuis non sit egens, tam ipse, quàm adultera, quando necessarium sit ad vitandam infamiam prolem exponere dicto hospitali, dum adulter satisfaciat pro exprensis, aut ipsa, dū ipse non posset si ipsa prolem exposuit, imò quamuis ipsa non exposuerit.

Conueniunt secundò, adulteram teneri ad restitutionem damni prouenientis filijs legitimis in hæreditate, quando proles adulterina etiam succedit in hæreditate cum illis, & ad restitutionem damni dotis quæ à patre putatiuo tribuitur filiæ adulterinæ existimante esse suam, quia adultera est causa eorum damnorum decipiendo maritum ei supponendo prolem adulterinam quasi illius.

Est tamen difficultas, an etiam adulter teneatur ad restitutionem dictorum damnorum in hæreditate, videlicet, & in collatione dotis.

Sotus 4. de iustit. quæst. 7. artic. 2. Henriq. lib. 11. cap. 21. & alij docent, nō teneri, quia adulter non fuit causa eorum damnorum, quia ipse non supposuit marito prolem adulterinā, nec ad id induxit vt supponimus.

Lessius cap. 10. dub. 6. Layman. cap. 14. Bonacin. q. 4. pūct. 15. & communiter DD. docent, adulterum etiam teneri ad ea damna, quia etiam ipse est causa iniusta efficax eorum damnorum, quia eo ipso, quod marito inscio efficit grauidam vxorem illius, eum decipit, vt existimet prolem illam esse ipsius mariti.

Nos verò existimamus, vt optimè Vazquez de testam. cap. 5. § 1. adulterum etiam teneri ad dictam restitutionem, quando adultera non potuit non supponere prolem adulterinam absque periculo vitæ, aut famæ (vt regulariter contingit) quia tunc etiam adulter moraliter fuit causa efficax deceptionis, & suppositionis: non tamen teneri quando adultera id potuit absque dicto periculo

riculo (vt rarissimè contingit) quia tunc ipsa sola non solum physicè, sed etiam moraliter, fuit causa dictæ deceptionis, & suppositionis.

Tenetur autem adulter ad restitutionem expensarum in sustentatione suæ prolis adulterinæ, & dictorum damnorum in hæreditate, & in collatione dotis, quando est moraliter certus absque prudenti ratione dubitandi, quod proles illa adulterina sit sua; quando verò est dubium ad quem adulterũ ex duobus pertineat existente certitudine morali, quod ad vnum, vel ad alterum pertineat, vterque tenetur ad dictam restitutionem, quilibet ad restitutionem medietatis, & altero nollente ad restitutionem totius pertinentis ad patrem.

In casu autem dicto, in quo tam adulter, quàm adultera tenentur ad dictorum restitutionem, tenentur æqualiter, quia quilibet est causa principalis partialis damni, quia istud oritur ex adulterio, cuius vterque est causa principalis partialis: & quilibet tenetur insolidum, ac proinde altero non restituente alter tenetur ad restitutionem totius damni, manente eo, qui non restituit obligato ad restitutionem partis sibi correspondentis faciendam ei, qui totum damnum restituit; tenetur autem ipsa ex bonis, de quibus potest disponere, & si non habeat, vel non habeat sufficientia tenetur ad suadendum marito, vt veros hæredes melioret, & etiam ad rem familiarem diligentius, quàm aliàs tenebatur ad ministrandum, & ad imminuendum sumptus sui corporis, quantum conditio sui status, & valetudinis permittat, & si his, aut alijs modis satisfacere nequeat, tenetur quantum possit prolem adulterinam inducere, vt renunciet hæreditati, vel in totum, si ad id induci possit, vel saltem in partem, siue statum Religiosum eligendo, vel aliter maximè, si hæreditas sit maioratus, & proles adulterina sit in eo successura, si ei non renũtiet, quia adultera, & adulter tenentur ad ea damna impedienda, vel resarcienda quacunque via commode possint.

Superest tamen difficultas, an quando dicta damna nequeunt impediri, nec restitui teneatur adultera manifestare adulteriũ marito, aut proli adulterinæ, vt ea damna, quæ recõpensari nequeũt, impediantur.

Supponimus non teneri, quando prudenter timet, an manifestatio sit pro futura, seu quando non est moraliter certa, quod profi-

proficiet, quia durum est absque tali certitudine obligari ad manifestandum scelus ex se adeò ignominiosum.

Hoc supposito, difficultas est, an quando est sic certa teneatur; si ipsi ob manifestationem immineat periculum vitæ, vel famæ.

Circa quam existimamus, non teneri non solum quando ipsi, aut proli adulterinæ imminet periculum vitæ à quocumque immineat, vt contra Adrianum conueniunt communiter DD. adhuc quando ex defectu manifestationis possidẽdus sit maioratus illustrissimæ familiæ à prole adulterina, vt etiam contra Sotum cõueniunt reliqui DD. sed etiam quando ex manifestatione imminet periculum famæ, vt contra non paucos docent Scotus in 4. distinct. 15. q. 2. Caietan. q. 62. art. 6. Lessius cap. 10. dub. 7. Becanus q. 17. Bonacina q. 6. punc. 15. & non displicet Vazquez de testamen. cap. 5. §. 1. num. 17. quia vita & fama sunt ordinis superioris, quam pretium; & eo non sunt æstimabiles, ergo non sunt ex obligatione exponendę periculo pro dãnis fortunæ impediendis, nec pro eis recompensandis.

Et id credimus, non esse à veritate alienum, vt indicat Vazquez, quamuis adultera manifestando adulterium, tantum sit notanda apud filiũ, si aliàs ipsa non sit apud illud suspecta; quia tunc saltem apud filium perdet bonum nomen, quod in fœmina communiter habita vt honesta, quamuis infimæ conditionis nullo pretio æstimari potest.

Adultera ergo tantum tenebitur (nisi rarissimè) manifestare veritatem quando absque prudenti suspitione oppositi est moraliter certa, quod manifestatio veritatis est profutura; & quando non imminet periculum vitæ, nec periculum famæ, quod in hac materia tantum potest imminere adulteræ non suspectæ, quia suspecta, seu in fama læsa non est bonæ famæ, quam possit perdere. Addimus, *nisi rarissimè*, quia si fortè manifestatio adulterij aliquando profutura sit ad impediendam successionem filij adulterini in aliquo Principatu, qui ob suos perditissimos mores futurus est maximè nociuus Reipublicæ loco hæredis legitimi, qui non sit sic futurus nociuus, tunc adultera tenetur ad manifestationem veritatis, adhuc cum periculo vitæ, & non solum ex misericordia erga Rempublicam ad vitandum magnum damnum illius, sed etiam ex iustitia commutatiua erga legitimum hæredem, quia tunc non sufficit dictum periculum ad excusandam

eam

eam ab obligatione impediendi damnũ, cui ipsa causam opposuit.

Addimus, in quo DD. communiter conueniunt, filium non teneri credere matri manifestanti adulterium (nisi ex circunstantijs conuincatur ad id, vt continget, si mater iurata in articulo mortis, & post susceptam Eucharistiam id affirmet tanquam certum (quod non omnes admittunt) aut si testibus conuincatur patrem putatiuum fuisse absentem tempore conceptionis ipsius filij adulterini,) quia confitenti suum delictuum, seu suam turpitudinem, nō est credendum in præiudicium aliorum distinctorum ab ipso confitente, ex eo solum, quod id manifestè, nisi id aliàs conuincat, eò tamen ipso quod filius absque suspitione prudenti credit matri, nequit hæreditatem adire, vt patet: nec iam possessam retinere, nisi eam bona fide possederit tempore sufficiente ad præscriptionem.

Restitutio autem facienda ab adultero, vel ab adultera, vel ab vtroque, si est expensarum in sustentatione prolis adulterinæ, & in collatione dotis illi facta, facienda est patri putatiuo ipso viuente, quo ad ea, in quibus ipse damnificatus est, & ipso mortuo hæredibus ipsius, quia ipsi succedunt in bonis, de quibus non disposuit. Et vt supponimus de illis, non disposuit existimans filium adulterinum esse suum, vel si disposuit in illius fauorem, dispositio fuit nulla, vt pote facta ob dictam deceptionem; eis verò qui non erant hæredes, eos tamen erat institurus, restituendum est totum, quod eis erat relicturus, non omittendo restitutionem faciendam hæredibus, quibus etiam restituendum est, quod ad ipsos tanquam ad hæredes pertinet, iuxta ea quæ dicimus difficult. 16. Ac proinde, adulter, vel adultera, vel vterque tenetur totum damnum iure hæredibus, quamuis non necessarijs restituere, & alijs, quamuis aliàs non iure hæredibus totum quod erat illis restituturus, quando relictis iure hæredibus non necessarijs, ex testamento alios restituturus erat, si non fuisset deceptus. Vnde tunc tenetur totum damnum quod intulit restituere duplicatum; quia tenetur totum illud restituere eis, qui iure sunt hæredes, & aliud tantum tenetur restituere eis, quos instituturus erat, nisi aliquando aliquid minus sit restituendum, quando non est omnino certum, quod illos erat instituturus, attenta minoritate certitudinis, vel probabilitatis.

(?)

DISPV-

DISPVTATIO XII.

De restitutione ratione, damni famæ, & honoris.

Diffic. I. Quid sit fama, & honor, & quomodo distinguantur?

FAMA Est opinio, seu existimatio communis circa bonum, vel malum alterius. Vnde fama in iudicio intellectus cõsistit. Est autem duplex. Altera mala, & hæc est opinio communis circa malum alterius, præsertim circa vitium, aut ignorãtiam alterius: altera est bona (de qua hic agimus, & quæ absolutè dicitur fama) & hæc est opinio, seu existimatio cõmunis circa excellẽtiam alterius, presertim circa virtutem, aut sapientiã. Et quãdo hęc opinio communis est maximè communis, & est circa præclaram excellentiam, dicitur *gloria*. Vnde fama non est in eo, de quo habetur dicta opinio, sed in alijs, nempe in habentibus opinionem de excellentia illius.

Honor verò est testificatio excellentiæ alterius; hæc autem testificatio fieri potest verbis, & alijs signis, quia laude testificamur excellentiam illius, quem de ea laudamus. Et etiam signis submissionis etiam testificamur superioritatem illius, cui submittimur, & etiam alijs signis non submissionis, vt collatione dignitatis, & collatione pręmij, & erectione statuę, & alijs, quia eis testificamur excellentiam aliorum. Vnde Deus honorare potest, & de facto honorat sanctos collatione gloriæ, & laude, & Principes honorare possunt, & de facto honorãt sibi subditos laude, & collatione alicuius præmij, & alicuius dignitatis, & alicuius officij, quia eis Deus testificatur excellentiam sanctorum, Principes excellentiam sibi subditorum. Vnde honor actiue est in honorante, nẽpe in testificãte excellentiã honorati, & honor quasi passiuè est in honorato, ob quod ab honore dicitur honoratus, quod est vocis passiuæ.

Et

Et quamuis famà generari, & oriri possit ex factis immediatè visis, vt contingit in exercitu, vel ex immediatè auditis, absque relatione, vt quando auditur prædicator, & præceptor, & ex eis aliquando oriatur, regulariter tamẽ oritur ex honore, nempè, vel ex laude, quæ est honor quidam, vel ex alijs signis, quibus testificamur excellentiam alterius.

Honor autem potest exhiberi, non tantum viuis, vt patet, sed etiã defunctis, vt erectione monumenti, & statuæ, & oratione funebri: & nõ tantum præsentibus, vt patet, sed etiã absentibus, vt erectione statuæ, & oratione publica. Et quia fama oriri potest, imò regulariter oritur ex honore, qui potest exhiberi, nõ solũ viuis, sed etiã defunctis; & nõ solũ præsentib⁹, sed etiã absentibus. Ideo fama potest oriri, nõ solũ absentibus, vt patet, sed etiã præsentibus, vt contingit quando corã alijs præsentes laudãtur, aut aliter honorãtur, quia tũc ex eo honore in illis alijs, generatur fama, seu opinio excellẽtię eorũ, qui laudãtur, vel aliter honorãtur.

Difficultas II. Quid sit detractio?

DETRACTIO (Hispane, *murmuracion*) est *famæ alienæ occulta, & iniusta, denigratio, seu læsio verbis facta*. Sic definitur detractio, quasi descriptiuè per suũ effectũ, per læsionẽ videlicet famæ, quia formaliter est ipsa loquutio, vel scriptio, qua iniustè læditur fama alterius. Dicitur *occulta*, id est, in absentia, quia loquutio contra excellentiã alterius, in eius præsentia nõ dicitur detractio, adhuc quãdo infamat vt cõtingit, quãdo fit corã alijs, sed dicitur cõtumelia, (Hispane, *afrenta*) quia ea ad minus, & per se læditur honor, & ob infamationẽ, quando etiã coniungitur non gaudet alio nomine: quia per accidẽs est, quòd etiã fiat corã alijs, etiã si tunc in ea loquutione ad minus fit duplex iniustitia, & malitia, altera infamationis contra famam, altera contumeliæ contra honorem: Additur in dicta definitione, *verbis facta*, (sub quibus etiam comprehendimus scripturas) quia actio infamans, quæ fit alijs signis, non dicitur detractio, sicut neq; quæ fit in pręsentia, vnde nomine, *detractio*, non tota actio infamans significatur: imò nec est nomen aliquod vnum, quo tota actio infamans significetur, quia nomine *detractio*, tantũ significatur iniusta actio verbis infamans, facta in absentia, & dicitur *detractio*, & non contumelia, quamuis ea etiam lædatur honor, quia qui in absentia detrahit, regulariter magis intendit lædere famã generando

malam opinionem alterius in cordibus audientiũ, quã lædere honorem: sicut ècontra, qui in præsentia male loquitur, magis intẽdit lædere honorem, quã famam: & ob id mala loquutio in præsentia, dicitur contumelia, & non detractio.

Fit autem detractio aliquando formaliter, & aliquando materialiter: fit formaliter, quando fit actus ipse exterior, quo læditur fama alterius ex intentione eam lædendi: fit verò materialiter quando fit actus ipse, quo læditur fama alterius, sed non ex intentione lædendi famam, sed ex intentione alterius finis. Deinde detractio, siue tantum materialis, siue etiam formalis, fit aliquando directè, & aliquando indirectè: fit directè quatuor modis. Primò, imponendo alicui falsum crimen (nomine criminis intelligendo quemcũq; defectum.) Secundò, exaggerãdo crimẽ verũ. Tertiò, manifestando crimen occultum. Quartò, sinistre interpretando factũ alterius. Et hi quatuor modi hoc versu continentur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Et indirectè fit etiam quatuor modis. Primò, negando bonũ, seu excellentiã alterius. Secundò, minuẽdo excellentiã alterius. Tertiò, reticendo excellentiam alterius, eo tempore, aut in eo loco, aut taliter, quòd æquiualeat detractioni, vt si alijs laudantibus aliquem, subijcias *Ego taceo*, aut frontem contrahas. Quartò, ita frigidè laudando, vt etiam æquiualeat detractioni: & hi quatuor modi, hoc versu continentur.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

Difficult. III. Vtrùm detractio sit ex suo genere peccatum mortale.

SVPPONIMVS Detractionem esse peccatum, & iniustitiæ, quia est iniusta læsio famæ alterius. Est tamen difficultas, an sit mortale, an tantum veniale.

Circa quam conueniunt DD. detractionem ex suo genere, seu ex suo obiecto, esse peccatũ mortale, quia per ipsam ex suo genere, seu obiecto, efficitur læsio famæ, quæ ex se potest esse grauis, imo grauior, quam læsio facta per furtũ, sicut bona fama, ex se est melior quã diuitiæ multæ, & ex se est minus grauis quã læsio facta per homicidiũ, sicut bona fama est minus bonũ quã vita: & ideo detractio ex suo genere, seu obiecto, est peccatum minus graue quam homicidium, & grauius quàm furtum.

Addi-

Addidimus, detractionem *ex suo genere, seu ex suo obiecto*, esse peccatū mortale, quia ex defectu plenæ aduertentiæ, aut ex paruitate materiæ, potest esse tantū veniale. Et in primis, ex defectu plenæ aduertētiæ, quia ad peccatū mortale generaliter in quauis materia requiritur plena aduertentia, seu deliberatio, vt diximus tract. de peccatis, disp. 4. diffic. 5. Deinde ex paruitate materiæ, quia quando detractio est alicuius defectus leuis, quo fama leuiter læditur, quamuis fiat ex plena aduertentia tantum est peccatū veniale, quia læsio tantùm est leuis: ad peccatum enim mortale in quacumque materia, requiritur, & aduertentia grauis, seu plena, & materia grauis, aut saltem iudicata grauis.

Addimus primò, vt aduertit Bonacin. disp. 2. q. 4. punct. 1. omnes detractiones, quatenus detractiones, seu quatenus lædunt famam alterius, esse peccata moraliter eiusdē speciei, quāuis lædāt famam circa diuersas excellentias, sicut omnes famæ quæ læduntur, quāuis circa diuersas excellentias, sunt moraliter eiusdē speciei, esse tamē peccata diuersæ speciei à contumelijs, quia his læditur honor, & illis fama, honor autem, & fama, sunt moraliter diuersæ speciei, & omnes contumelias, quatenus cōtumelias, seu quatenus lædunt honorem, esse inter se etiā peccata eiusdē speciei, quia omnes honores, qui per contumelias læduntur, sunt moraliter eiusdē speciei: & in detractionibus regulariter esse duas malitias diuersæ speciei, alteram contra famam, & alterā contra honorē; quia detractione læditur fama, & regulariter etiā læditur honor, & in cōtumelia corā alijs, apud quos nō erat mala opinio, & de nouo generatur, etiā esse duplicē malitiā: alterā contra honorē, & alterā contra famā. Et in contumelia, quando fit læsione corporis, vt alapa esse etiam tertiā malitiam iniustitiæ, specie distinctam circa bona corporis. Et in detractione, & in contumelia contra Sacerdotē, esse etiam aliam malitiā specie distinctā sacrilegij contra duliā, & in eis contra parentes esse aliam malitiā specie distinctam irreuerentiæ contra pietatem, & in eis contra superiorem, esse aliam malitiam specie distinctam irreuerentiæ cōtra obseruantiam, distinctas à malitijs iniustitiæ, vt contra Azor 3. p. lib. 13. cap. 5. dub. 1. aduertunt communiter DD. imò in contumelia contra prædictos, nempè, contra Sacerdotē, & contra parentes, & contra superiorem, facta media læsione corporis prædictam malitiam sacrilegij contra duliam, & irreuerentiæ cōtra pietatē, & irreuerētiæ contra obseruantiā, esse duplici titulo:

& quia læditur honor, & quia læditur corpus, non tamen esse duplicatas, nec numero, nec specie.

Addimus secundò, in quo conueniunt communiter DD. contumeliam esse ex suo genere, seu obiecto grauiorem detractione: quia honor præstantior est quàm fama; vt exprimit Lessius cap. 2. dub. 1. in fine, ex Arist. 4. Ethicor. cap. 3. dicente, honorē esse maximum inter bona externa, quod credimus verùm, etiam de contumelia facta in absentia ob eamdem rationem.

Difficult. IIII. Quando detractio sit mortalis, & quando tantum venialis, ratione materiæ?

SVPPONIMVS Ad rationem peccati mortalis in detractione, requiri, & sufficere, quantum est ex parte materiæ, seu defectus, quod defectus sit grauis, quo grauiter lædatur fama: & quod qui non est talis, non sit materia sufficiens ad mortale, sed tantum veniale. Defectus autem est, vel dicitur grauis, aut leuis ad dictum effectum non absolutè, & secundum se, sed relate; seu in ordine ad personam cuius est defectus.

Vnde quamuis peccatum mortale alterius, absolutè, & secundum se sit materia grauis, & illud detractione manifestare regulariter sit peccatum mortale, aliquando tamen relatè ad personam, non est materia grauis sufficiens, vt manifestatio illius sit peccatum mortale. Duellum enim secundum se, & absolutè, est materia satis grauis, & tamen de milite aliquo dicere, quòd illud commisit non est peccatum mortale, nec quod habeat concubinam, nec quod aliquando fuerit inebriatus, quia regulariter nullo ex his grauiter infamatur miles. Et ob eandem rationē, nec regulariter erit peccatum mortale, de aliquo adolescente dicere, quòd sit deditus amoribus, nec quod sit prodigus. Et è contra quamuis peccatum veniale absolutè, & secundum se non sit materia grauis, aliquando tamen relate ad personam est materia grauis sufficiens, vt manifestatio *illius*, sit peccatum mortale, Mendacium enim absolutè, & secundum se, non est materia grauis, & tamen dicere, quòd persona aliqua aliàs non vilis, habeat consuetudinem mentiendi, est verè peccatum mortale, quia ea consuetudine grauiter infamatur. Et etiam dicere, quòd aliquis

aliquis Episcopus, aut aliquis Religiosus grauis, sit dedit nugis, aut quod sit vanus, quia dictę personæ his grauiter infamantur. Et quamuis peccata aliqua, quæ possunt esse mortalia nominibus generalibus manifestata, vt de aliquo dicere, quod sit superbus, aut quod sit ambitiosus, aut quod sit iracundus, aut quod sit auarus, sint absolutè, & secundùm se materia leuis, quia audientes potius concipiunt illum esse propensum ad ea peccata, quam illa committere saltem mortaliter, quo non grauiter infamatur; aliquādo tamen relate ad personam de qua dicuntur ob eius grauitatem, possunt esse materia grauis sufficiens ad mortale.

Et quamuis defectus naturalis siue animi, vt esse ignarum, esse parui iudicij, esse imprudentem, esse impertinentem, siue corporis vt esse gibbosum, hermaphroditum, absolutè, & secundum se sint materia leuis in detractione, quia eorum manifestatione non fit grauis infamatio, aliquando tamen relatè ad personam est materia grauis, sufficiens ad peccatum mortale, vt si de Episcopo aliquo, aut Consiliario Regio dicatur quod sit imprudens, aut hermaphroditus.

Et quamuis defectus naturalium, vt esse filium clerici, esse adulterinum, esse illegitimum, esse ortum ex Iudæis, absolutè & secundùm se sint materia grauis sufficiens ad mortale in detractione, vt contra non paucos existimantes nō esse materiam grauem, sed leuem insufficientem ad mortale, docent Molin. tom. 4. disp. 16. Azor 3. p. lib. 13. c. 7. dub. Medina q. 14. §. 35. & Bonacin. disp. 2. q. 4. punct. 2. quia absolutè, & secundū se sunt defectus considerabiles, aliquando tamen relate ad aliquas personas (præsertim non Hispanas) non erunt materia grauis sufficiens ad mortale.

Obseruandum est, prædictam doctrinam esse veram quando defectus siue morales, siue naturales sunt occulti, quia quando sunt publici, nullus defectus est materia grauis in detractione sufficiens ad mortale; imò nec leuis sufficiens ad veniale. Quis autē defectus dicatur occultus, & quis publicus ad dictum effectum dicemus diffic. 7. & esse veram respectu detractionis, quando scilicet defectus manifestantur in absentia defectuosi; quia quando in præsentia plures defectus, quamuis alias leues, & aliàs publici, possunt esse materia sufficiens ad mortale, vt quando quis dicit alteri *mentiris*, aut *es ignarus*; si aliàs persona cui dicitur non sit vilis; quia tunc eis in præsentia dictis grauiter læditur honor.

Difficult. V. Vtrùm manifestare defectum alterius occultum secuudùm se grauem, vni, vel duobus, qui secreto retinebunt, sit peccatum mortale?

CONVENIVNT Cõmuniter DD. non esse peccatum mortale (imò nec veniale) manifestare defectum grauem alterius vni, vel duobus quamuis grauibus ob aliquam rationabilem causam, vt ob bonum ipsius defectuosi, v.g. vt corrigatur, vel ob bonum ipsius manifestantis, v.g. vt capiat consilium, vel vt mitiget dolorem ex iniuria sibi facta acceptum, vel ob bonum publicum, vel ob aliam rationabilem causam, quia tunc ille cuius defectus manifestatur, non erit rationabiliter inuitus.

Est tamen difficultas, an id sit peccatum mortale, quando fit absque rationabili causa.

Sotus in 4. q. 6. art. 3. Salon. & Bañez q. 73. art. 2. Turrianus disput. 53. dub. 8. & Bonacina disp. 2. q. 4. punct. 4. docent, manifestationem defectus grauis, quamuis vni tantum, aut duobus esse peccatum mortale, quia tunc grauiter læditur fama; quia læditur in re graui quamuis tantum apud vnum, aut duos.

Caietan. verò q. 73. art. 2. dubio 1. Petrus Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 333. Cordub. q. 2. concl. 5. & Reginald. lib. 24. num. 75. docent, manifestationem defectus, quamuis grauis vni tãtum, aut duobus tacituris quãuis grauibus, esse tantũ peccatũ veniale. Et meritò quia tunc ea manifestatione non læditur grauiter fama; quia tantum læditur apud vnũ, aut duos ex toto orbe, quod quãuis sit in re secundùm se graui non est magni, seu considerabilis momenti, quando inde nihil aliud incommodi timetur. Ex quo constat antecedens rationis aduersariorum esse falsum. Addidimus in hac nostra ratione, *quando inde nihil aliud incommodi timetur*: quia quando timetur, tunc in ea manifestatione præter peccatum veniale iniustitiæ circa famam, erit etiam aliud peccatum iniustitiæ circa aliam materiam, aut honoris, aut diuitiarum, aut alius boni, veniale, aut mortale, pro grauitate, aut leuitate dãni, seu incommodi, quod ex ea infamatione imminet.

Sed

Sed quando sit licitum, & quando sit sub præcepto reuelare in confessione complicem peccati, dicimus tract. de Pœnitent. disput. 9. diffic. 11.

Difficult. VI. Vtrùm qui absque asseueratione refert publicè graues defectus alterius, quos audiuit peccet mortaliter?

CIRCA Hanc difficultatem varijs opinionibus omissis existimamus referẽtem publicè graues defectus alterius auditos, peccare mortaliter, & contra iustitiam, & teneri ad restitutionem, quando prudenter timet audientes credituros ob narrationem ipsam, vel ob modum narrandi. Ita Rebel. lib. 4. quæst. 3. Lessius dub. 5. & Bonacin. q. 4. puncto 5. quia tunc referens est causa efficax læsionis grauis in fama. Addidimus, *Credituros ob narrationem ipsam, vel ob modum narrandi*; quia quando non credunt ob id, sed ex sua leuitate, aut ex sua malitia, aut ex sua infirmitate, tunc referens quãuis secundario peccet contra iustitiam, & mortaliter, non tamen tenetur ad restitutionem, quia non peccat directè, & viuo modo contra iustitiam, sicut peccat consulens sed tantum indirectè, quia non peccat contra iustitiam, quia inducat contra illam, sed quia apponit occasionem, seu id ex quo ipse credens sumit ansam, seu occasionem credendi, iuxta ea quæ diximus tract. de Charitat. disp. 10. diffic. 7.

Et quamuis referens publicè defectus graues auditos peccet mortaliter quando prudenter timet, quod audiẽtes sunt illos credituri, seu habituri iudicium determinatum, seu opinionem eorum, non tamen peccat mortaliter, quando non timet, quod audientes sunt illos credituri, nec habituri suspicionem illorum, vt patet; imò quamuis timeat quod habituri sunt suspicionem, nisi quando defectus sint valde graues, vt sunt apostasia à fide, & præpostera libido, & proditio patriæ, aut quando persona, de qua referuntur esset valde grauis, quia suspicione de defectu non valde graui, aut de persona non valde graui, non læditur fama grauiter.

(?)

Dif.VII. Vtrùm licitum sit defectum alicuius in vno loco publicum manifestare in alio in quo ignoratur?

DEFECTVS Tripliciter dicitur publicus. Primò, quando est notorius iure, id est, sententia iudicis, aut cõfessione Rei in iudicio publico, aut plena testiũ probatione in simili iudicio. Secũdò, quãdo defectus est notorius facto ipso, id est, quãdo defectus euidẽs fuit adeò multis, vt cõsiderata hominũ imbecillitate certũ moraliter sit, quod defectus perueniet in notitiam maioris partis cohabitantiũ in eo oppido, aut parochia. Quod autẽ tãtum est euidens maiori parti viciniæ, aut Collegij, in quibus ad minus habitãt decẽ, nõ semper dicitur absolutè famosum seu publicum, sed tantũ ei viciniæ, aut Collegio, nisi quando ea euidentia existẽte certũ moraliter sit, quod defectus ad notitiã maioris partis in eo oppido, aut parochia cohabitantiũ perueniet. Tertiò, dicitur publicus, quando est famosus, id est, quando eius fama ex sufficientibus indicijs orta ad eam hominum notitiam peruenit, vt imbecillitate hominum considerata certum moraliter sit, quod in notitiam maioris partis cohabitantium in eo oppido, aut parochia perueniet.

Hoc ergo supposito, conueniunt DD. non esse peccatum saltem mortale defectum alterius quamuis graué in aliquo loco, vel communitate publicum, illum alijs eiusdem loci, vel communitatis manifestare, quia tunc defectuosus censetur moraliter spoliatus iure, & possessione suæ famæ, quia tunc eius defectus ita publicus est, vt moraliter censeatur impossibile, quod in maiorem partem cohabitantium non perueniat, quod credimus verum, quamuis defectus tantum sit publicus confessione Rei in iudicio, aut sola plena testium probatione vbi iudicium est publicum.

Est ergo difficultas, an sit peccatum, defectum alterius in aliquo loco publicum manifestare in alio, in quo non est publicus, quia quando non est sic publicus nequit absque peccato iniustitiæ vbique manifestare.

Circa difficultatem Syluest. verbo, *detractio*, Rebell. libr. 4. quæst. 4. & alij, docent, esse peccatum iniustitiæ, quia defectuosus in illo alio loco retinet famam, quia in eo eius defectus est igno-

ignotus, ergo ei fit iniuria defectum illum manifestando in eo loco.

Maior in 4. distinct. 21. quæst. 2. Caietan. opuscul. 31. respons. 9. Nauarr. cap. 18. num. 26. Azor lib. 13. cap. 6. dubio 8. Valen. puncto 2. & Turrianus disp. 53. dub. 1. docēt, non esse peccatū. Et merito, quia eo ipso quod defectus est publicus, & in propatulo positus, supposita hominū cōditione, & imbecillitate narrandi, quæ publica sunt defectuosus amisit ius ad famā circa illū defectum; supposita enim hominum conditione defectuosus non potest rationabiliter conqueri, quod eius defectus iam factus publicus, narretur ignorantibus, non solum ignorantibus cohabitātibus in loco, in quo defectus est publicatus (in quo DD. conueniunt) quāuis apud illos de nouo amittatur bona existimatio erga defectuosum, sed etiā ignorātibus maximè distantibus; quia quāuis apud eos nō sit re ipsa, & facto amissa fama, sicut nec apud præsentes ignorantes defectum, est tamen respectu eorum amissum ius famæ defectuosi ob defectus publicitatem, sicut respectu præsentium ignorantium.

¶ Quod credimus verum, quamuis defectus verus fuerit iniustè publicatus, quia publicitas defectus, quamuis orta ex iniustitia eamdem licentiam tribuit, & idem ius famæ aufert, non iniustitia ipsa immediatè, sed publicitas ipsa orta ex iniustitia. Ille tamen qui prius iniustè manifestauit defectum, tenetur ad restitutionem famæ, vt patet, nisi iniustè infamatus, postea iustè infametur simili infamia, quia tunc iusta infamatione sequente amisit ius ad famam antea iniustè ablatam; tenebitur tamen ad restitutionem damni realis, si infamatus passus est aliquod ob infamationem illam iniustam.

Dicta autem manifestatio defectus in alio loco publici, non solum non est peccatum contra iustitiam (in quo Lessius, Becanus, & Bonacin. nobiscum conueniunt) sed nec contra charitatem, vt contra ipsos aduertunt Valentia, & Turrianus; quia si esset peccatum contra charitatem esset peccatum commissionis, & non omissionis, vt patet, commissionis autem esse nequit, quia contra charitatem nequit esse peccatum commissionis, nisi sit actus odij; dicta autem manifestatio non est odium contra Deum, vt patet, nec contra defectuosum, quia eius defectus potest manifestari absque displicentia erga illum in qua sola odium consistit.

Obseruandum est, vt aduertunt Lessius, Filliucius, & Bonacina, manifestationem, seu commemorationem defectus (v.g. concubinatus, aut alapæ ignominiosæ) in alio tempore publici, cuius iam nulla extat memoria, non esse peccatum contra iustitiam, quamuis defectus emendatione, aut aliter fuerit abolitus, quia qui in tempore illo fuit defectuosus publicus, non habent nunc ius, vt nunc non existimetur fuisse defectuosus in illo tempore, quia ex vna parte ius illud amisit, & ex altera illud non recuperauit, etiam si emendatione criminis, vel abolitione alterius defectus habeat ius, vt non existimetur esse defectuosus tempore emẽdæ, aut abolitionis. Imò addimus eam manifestationem, seu commemorationem non esse peccatum contra charitatem ob rationem supra adductam, quia scilicet, illa non est odium Dei, nec illius, cuius defectus antiqui fit commemoratio, nec video esse cõtra misericordiam.

Vnde vt aduertit Layman. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 3. q. 5. licitum est historiographis defectus publicos præsertim in moribus adhuc obliuione ob literatos publicis scriptis ad perpetuam totius posteritatis notitiam diffundere; quia id nec est contra iustitiam, dum ex modo narrandi, aut aliter nõ significetur eos defectus in vita iam emendatos, aut abolitos, non fuisse emẽdatos, nec abolitos, nec est contra charitatem, nec contra aliam virtutem.

Diffic. VIII. Vtrùm licitum sit infamatum in vno defectu infamare in alio?

CONVENIVNT DD. infamatum in vno defectu grauiore posse absque peccato mortali infamari in alio minore, quãuis graui, & diuersæ speciei habente affinitatem, vel connexionem, saltem moralem cum defectu illo grauiori in quo est infamatus, quia ea noua infamatione non læditur grauiter fama illius: vnde de publico hæretico potest absque peccato mortali affirmari, quod imaginem Christi verberauerit, & de publico adultero, quod miserit epistolam amatoriam, & de publico ebrioso, quod sæpè rixetur cum vxore, & de publico fure, qui insigne furtum commisit, quod alia minora commiserit, quia nullus prædictorum læditur grauiter in fama additione dictæ relationis, seu infa-

infamationis. Addidimus, *habente affinitatem*, quia infamatum in vno defectu infamare in alio graui quamuis minore non habente affinitatem cum illo est peccatum mortale, vt contra Syluest. verbo, *detractio*, q. 1. & contra Paludanum in 4. distinct. 19. q. 4. cõueniunt communiter DD. quia tunc ea noua infamatione nouiter, & grauiter læditur fama illius, in ea materia non solum quando est distinctæ speciei ab ea, in qua erat infamatus, quia infamatus in vna materia nõ eo ipso manet in alijs diuersæ speciei, quia fama non est extensiue indiuisibilis, sed est diuisibilis circa varias materias, sed etiam quando materia in qua nouiter infamatur est eiusdem speciei, quia circa eam materiam specificam potest quis fieri magis infamis siue intensiue, siue extensiue maioritate, seu excessu non exiguo; qui enim infamatus est in vno actu ebrietatis fiet notabiliter infamior manifestatione notabilis multiplicitatis ebrietatum, ac proinde non poterit absque mortali in ea multiplicitate infamari.

Est tamen discrimen, quod infamatus in vno defectu, si in alio diuersæ speciei nouiter infametur, hæc noua infamatio regulariter est tanta, vel ferè tanta, quanta esset, si non præcisisset alia infamatio in eo alio priori defectu diuersæ speciei; qui enim infamatus est in homicidio, si postea infametur in furto, hæc noua infamatio in furto est tanta, vel ferè tanta quanta esset, quamuis non fuisset infamatus in homicidio: qui verò infamatus est in vno defectu, v. g. in vno furto, multo minus infamatur quando nouiter infamatur in defectu eiusdẽ speciei, v. g. in alio furto, quam infamaretur, si non fuisset infamatus in eo alio priori. Et qui infamatus est in multis defectibus; ferè nihil infamatur quando nouiter infamatur in alio defectu, & minus quãdo vltimus, & priores defectus sunt eiusdem speciei, quam quando sunt diuersæ speciei, quod præ oculis habendum est ad iudicandum, an noua infamatio sit grauis, an leuis.

Diffic. IX. Vtrùm audiens grauiter detrahentem peccet mortaliter?

CONVENIVNT DD. eum, qui ita audit detrahentem, vt eũ inducat, seu incitet ad detrahendum, vel ad perseuerandum in eo, siue verbis, siue gestibus, siue aliter inducat, peccare morta-

mortaliter, si detractio sit mortalis, & peccare venialiter, si detractio sit venialis, quia sic audiens est moralis causa detractionis; ei verò qui ita audit detrahentem, vt eum nō inducat ad detractionem, delectatur tamen de detractione non eo ipso peccare mortaliter, quamuis detractio sit mortalis; quia tunc ex vna parte, audiens non est causa detractionis vt supponimus, & ex altera non semper delectatio de actu mortali est mortalis, quia delectatio quoad malitiam regulanda, & discernenda est ex motiuo ex quo elicitur, vt dicimus tract. de Peccat. disp 4. diffic. 9.

Est tamen difficultas, an qui audit detrahentem grauiter, & ei non resistit, seu eum nō impedit peccet mortaliter ex eo, quod eum non impedit. Audiens autem potest detrahentem impedire, vel eum obsecrando, vel eum redarguendo, siue expressè, nempe verbis, siue tacitè, nempe discedendo, vel sermonem auertendo, vel vultum tristem exhibendo.

Circa hanc ergo difficultatem existimamus non impedientem eum, qui grauiter detrahit peccare mortaliter, si eum possit commodè impedire sicut peccat ipse detractor, quia sicut virtus iustitiæ obligat primario ne quis detrahat; ita etiam obligat secūdario, vt quis detractionem impediat, si commodè possit, iuxta ea, quæ diximus tract. de Charit. disp. 6. dif. 3.

Nihilominus non impediens detractionem mortalem potest à mortali excusari, & de facto excusatur. Primò, quando impedire nequit absque graui incommodo, vel absque prudente timore illius, v. g. absque prudente timore iniuriæ considerabilis, vel absque rationabili verecundia considerabili, qualis potest contingere famulo respectu heri, & personæ inferiori respectu maioris. Secundò, non impediens excusatur à mortali, quando non sperat fructum suæ correctionis. Tertiò, excusatur à mortali, quando ignorat defectum, qui narratur esse occultum, etiam si dubitet, an sit occultus, & etiam excusatur quando ignorat, an narrans defectū, quamuis occultum, illum licitè narret, etiam si dubitet an licitè narret, quia in dubio præsumendum est narrantem non narrare defectum occultum, & in dubio an defectum occultum licitè narret, non est præsumendum narrare illicitè; imò in dictis tribus casibus, audiens nō impediēs, non solū excusatur à mortali, sed etiā à veniali. Quartò, audiēs & nō impediēs, excusatur à mortali, quā do animi pusillanimitate, aut timore, aut trepidatione non impedit. Quintò, excusatur à mortali, quando audiens detrahentem in mate-

materia graui ipse solus taciturus defectum eum audit; imò etiã quando simul audit alter, si etiam hic non est defectum illum manifestaturus, quia tunc nec ipse detrahens, peccat mortaliter, vt diximus difficult. 5.

Addimus, raro peccare mortaliter, & sæpè, nec peccare venialiter eum, qui audit detrahentem grauiter non sibi subditum, vt aduertit Bonacin. disput. 2. quæst. 4. puncto 11. quia raro continget, quod non adsit aliquid ex dictis, quo excusetur à mortali, & sæpè contingat quod adsit aliquid, quo excusetur ab omni peccato, quod etiam aduertimus de persona priuata, non corripiente proximum, tractat. de charitat. disput. 6. difficul. 8. Addidimus, *non sibi subditum*, quia superiores raro excusantur à mortali, quando audiunt sibi subditum grauiter detrahentem, & eũ non impediunt. Qui quamuis non teneantur ad restitutionẽ famæ nõ sibi subdito ablatæ à sibi subdito, quia ex suo officio nõ tenentur impedire subditũ, vt prospiciant famæ non sibi subditi, sed tantũ vt subditus contineatur, tenentur tamen ad restitutionem famæ sibi subdito ablatæ ab altero sibi subdito, quando possunt impedire, & non impediunt, quia ex suo officio tenentur prospicere famæ sibi subditi ablatæ ab altero etiam sibi subdito, quod (quidquid nonnulli dicant) etiam est verum quamuis superiores sint Ecclesiastici, imò & superiores Religionum, quia etiam eos conuenit ex officio prospicere indemnitati suorum subditorum, etiam quoad honorem, & famam.

Tenentur autem superiores ad restitutionem secundo loco, in defectum videlicet detractoris sibi subditi non restituentis, priuatus verò non superior, etiam si peccet mortaliter potens, & non impediens grauiter detrahentem, non tenetur ad restitutionem famæ: quia quamuis peccet contra iustitiam, non tamen est causa positiua ablationis famæ, quia nec est Physica, nec moralis inducens detractorem, sed tantum est priuatiua, seu omittens actum: quia quamuis debitum ex iustitia, sed non debitum in fauorem infamati, sed præcisè in fauorem iustitiæ, ne fiat contra eam, iuxta ea quæ diximus tractat. de charitate, vbi suprà.

Difficult.

Diffic. X. Vtrùm seipsum infamare sit peccatum, & quale?

SVPPONIMVS, Seipsum infamare reuelando defectum occultum non esse peccatum, si fiat ex rationabili causa, vt aliquando fit à Religiosis ad propriam humilitatem, & ad ædificationem aliorum, & seipsum infamare, esse peccatum, non solum sibi falso imponendo defectum, vt patet, sed etiam manifestando defectum occultum, quãdo hoc fit absque rationabili causa; quia quando fit absque rationabili causa prodigitur fama, quod est contra virtutem magnanimitatis.

Est tamen difficultas, an seipsum absque rationabili causa infamare, sit ex suo genere peccatũ mortale, id est, an possit ex suo obiecto, seu ex propria materia esse peccatum mortale, quando scilicet est in materia graui: quia quando materia aliàs est leuis, tantum est veniale; sicut furtum, quòd ex suo genere est mortale, tantum est veniale quando materia est leuis.

Caietan. 2. 2 q. 73. art. 2. Valenc. disp. 5. q. 17. p. 2. & Turrianus disp. 54. dub. 1. docent, id esse peccatum mortale ex suo genere, seu ex suo obiecto, seu ex sua materia, quia id est contra iustitiam in Rempublicam, quæ ex suo genere obligat sub mortali: quia nemo est dominus suæ famæ, sed Respublica: vel quia est cõtra charitatem sui, quæ etiam ex suo obiecto, obligat sub mortali: vel quia est contra magnanimitatem, quæ etiam ex suo obiecto videtur sub mortali obligare.

Sotus verò detegendo secreto, membro 1. q. 3. Nauarr. cap. 18. num. 27. Rebell. q. 5. Lessius cap. 21. dub. 6. Layman. lib. 3. tract. 3. p. 2. cap. 3. & Bonacin. disp. 2. q. 4. punct. 10. docent, se ipsum infamare absque rationabili causa, non esse ex suo genere, seu obiecto peccatum mortale, sed tantũ veniale, & meritò, quia seipsum infamare ex suo genere, seu obiecto, non est contra iustitiam in Rempublicam: quia quilibet est dominus suæ famæ, non minus quam diuitiarum, & non Respublica, vt diximus disput. 1. difficult. 15. quia quilibet sua industria acquirit famam, sicut & diuitias, nec ex suo genere, seu obiecto, est contra charitatem sui; quia non est odium sui, quando non se infamat ex displicẽtia sui, sed tantum est peccatum pusillanimitatis contra magnanimitatem,

tem, sicut destruere proprias diuitias absque rationabili causa, est peccatum prodigalitatis contra liberalitatem, (quamuis istud sit leuius quàm illud, sicut destructio diuitiarum est leuior, seu minus mala quā infamatio) quia vtraque est destructio rei propriæ, cuius quis habet dominium.

Addidimus, *se ipsum infamare absque rationabili causa, non esse ex suo genere, seu obiecto, peccatum mortale*, quia ratione circumstantiarum potest aliquando esse mortale, vt aduertunt communiter DD. & erit de facto peccatum mortale. Primò, ratione scandali, vt si ex manifestatione mei peccati mortalis proximus inducatur ad simile peccatum. Secundò, si mea infamatio grauiter redundet in alios, v.g. in proprios filios, vel in propriam Religionem. Tertiò, quando infamatio grauiter nocet exercitio officij, quod infamatus retinere vult. Quartò, quando quis ob infamationem sui exponitur periculo vitæ, vt si ita manifestet fornicationem cum filia viri illustris, aut cum vxore illius, vt ad eius notitiam perueniat.

Posse autem Reum ad vitanda grauia tormenta, quamuis ob id sit condemnandus ad mortem, sibi falsum crimen imponere, absque peccato aliquo pusillanimitatis ratione infamationis, & absque peccato temeritatis ratione periculi vitæ, quamuis non absque peccato veniali mendacij, & absque mortali sacrilegij, si id sibi imponat iuratus, nisi etiam ab eis excusetur, vt potest restrictione aliqua interiori, aut æquiuocatione aliqua exteriori, dicimus tract. de iudicio forensi, disp. 4. de Reo, difficult. 20.

Difficul. XI. Vtrùm licitum sit manifestare defectum occultum alterius, ad vitandum damnum proximi?

CONVENIVNT DD. id esse licitum, quando alia via commodiori nequit damno proximi obuiari. Ita Sotus 5. de iust. q. 7. art. 1. Nauarr. cap. 18. num. 31. Lessius cap. 11. dub. 9. Rebell. lib. 4. q. 2. Filliucius tract. 40. num. 129. & Bonacin. disp. 2. q. 4. §. 8. quia nullus habet ius ad famam cum damno alterius prouenientе, vel prouenturo ex eo defectu sic occulto, quia tunc ex causa rationabili manifestatur ille defectus. Addidimus,

quan-

quando alia via commodiori nequit damno proximi obuiari, quia si possit, vt admonendo ipsum defectuosum, vel aliter, tunc non erit licitum eius defectum occultum manifestare.

Vnde qui falso habetur, vt Medicus, vel Aduocatus, peritus, vel peritissimus, & verè non est talis, detegi potest eis quibus damnum impendet ex defectu peritiæ, vel maximè peritiæ illius, si ex eo defectu aliquod impendet: imò quamuis ex eo defectu nullum immineat damnum, vt aduertunt Molina, Rebell. & Laiman. quia tunc nullum detego vitium, nec naturale, nec morale; quamuis communiter habeatur; vt peritus, vel vt peritissimus, quia tunc nullum detegendo vitium corrigo iudicium errantiũ: & persona in matrimonium accipienda, ex qua mali exitus timẽtur, detegi potest; & qui caret qualitate requisita ad Collegium, vel ad officium sanctæ Inquisitionis, detegi potest, is Inquisitoribus, & ille Collegio. Et qui fur est, detegi potest eis cum quibus habitat, & crimen cõmissum à Petro, quòd falsò imputatur Paulo, detegi potest: & hypocresis alicuius alijs perniciosa, potest eis detegi, & sic in alijs.

Addimus in multis casibus, non solum posse detegi defectum occultum, ex quo alijs imminet damnum, sed aliquando etiam esse obligationem ex misericordia detegendi illum, tunc videlicet, quando ex eo imminet damnum magni momenti, & damnũ quod ex detectione defectus oritur, non præponderat damno imminenti, imò vt aduertunt Lessius, & Filliucius, & Bonacina, in dubio an præponderet detegendus est defectus, quia in dubio fauendum est innocenti.

Obseruandum tamen est, quòd quando pro virginibus relinquitur aliqua dos, non est neganda ei quæ publicè habetur virgo, quamuis verè violata sit, quia mens relinquentis eam dotem, non est puellam illam excludere, quia absque dubio nõ intendit, quòd ad id talis defectus occultus examinetur, quia id esset occasio pertubationis in Republica. Et idem ob eandem rationem dicendum est, quando relinquitur eleemosyna distribuenda inter pauperes honestæ vitæ, quia tunc non intenditur excludi pauper, qui non laborat infamia, etiam si occultè non sit honestæ vitæ. Et ob id in hoc posteriori casu, nequit detegi defectus occultus virtutis, nec in priori violatio occulta virginis, quia scilicet supposita dicta voluntate sic relinquentis dotem, & eleemosynam, ex eis defectibus occultis non imminet alijs damnum, secus est, quan-

quando eleemosyna relinquitur distribuẽda pauperibus, quia tũc est deneganda ei, qui verè non est pauper, quamuis communiter talis existimetur; quia tunc mens eam eleemosynam relinquentis est excludere non vere pauperem, quamuis communiter talis reputetur, quia defectum paupertatis examinare non est occasio perturbationis in Republica, quia non esse pauperem non est defectus, sed potius carentia defectus; & ob id defectus paupertatis, in hoc casu detegi potest, quia verè non est defectus, & quia ex eo imminet aliis damnum, nempè verè pauperibus, quia priuarentur eleemosyna, quæ daretur non paupori, non detegendo defectum paupertatis illius.

Difficult. XII. Vtrùm ad vitanda grauia tormẽta propria, licitum sit crimen occultum alterius manifestare?

CONVENIVNT Cõmuniter DD. ad vitãda grauia tormẽta propria, licitũ esse manifestare iudici crimẽ occultu alteri⁹ extra confessionem sacramentalem notum. Ita Lessius cap. 11. dubio 8. & Bonacin. quæst. 4. puncto 10. quia cùm tanto incommodo prorio non teneor tacere defectum alterius, quamuis ei immineat periculum vitæ, quod est verum, quãuis ei promisssem secretum; quia contractus promissionis, vtpote non perfectus, sed inchoatus non obligat cum tanto incommodo, proinde tacitè fuit factus sub ea conditione, vel quasi conditione, nempè si mihi non sit perniciosum; imò id etiam credimus verum, quamuis vi, aut fraude extorserim crimen, vt contra Sotum, & Azor aduertunt Petrus Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 131. & Lessius, quia etiam, si extorquendo illud, iniuriam fecerim criminoso; ea tamẽ iniuria supposita non teneor cum tanto incommodo illud sciens reticere, sicut non tenerer illud sciens absque dicta iniuria; quia hæc iniuria non nocet licentiæ, qua sciens potest vti.

Q Diffic.

Diffic. XIII. Vtrùm conficiens libellum famosum peccet?

LIBELLVS Famosus, seu infamatorius (Hispane, *Pasquin*) dicitur scriptura, quæ alicuius infamiam nondum publicã continet, facta vt ea infamia, publica fiat, & non solum scriptura, sed etiam quodlibet signum infamiam nondum publicam significans, vt fiat publica habet vim libelli famosi, seu infamatorij, vt cornua ad ianuam alicuius apposita, quia eo significatur vxorẽ illius esse adulteram.

Hoc ergo supposito, conueniunt DD. conficientem libellum famosum de re graui, vel ad id concurrentem, peccare grauiter, quia grauiter lædit famam proximi.

Qui autem conficit libellum famosum, iure cõmuni potest excõmunicari, vt patet ex can. qui in alteriꝰ 5. q. 1 1. & qui edit, aut retinet, aut publicat libellum famosum contra Ordinẽ Dominicanorũ, & qui contra Ordinem Franciscanorũ, & qui contra Ordinem aliorum, qui cum illis communicant in priuilegijs, est ipso facto excõmunicatus iure cõmuni ab Alexandro IV. in cõstitut. quæ incipit Ex alto. Non verò ille qui id efficit contra Religiosos ipsos in particulari, nec contra alias personas, quamuis eminẽtia Cardinalitia, imò & Papali dignitate præditas.

Diffi. XIV. Quis teneatur ad restitutionẽ famæ?

CONVENIVNT DD. eum qui re ipsa proximum iniustè infamauit, siue quia falsum dixit, siue quia occultum manifestauit, teneri ad restitutionem famæ, nisi aliquo à restitutione excusetur, quia tunc verè damnificauit proximo in fama, & contra iustitiam, ergo si aliquo non excusetur, tenetur ad restitutionem famæ.

Addidimus primò in conclusione, *qui re ipsa proximum infamauit*, quia quamuis id intenderit, si tamen re ipsa eum non infamauit, vel quia ei non fuit adhibita fides, vel quia proximus erat antea publicè infamatus, siue quoad audientes, siue aliter, nõ tenetur ad restitutionem famæ, quia eam non abstulit.

Addi-

Addidimus secundò, *qui proximum iniustè infamauit*, quia si non infamauit iniustè, seu contra iustitiam, sed licitè, aut si illicitè, non tamen contra iustitiam, si sic fieri potest, non tenetur ad restitutionem.

Est autem restitutio famæ facienda apud eos, apud quos facta fuit detractio; imò etiam apud illos ad quos peruenit infamia ab audientibus detractorẽ, quando iste prudenter timuit detractionem referendam esse, vel publicandum esse defectum, quia tunc detractor fuit causa moralis huius vlterioris infamationis.

Sed an nón impediens detractorem, non solum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem, diximus dif. 9.

Diffic. XV. Vtrùm qui bona fide existimans defectum aliquem proximi esse verum, eum narrauit, teneatur ad restitutionem famæ ablatæ?

CONVENIVNT DD. eum, qui bona fide (& consequenter absque peccato) infamauit aliquem de eo narrando falsum, credens bona fide esse verum, aut publicando occultum credens bona fide esse publicum, teneri ad restitutionem famæ ablatæ, si absque graui incommodo, vel in propria fama, vel in bonis fortunæ possit. Ita Petr. Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 35. Rebell. libr. 4. q. 8. Lessius cap. 11. dub. 21. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 7. & Bonacin. q. 4. punct. 6. quia id exigit, aut charitas, vel potius misericordia erga proximum, aut iustitia, quia re ipsa intulit damnum iniustum, quamuis absque peccato, & potest facilè solis verbis illud remouere.

Est tamen difficultas, an teneatur ad id ex iustitia, an tantum ex charitate, vel ex misericordia.

Circa quam Rebell. Lessius, Layman, & Bonaci. existimant ad id teneri ex iustitia; quia ipse intulit damnum, & illud potest absque iactura aliqua solis verbis remouere. Vnde secundum eos tenetur ratione damnificationis materialis ob facilitatem remotionis damni illati, ex cuius facilitatis defectu nullus, tenetur ra-

tione tantum damnificationis materialis in damno diuitiarum, quia non potest fieri restitutio illius absque alio damno proprio in eis bonis.

Petr. Nauar. verò sentit, illum non teneri ex iustitia, sed tantum ex charitate, quod Lessius non iudicat improbabile, nec nobis displicet eum non teneri ex iustitia, sed ex charitate, vel potius ex misericordia, quando infamia est considerabilis. Et in primis non tenetur ex iustitia, quia non tenetur ratione rei acceptæ, quia nō habet famam illius, nec tenetur ratione damnificationis, quia non damnificauit vt homo, & illicitè, qui eo ipso se habet, quasi si non damnificasset. Quod verò teneatur ex misericordia probatur, quia infamator potest facilè solis verbis remouere infamiam proximo: ex misericordia autem quilibet tenetur remouere damnum considerabile proximi, quando facilè potest, præsertim ille, qui damnum intulit, quamuis tantum materialiter ob quod credimus ipsum primo loco teneri, quam quemlibet alium.

Difficult. XVI. Vtrùm infamator teneatur ad restitutionem famæ, si aliunde sit recuperata?

CONVENIVNT communiter DD. infamatorem iniustum nō teneri ad restitutionem famæ, si hæc aliunde reparata sit, nēpè vel bonis actibus ipsi⁹ infamati, vel grauium virorum testimonio, vel aliter. Ita Petr. Nau. c. 4. n. 372. Lessius c. 11. dub. 17. & Bonac. q. 4. punct. 12. quia tunc antea infamatus non caret sua fama, sicut qui abstulit equum, non tenetur ad restitutionem illius, si dominus eum aliunde recuperauit. Tenetur tamen infamator iniustus ad expensas necessarias, factas ad famę reparationem, si aliquæ factæ sint, quia infamator iniustus, qui eo ipso tenetur ad reparationem famę, etiam tenetur ad media necessaria ad illius reparationem.

Et ob rationē dictā, quando infamia tradita est obliuioni, & id prudēter iudicatur, infamator nō tenetur ad restitutionem famę: quia, scilicet, obliuione cessauit infamia. Regulariter tamen post viginti annos potest prudēter iudicari, infamiam fuisse obliuioni traditā: quod attētis varijs circūstātijs arbitrio prudētis discernendum est.

Diffic.

Diffic. XVII. Vtrùm infamator teneatur ad restitutionem alius damni ex infamia sequuti?

CONVENIVNT DD. quodcunque aliud damnum ex infamia falsa sequutum, esse integrè restituendum ab infamatore, siue damnum fuerit impeditio alicuius boni obtinẽdi, siue spoliatio boni iam habiti, quia infamatione illa falsa fuit causa iniusta illius damni sequuti, quia ob eam verè iniustam, & ob solam eam, infamatus priuatur bono.

Et idem dicendum est, quando damnum sequitur ex manifestatione defectus occulti veri, quãdo ea est quis publicè iniustè infamatus, & ob eam solam publicam infamiam tamquam ob motiuum damnificatur in alijs bonis, & non ob defectum manifestatum, quod scilicet, tunc infamator teneatur ad restitutionem totius illius damni, quia tunc ipse solus fuit iniustè causa totius illius damni media ea iniusta infamatione, ex qua generatur publica illa infamia, ob quam solam damnificatur.

Est tamen difficultas, an qui iniustè infamauit manifestatione defectus occulti veri, damnum tamen in alijs bonis non sequitur ob infamiam quamuis publicã ex ea manifestatione causatam tãquam ob motiuum, sed tantum ob defectum ipsum manifestatum tamquam ob motiuum, an tunc teneatur infamator ad restitutionem totius illius damni sequuti in alijs bonis.

Nauar. cap. 18. num 45. Petr. Nau. lib. 2. c. 4. n. 373. Less. c. 11. dub. 19. & Bonac. disp. 2. q. 4. punct. 16. docent, teneri ad restitutionem totius illius dãni, quia manifestatione iniusta fuit causa illius totius, quia ea manifestatione non facta, quãuis defectus occultus verè existeret, nullum fieret damnum in alijs bonis.

Sotus verò lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4. & non pauci Recentiores, docent, infamatorem tunc non teneri ad restitutionẽ totius illius damni. Et meritò, quia tunc non sola illa iniusta manifestatio cuius infamator est causa, conducit ad damnum, sed etiam defectus ipse occultus verus, cuius infamator nõ est causa, quia manifestatio est causa illi⁹ dãni tãquã applicatio defect⁹ mouẽtis ad dãnũ, & defectus ipse manifestatus tãquã causa obiectiue motiua, ergo manifestator qui tãtũ cõcurrit ad dãnũ, vt applicãs causam ad illud, quia tãtũ cõcurrit manifestatione, nõ tenetur ad restitutionẽ totius dãni, sed ad summũ ad restitutionẽ partis ad arbitriũ viri prudentis.

Addidimus, *Ad summum ad restitutionem partis*, quia vt optimè Lessius ipse postea cap. 12. dub. 18. num. 124. credimus, infamatoré illum ad nullius partis illius damni restitutionem teneri, quia non est iniusta causa, nec iniustè applicans causam illius damni, quia ex vna parte manifestatio illius defectus occulti vt facta collatori, vel vt perueniens ad collatorem, vel conseruatorem illius boni quo infamatus priuatur, non est iniusta, quia non est contra rationem collatori boni manifestare id cuius ignorantia reddit collationem, vel conseruationem boni ipsi inuoluntariam, ita vt eo cognito eam non efficeret, etiam si vt ad alios perueniens, si etiam ad alios perueniat, sit iniusta: & ex altera parte dicta manifestatio solum conducit ad illud damnum infamati, vt facta collatori, vel vt ad eum perueniens, qua ratione non est iniusta, & non conducit vt facta publica, seu vt ad alios perueniens, qua sola ratione est iniusta, quia vt supponimus in casu nostræ difficultatis non ob infamiam publicam, seu vt ad alios peruenientem, sed ob defectum ipsum priuatur infamatus.

Imò credimus, quòd quando manifestatione defectus occulti veri infamatus iniustè, quia publicè infamatus est, priuatur bono non solum ob defectum, sed etiam ob eam publicam infamiam, ita tamen vt ob solum defectum ipsum vere priuaretur, quamuis non attenderetur ad infamiam illam publicam, quia defectus ipse absque infamia est sufficiens ad eam priuationem, tunc infamator quamuis teneatur ad restitutionem famæ, non tamen ad restitutioné alicuius partis damni in eo alio bono quo priuatur, quia tunc ipse verus defectus ex parte damnificati se tenens, est causa sufficiens illius damni, & ob illum solum fieret, quamuis manifestatio illa non perueniret ad alios, nec fieret publica, qui antè iniustè est causa siue totalis, siue partialis alicuius damni, quod etiã iustè erat inferendũ quamuis non fuisset ea causa, non tenetur ad restitutionem illius damni.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, manifestationẽ defectus occulti veri etiam si fuerit iniusta, quia fuit publicè facta, concurrere iniustè, seu esse iniustam occasionem dicti damni, quia non concurrit vt est iniusta, quia tantum concurrit ad illud, vt peruenit ad collatorem boni, & vt sic non est iniusta, sed tãtum est iniusta, vt fuit publicè facta, & hac ratione non concurrit ad damnum, vt supponimus in difficultate. Et quamuis manifestatio illa vt facta collatori admitteretur gratis esse iniusta, non tene-

retur

retur infamator ad restitutionem totius damni, quia quamuis esset causa totius damni, non tamen ipsa sola, sed etiam defectus ipse verus se tenens ex parte damnificati. Imò posset alicui videri, quod tunc ad nullius partis restitutionem teneretur, si solum ob defectum ipsum manifestatum infamatus priuaretur. Et non etiã ob publicam infamiam, quia tunc manifestatio illa vt facta collatori, si esset iniusta, non esset iniusta comparatione illius damni, sed tantum comparatione famæ ipsa manifestatione vt collatori facta perditæ, quia defectuosus non haberet ius, vt non manifestaretur defectus verus, ne ob illum priuaretur bono, quia ob illũ iustè, & rectè, & voluntariè priuaretur à collatore. Sed tantum haberet ius ad id, vt non infamaretur in eo sistendo: ac proinde in eo casu forsam tantum teneretur ad restitutionem famæ perditæ ea manifestatione vt facta collatori, si vt gratis supponimus, vt sic esset iniusta, de quo legendus est Lessius num. illo 124.

Diffic. XVIII. Quomodo fama sit restituenda?

CONVENIVNT DD. eum qui aliquem iniustè infamauit ei defectum falsum imponendo teneri, quod dixit retractare, dicendo se falsum dixisse, quia tunc, id est, medium necessarium ad famæ iniustè ablatæ restitutionem; & ob eandem rationem, etiam teneri ad iurandum se falsum dixisse, si iuramentum prudenter iudicetur necessarium vt credatur. Imò sunt qui existiment teneri ad dicendum se fuisse mentitum, si necessarium sit vt credatur, quod nos credimus verum quando vere mentitus fuit (id est, quando id dixit sciens esse falsum) & infamiæ grauitas id exigit, & non aliter, quia sibi attribuere mendacium quamuis vere, est durum & graue, præsertim viro honorato in Hispania, ad quod nullus est obligandus, nisi pro restitutione famæ non multo minus grauis quam sit durum sibi attribuere mendacium in re graui.

Addimus, vt optimè Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. Lessius cap. 11. dub. 20. & Bonacin. disp. 2. q. 4. punct. 15. contra Nauarrum, & contra Petrum Nauar. & Clauem Regiam, præter iuramentum etiam teneri ad adhibendos testes veritatis, si aliquando sit necessarium, vt potest aliquando contingere, quia detractor tenetur ad restitutionem cum effectu: ad id tamen solum tenetur quando testes possunt adhiberi absque incommodo multo maiori quam

sit grauitas infamiæ auferendæ. Est tamen difficultas, quomodo restituenda sit fama iniustè ablata per manifestationem defectus occulti veri, conueniunt DD. posse in primis, tunc famam restitui vtendo æquiuocatione, aut restrictione mẽtali, vt si detractor dicat: quãdo hoc dixi de Petrõ existimabã me verũ dicere, re tamẽ melius cõsiderata inueni me inique fuisse loquutum, & ei iniuriã intulisse, quia totum hoc est verum adhuc in communi sensu: nihilominus hic modus restituendi famam, quamuis sit vtilis & sufficiens apud simplices, qui hunc modum restituendi famã non percipiunt, non tamen apud eos qui percipiunt, eo modo restituendi non falsificari quod dictum fuit, & ideò eo potius confirmabũtur in eo, quod illis fuit verè dictum. Deinde potest dicta restitutio fieri laudando infamatum, & ei reuerentiam exhibendo quãtum sufficiat, si fieri potest, vt tantum famæ & honoris eo acquirat, quantum detractione amisit, quod difficile continget.

Sed an possit licite restitui à detractore dicendo se fuisse mentitum, vel se falsum dixisse, vel se deceptum fuisse, non conueniũt DD. quia Azor lib. 5. cap. 9. quæst. 7. Turrian. disput. 53. dub. 2. & Bonacin. vbi supra, docent, hunc modum restituendi non esse licitum, quia id est contra veritatem, quia eis verbis in communi vsu & sensu in eo proposito, significatur à detractore quod fuerit mẽtitus, siue formaliter, siue materialiter, & in eo ab auditoribus accipitur communiter, & id sic significatum & acceptum, est cõtra veritatem, quia est falsum.

Petr. Nauar. verò cap. 4. n. 379. Lessius dub. 20. & Becanus q. 21. docent, eum modum restituendi esse licitum, si adsit rationabilis causa, qualis erit si omnibus pensatis non inueniatur alius modus restituendi sufficiens. Et meritò, quia licitum est ex rationabili causa vti restrictione mentali, & æquiuocatione, etiam in sensu non communi dum sit verus, dicta autem verba in casu difficultatis etiam sunt vera, quia manifestatio defectus occulti quãuis veri est illicita, quod autem est illicitum verè dicitur mendaciũ, falsum, & deceptio, vnde, id in eo sensu non est contra veracitatem. Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Non tamen est obligandus detractor honoratus ad dicendum se fuisse mentitum nisi rarissimè, quando scilicet, aliter non restituetur fama, & infamia illata, fuerit grauissima, quia durissimum est viro honorato, qui verum dixit obligari ad affirmandum se fuisse mentitum, præsertim cum probabilissimum sit id nõ posse licite dici.

Addi-

Addimus, vt contra plures & graues DD. aduertunt Syluest. verb. detractio, q. 4. Bañez q. 62. art. 2. dub. 1. Nauar. cap. 17. nu. 90. Petr. Nau. n. 415. Less. dub. 16. Turria. dub. 7. & Bona. c. pũc. vltim. nu. 14. quod quando non potest fama restitui, vel quando si potest non tamen sine periculo vitæ, vel sine alio magno incõmodo ob quod non fit obligatio illam restituendi, nõ esse obligationem illam recompensandi, media pecunia, quia fama non est pretio, seu pecunia æstimabilis, quia minima pars famæ est superior omni quantitate pecuniæ, quia bonum nomen est melius, & superius quã diuitiæ multæ, iustitia autẽ ex qua oritur obligatio restituendi, non obligat ad id quo non potest fieri æqualitas cũ damno illato, vel saltem cum parte illius.

Diffic. XIX. Vtrùm hæredes infamatoris defuncti, teneantur ad restitutionem famæ, si ipse non restituit?

NAVAR. Cap. 18. num. 46. Molina tractat. 4. disputat. 45. & Rebell. lib. 4 quæst. 11. docent, teneri, quia restitutio famæ potest fieri pecunia defuncti, & debet fieri quando aliter non fit, ergo hæredes infamatoris ad quos eius pecunia transiuit, tenentur ad recompensationem pecuniariam famæ, si aliter non est à defuncto facta, nec aliter fiat ab ipsis, vt aliquando fieri potest, laude & reuerentia non debita infamato, & et exhibita æquiualente famæ ablatæ, aut alio modo quo infamator defunctus posset.

Lessius verô cap. 11. dub. 21. Turrian. disput. 53. dubio 12. Becan. quæst. 23. & Bonacin. quæst. 4. punct. vltim. docent, non teneri. Et meritô, quia obligatio restituendi famam est personalis, sicut obligatio voti & iuramenti afficiens personam infamantem; & non realis, afficiens res, seu bona defuncti, quia nõ est obligatio ad aliquid dandum, cum restitutio famæ non possit fieri pecunia, sed est ad aliquid agendum: ergo quamuis pecunia, & reliqua bona defuncti transeant ad hæredes, non tamẽ obligatio restituendi famam, quia scilicet, non est annexa bonis infamatoris defuncti. Ad rationem ergo aduersariorum constat ex difficultate præcedente eius antecedens esse falsum.

Obseruandum est, quòd quamuis hæres infamatoris non teneatur ad restitutionem famæ, ob rationem dictam: tenetur tamē ad restitutionem damni realis in bonis fortunæ ex infamia sequuti, quia ea obligatio non est purè personalis, sed etiam est realis afficiens bona defuncti, quibus facienda erat restitutio ab ipso infamatore defuncto, ergo ad hæredem ad quem ea bona transeūt etiam transit ea obligatio ipsis annexa.

Est autem restitutio famæ facienda ipsi infamato, quamuis iam defuncto, quia fama etiam est bonum defuncti, & non est facienda hæredibus, nisi etiam ad eos transierit infamia: restitutio verò damni realis ex infamia sequuti facienda est ipsi infamato realiter damnificato, & ipso defuncto hæredibus ipsius, quia hi succedunt defuncto in omnia iura realia illius.

Diffic. XX. Vtrùm detractor obligetur ad restitutionem cum periculo vitæ?

CONVENIVNT DD. detractorem non teneri ad restitutionem famæ, non magni momenti, vt personæ particularis cuiuscunque sit, cum periculo vitæ, quia vita est bonum ordinis multo superioris quam fama, iustitia autem non obligat ad restitutionem cum iactura boni multo superioris.

Est tamen difficultas, an detractor obligetur ad id quando fama ablata est magni momenti vt illustris familiæ.

Sotus lib. 4. q. 7. art. 2. & Tolet. lib. 5. cap. 70. docent, obligari, quia tunc maioris momenti videtur fama illa, quam vita hominis vulgaris.

Caiet. verò q. 62. art. 6. Nauar. cap. 17. à num. 89. Turrian. disp. 53. dub. 6. Lessius cap. 11. dub. 15. & Bonacin. disp. 2. q. 4. punct. vltim. docent, non obligari, & meritò, ob rationem dictā, quia scilicet, vita est maius bonum, quam fama cuiuscunque particularis, & cuiuscunque familiæ quamuis illustris. Id tamen non tollit obligationem, quando ex infamia imminet alicui, vel aliquibus periculum iniustę occisionis, vel quando imminent grauia scādala, vt potest contingere ex infamia alicuius Principis, vel alicuius Reipublicæ, vel alicuius Religionis, vt aduertunt nonnulli ex auctoribus nostræ sententiæ, quia vita aliorum & grauia scādala nō sunt moraliter bona minoris momenti, quam vita detractoris.

Addi-

Addimus, vt aduertunt Sotus, Turrianus, & Bonacina, contra Nau. & Clauem Regiam, detractorem non obligari ad restitutionem famæ cum iactura propriæ famæ multo maiori quam dānum illatum famæ proximi, quia id est, contra æquitatem iustitię, quæ non patitur vt damnum illatum compensetur cum damno multo maiori, nempe duplo plus minus ve. Obligari tamen cum iactura quamuis aliquantulum maiori in propria fama, quia iustitia exigit vt damnum potius patiatur, qui iniustè damnificauit, quam qui fuit ab eo iniustè damnificatus.

Obseruandum tamen est, vt optimè Lessius num. 90. quod quamuis non sit obligatio exponendi vitam pro fama restituēda, est tamen licitum, non quia fama sit ordinis æqualis, aut superioris quam vita, sed quia restituere famam est actus virtutis iustitiæ & misericordiæ, & potest esse charitatis erga proximū, & est materiæ magni momenti, pro actu autem virtutis, & materiæ magni momenti potest licite exponi vita, sicut potest quis eam exponere pro ministrando grauiter infirmo quamuis non morituro ex ea infirmitate.

Diffic. X X I. Vtrùm obligatio restituendi famam tollatur condonatione infamati?

SVPPONIMVS, Posse aliquem dupliciter infamari vno modo, ita vt eius infamia non redundet in alios, vt quando quis infamatur tanquam fur, & ex eo nullus alius redditur suspectus, nec patitur aliud damnum, quia tunc infamia non aliter redundat in alios, nisi quod dicantur habere cognatum furem, quo nō redduntur suspecti, nec fiunt inhabiles ad aliquid: altero modo potest quis infamari, ita vt eius infamia redundet positiuè in alios, ita vt etiam iniustè damnificentur in fama, & maneant secūdario infamati: vt quando Religiosus infamatur tanquam sceleratus, ita vt Religio illius, quæ antea non erat suspecta, fiat plebi suspecta, vt regulariter contingit. Et quando pater infamatur tanquam Iudæus, quo filij manent inhabiles ad officia, & etiam fiunt suspecti, & quando filius etiam infamatur tanquam Iudæus, quo etiam pater fit suspectus.

Hoc ergo supposito, conueniunt primò DD. condonationem, seu

seu remissionem obligationis restitutionis famæ, quãdo infamia non redundat, secundario in alios etiam si condonatio fiat absque rationabili causa (& ideò condonatio fit venialiter illicita) sufficere tamen ad tollendam eam obligationem restitutionis, quia quilibet potest valide cedere iuri quod habet, vt sibi fiat restitutio in fama, quia quilibet est dominus suæ famæ.

Conueniunt secundò, condonationem obligationis restitutionis famæ factam à primariè & immediatè infamato quando infamia in alios redundat positiuè secundario, quia etiam iniustè damnificantur in fama: non sufficere ad tollendam eam obligationem restitutionis cuius fit condonatio, quia etiam si qui primariè est infamatus possit valide cedere iuri suo vt est ipsius, & vt ad ipsum attinet, non tamen iuri aliorum vt ad ipsos attinet, quia etiam illi habent ius vt ipsis satisfiat, quia etiam sunt iniustè damnificati, quamuis secundariè infamia iniustè illata ipsi primariè & expressè infamato, vnde quamuis dicta condonatio sufficiat, vt in omissione restitutionis famæ non fiat iniustitia ipsi primariè infamato, non tamen vt non fiat iniustitia alijs in quos dicta infamia secundariè, & positiue redundauit.

Addidimus, *validè*, quia quilibet potest valide cedere suæ famæ, vt ad ipsum attinet, etiã Religiosus, quia quilibet etiam Religiosus est dominus suæ famæ. Nullus tamen potest licitè cedere absque peccato veniali pusillanimitatis contra magnanimitatem quando non adest rationabilis causa ad id, iuxta ea quæ diximus difficult. 10.

Diffic. XXII. Vtrùm in restitutione famæ possit fieri compensatio?

SVPPONIMVS, Infamatum ab altero non posse absque iniustitia, vti compensatione illum alterum vicissim infamando, quia hęc posterior infamatio non est vera compensatio, nec satisfactio prioris infamationis, quia posteriore nõ decrescit prior, & ideò potius est vindicta, quæ nequit priuata authoritate fieri, quã vera satisfactio, posse tamẽ infamatum infamare suum infamatorem, manifestando veros defectus occultos illius, quando id est, necessarium, vt prior infamatio euanescat, vel impediatur, vel decrescat, vt contingit manifestando defectum infamatoris, ratione

cuius

cuius ei non adhibeatur fides, vt si infamatus dicat infamatorem esse mendacem, vel periurũ, quod potius erit destructio, vel impeditio, vel diminutio infamiæ, quam satisfactio, vel compensatio.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an postquam quis vicissim infamauit suum infamatorem, manifestando, videlicet, defectus falsos, aut si veros inutiles tamen ad impediendam, vel diminuendam infamiam sibi ortam, vel oriundam possit vterque vti compensatione non restituendo alteri famam, eo altero nolente restituere, quamuis neuter in ea compensatione consentiat; quod addimus, quia ex consensu vtriusque potest dicta compensatio fieri.

Circa hanc difficultatem Caietan. quæst. 62. artic. 2. Nauar. cap. 18. num. 47. Petrus Nauar. cap. 4. num. 293. Valent. disput. 5. q. 6. punct. 5. & Turrian. disput. 53. dub. 5. docent, non posse tunc fieri compensationem, sed eos vicissim teneri alteri famam restituere, quia ex vna parte omissio restitutionis famæ alterius non est vtilis omittenti, quia non auget famam ipsius omittentis ab altero ablatam, nec recompensat damnum ipsi omittenti in fama illatum, & ex altera parte fama alterius manet læsa, ergo est obligatio illam restituendi.

Sotus verò lib. 4. quæst. 6. art. 3. Angles in 4. de restitutione famæ, dub. 3. Tolet. lib. 5. cap. 70. Rebell. q. 13. Less. dub. 25 & Bonacin. q. 4. punct. vlt. docent, tunc posse fieri compensationem (seruata tamen æqualitate) & meritò, quia ratio ipsa dictare videtur, vt ei qui in bonis fortunæ, seu diuitiarum tenetur mihi satisfacere, & non satisfacit; nec vult, ego non tenear ei satisfacere in simil debito, v.g. si Petrus meas ædes incendit, & ego ædes ipsius, si Petrus non satisfacit mihi, nec vult, ego non teneor illi satisfacere, ergo si Petrus mihi abstulit famam, & nõ vult eam mihi restituere, ego nõ tenebor illi suam famam restituere, quia eadem est ratio in bonis famæ, & in bonis fortunæ, nec enim est aliqua disparitas sufficiens ad id concedendum in bonis fortunæ, & non in bonis famæ.

Quod autẽ omissio restitutionis famæ, non sit modo prædicto vtilis omittenti, & quod fama alterius maneat læsa, nihil refert, vt omittens restituere famã non deobligetur dum alter, non vult vicissim restituere, vnde quamuis damnum famæ propriæ non auferatur per infamiam alteri illatam, aufertur tamen obligatio ei satisfaciendi dum is non vult vicissim satisfacere.

Addi-

Addidimus in conclusione, *seruata tamen æqualitate*, quia si infamia quam alteri intulisti sit grauior quam infamia tibi illata, restituenda est aliqua pars famæ, ratione cuius infamia alteri non excedat tuam infamiam, si infamia illius potest per partes restitui. Quod si nequeat restitui per partes, vt contingit quando alterum infamasti de grauiori defectu, quam alter te, tunc non teneris restituere, sed potes non restituere, vt sic cogas alterum, vt tibi vicissim restituat famam quamuis minorem, sicut etiam alteri tibi debenti viginti aureos, & nolenti eos soluere potes torquem aureum illius pluris valentem quam tu habes retinere instar pignoris, vt eum cogas ad solutionem viginti aureorum: quód intelligo verum dum tibi debens viginti aureos sit potens per se, aut per hæredes soluere & nolit, quia si nequeat teneris ex eo torquo vendito, tibi acceptis eis viginti aureis reliquũ illi, aut suis hæredibus reddere.

Prædicta autem doctrina tantum habet locum quando infamia illi illata non redundat iniustè in alios; quia si redundat, teneris infamato famam restituere, non ob ius aliquod ipsius, sed ob ius illorum aliorum, quos secundarie & quasi mediate infamasti, & ipsi non te infamarunt.

Si tamen alteri intuleris damnum in bonis fortunæ, & ille te infamauerit, quamuis iste nolit tibi famam restituere, teneris dãno in eis bonis fortunæ satisfacere (etiam si oppositum sit probabile, & tutum in conscientia) quia damnum famæ non est in nostra sententia eis bonis compensandum.

Difficul. XXIII. Quid sit susurratio, & quomodo differat à detractione?

SVSVRRATIO Definiri potest, quod sit manifestatio defectus alterius alij tertio nociui, quo discordia inter eos seminatur.

Vnde susurratio est quædam detractio, & super eam addit seminationem iniustam discordiç, ac proinde supra malitiam detractionis contra famam illius alterius, addit alteram malitiam iniustitiæ contra concordiam, & aliquando duplicem, quia aliquando, non solum seminat discordiam positiuam, sed etiam aufert concordiam, quæ erat inter eos factos discordes: & ideó ex susurra-

ſurratione non ſolum oritur obligatio reſtituendi famam, ſed etiã auferendi diſcordiam, & aliquando etiam efficiendi concordiã, quando videlicet, præerat inter factos diſcordes: imò & ſatisfaciendi damnis realibus ortis ex diſcordia, ſi aliquando oriuntur, & fuerunt aliquo modo præuiſa à ſuſurrone.

Diffic. XXIV. Vtrùm honor ſit reſtituendus, & quomodo?

SVPPONIMVS, Primò, honorem qui eſt *teſtificatio excellētiæ alterius, ſiue verbis, ſiue alijs ſignis facta*, lædi per contumeliam, *quæ eſt obiectio, ſeu teſteficatio vilitatis alterius in præſentia illius*; quia obiectio vilitatis alterius, quamuis ſit vera, eſt poſitiua inhonoratio, adhuc quando nullus alius eſt præſens, & quando ea obiectio fit coram alijs, etiam læditur fama, quia læditur exiſtimatio circa excellentiam illius, quia generatur exiſtimatio circa malum illius, nempe circa vilitatem obiectam. Addidimus in definitione contumeliæ, *in præſentia illius*, quia teſtificatio vilitatis alterius facta in abſentia, qua etiam læditur honor, dicitur detractio, & non contumelia, quia ea obiectione potius intēditur læſio famæ quam honoris, & ea quaſi per ſe, tantum intenditur læſio famæ, obiectio verò vilitatis in præſentia, qua etiã quãdo fit coram alijs eam vilitatem ignorantibus læditur fama, dicitur contumelia, & non detractio; quia ea potius intenditur læſio honoris, ſeu inhonoratio, quam læſio famæ, ſeu infamatio, & ea obiectione quaſi per ſe tantum intenditur læſio honoris, de quo non nihil diximus dif. 1.

Supponimus ſecundò, in quo conueniunt DD. contumeliam eſſe peccatum, & iniuſtitiæ, quia ea iniuſtè læditur honor alteri⁹, & eſſe ex ſuo genere, ſeu obiecto peccatum mortale, id eſt, poſſe ex propria materia eſſe peccatum mortale, quando ſcilicet, materia eſt grauis: poſſe tamen eſſe tantum veniale, quando materia eſt leuis: imò etiam quando eſt grauis, ſi fiat abſque plena, & perfecta aduertentia, quia hæc generaliter requiritur ad peccatum mortale in quacunque materia, & cuiuſcunque ſpeciei: & omnes contumelias eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, vt diximus dif. 3. quia omnes honores, qui per contumeliam læduntur ſunt moraliter eiuſdem ſpeciei, & in cõtumelia poſſe eſſe multiplicem malitiam,

etiam

etiam diuersæ speciei; & esse ex suo obiecto grauiorē detractione diximus disp. 1.

Supponimus tertiò, in quo conueniunt Valencia, Molina, Filliucius, Bonacin. q. 5. punct. 1. & alij, contumeliam etiam ex plena aduertentia factam aliquando, non esse peccatum, vt potest contingere quando quis causa honestæ recreationis per iocum obijcit conuicium ei, quem non timet ægre laturum: & etiam quando parentes causa correctionis filios appellant asinos, aut fatuos; & quando superiores causa correctionis reprehendunt subditos.

His suppositis circa prius, an scilicet, honor per contumeliā læsus sit restituendus, conueniūt DD. pro damno famæ, quod per contumeliam aliquando aufertur, vt regulariter contingit, quando quis coram alijs vilitatem ignorantibus, contumelia afficit alterum, & nunquam, quando contumelia fit nullo alio præsente, restitutionem esse necessariò faciendam, vt patet.

Est tamen difficultas, an præcisè pro læsione honoris, siue nullo alio præsente, siue coram alijs facta, facienda sit restitutio aliqua.

Molina tract. 4. disput. 46. & Laymar. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 7. partem negatiuam tuentur, quia læsio illa honoris quamuis sit iniuriosa contra iustitiam nullatenus tamen damnificat, quia nullum relinquit damnum, esse tamen obligationem petendi veniam, vt animus inhonorati offensus placetur.

Caietan. verò q. 72. art. 3. Couarrub. 2. variar. cap. 10. num. 7. Lessius cap. 11. dub. 27. Turrian. disp. 53. & Bonacin. quæst. 5. punct. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia inhonoratio ipsa præcisè, & secundum se est vera damnificatio iniusta in honore, quia est vera & positiua inhonoratio, qua quis verè inhonoratur, & quousque ei damno satisfiat, & auferatur manet per modum habitus, & eo damno affectus manet inhonoratus positiuè; ergo est obligatio auferendi tale damnum, & ei satisfaciendi. Potest autem restitutio honoris omitti, aut differri voluntate saltem interpretatiua inhonorati, & alijs modis quibus id dicimus circa restitutionem famæ.

Ad rationem ergo aduersariorum, constat contumeliam esse veram damnificationem, & relinqui per modum habitus quousq; ei satisfiat.

Circa posterius quomodo, scilicet, honor sit restituendus, conueniunt

ueniunt Doctores, iniustæ inhonorationi satisfaciendam esse per exhibitionem honoris inhonorato factam, quæ potest multis modis fieri. Primò, cum honorificè salutando, aut compellando, qui modus regulariter sufficit superioribus erga inferiores, & illustribus erga plebeios, nisi inhonoratio fuerit notabilis, vt quando fit alapa, quia tunc exhibitio maioris honoris requiritur. Secundò, potest fieri, vel dandó honorificum locum inhonorato, vel eum adhibendo ad mensam, vel ei propinando, qui secundus modus regulariter sufficit etiam erga æquales, nisi quando inhonoratio fuit notabilis. Tertiò, humiliter petendo veniam cum signis doloris, quando non displicet ipsi inhonorato, vt aliquando contingit, qui regulariter requiritur in inferioribus erga superiores, & in plebeijs erga illustris. Imò ex vsu gentium est sufficiens pro quacunque inhonoratione facta, & cuicunque sit facta, nec maior requiritur ante sententiam iudicis: per hanc tamen poterit aliquo modò imponi maior, nempè petitio veniæ flexis genibus cum fune in collo.

Petitio ergo veniæ non semper est necessaria pro restitutione honoris, benè tamen aliquandò, vt contra nonnullos docent, aut supponunt communiter DD. tunc videlicet, quando inhonoratio est tanta vt ei non æquiualeat, nisi veniæ petitio: hæc tamen ex vsu gentium semper sufficit ante sententiā absque genuflexione, & absque fune in collo, non tamen semper absque illis, quando satisfactio imponitur sententia iudicis. Pro placatione verò animi præcisè nunquā requiritur, sicut nec pro placatione animi offensi pro furto rei suæ, vt contra Molinam, & Layman, & cōtra alios nostræ sententiæ, aduertunt Caiet. Couarr. Turrian. & alij, quia sicut animus fuit sola inhonoratione offensus, etiam poterit satisfactione facta pro inhonoratione placari.

Obseruandum est, quod quamuis ex inhonoratione, oriatur obligatio restitutionis non tamen ex omissione honorandi adhuc superiores, quia omissio honorandi non est contra iustitiam, quia non est honoris debiti, vel si debiti, sed non ex iustitia, sed tantum ex obseruantia, obligatio autem restitutionis tātum oritur ex læsione iustitiæ, non ex læsione obseruantiæ. Inhonoratio verò positiua est contra iustitiam, sicut omissio conseruandi res alienas non est contra iustitiam, est tamen illas destruere, & ideò destructio rei alienæ obligat ad restitutionem, non verò omissio

R conser-

conseruandi illam, quod si aliquando ex circumstantijs omissio honorandi fit quædam virtualis, seu interpretatiua inhonoratio, vt potest contingere, & contingit quando alijs honorantibus aliquem tu etiam præsens eum non honores, eum torrue, & impudenter aspiciendo, tunc ex ea omissione honorandi, seu potius ex ea positiua inhonoratione interpretatiua, oritur obligatio restituendi, sicut ex inhonoratione expressa.

Difficult. XXV. Quid sit derisio: & quomodo differat à contumelia?

DERISIO (Hispane, *mofa*) est actus quo alteri iocose obijcitur vilitas aliqua qua erubescit, & confunditur, quod si fiat verbis dicitur irrisio, & si fiat quibusdam factis, vt Nasi rugatione, vel labiorum extensione, dicitur subsannatio, & si alijs factis, vt iocosa percussione dicitur illusio.

Vnde derisio est quædam contumelia derisi, & super eam addit causationem erubescentiæ, & confusionis in deriso, ac proinde derisio supra malitiam iniustitiæ contumeliæ contra honorem, addit, aliam malitiam iniustitiæ erubescentiæ, & confusionis causatæ in deriso, imò in ea etiam, & sæpè reperitur malitia detractionis, & ideò ex derisione oritur obligatio, non solum restituendi honorem, sed etiam satisfaciendi damno confusionis, si aliquod remanet, quamuis tantum remaneat per modum habitus, & sæpè etiam restituendi famam.

DISPV-

DISPVTATIO XIII.

De restitutione ratione damni in bonis fortunæ.

Diffic. I. Quid sit furtum?

NONNVLLIS Definitionibus furti omissis, sic communiter definitur: *Furtũ est occulta rei alienæ acceptio inuito domino rationabiliter*. Dicitur *alienæ rei acceptio*, quia acceptio rei propriæ quamuis alteri commodatæ nõ est in rigore furtũ, saltem rei quatenus propriæ, quãuis sit aliqualiter furtũ, nẽpè rei quatenus cõmodatæ, quia tunc aufertur vsus rei, qui ad cõmodatariũ pertinet. Et dicitur *occulta*, id est, domino ignorante, in quo distinguitur à rapina, quæ fit domino sciẽte, & violentiã patiẽte, quia fit ipso inuito & expressè dissentiẽte; ac proinde patiente violentiam, aut expressè, aut saltẽ implicite, quia aliquando fit ipso tacente, sed violenter, quia tacet, aut ex metu, aut ex verecundia. Additur in definitione furti *inuito domino*, quia si ei non displiceat saltẽ implicite non erit furtũ. Additur *rationabiliter*, quia si displiceat absque ratione non erit furtum: ac proinde, qui in extrema necessitate accipit rem alienam, non committit furtum, quamuis domino rei displiceat, quia tunc ei displicet irrationabiliter.

Rapina ergo est acceptio rei alienæ per vim domino rei absq; ratione illatam. Retentio verò rei per furtum acceptæ, quãdo retinetur domino inuito rationabiliter, quamuis non dicatur absolutè furtum, dicitur tamen continuatio furti, seu furtum cõtinuatũ, & eadẽ proportione, retentio rei per rapinam acceptæ quãdo retinetur domino violentiam patiente, quãuis non dicatur absolutè rapina, dicitur tamen continuatio rapinæ, seu rapina continuata.

Est tamen difficultas, an furtum, & rapina differant specie morali, seu habeant malitias specie distinctas.

Gabr. in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. existimat nõ differre specie morali, sed tantum differre accidentaliter.

Reliqui tamen DD. existimant differre specie morali: & meritò, quia furtum tantum est iniustitia aduersus proximum circa

bona externa fortunæ illius; rapina etiam est iniustitia circa illius personam, eam violentia illata inhonorando, seu contumelia afficiendo, & aliquando etiam percutiẽdo, quæ sunt iniustitiæ specie diuersæ ab iniustitia circa bona externa fortunæ, quæ in simplici furto reperitur.

Vnde vt exprimit Molin. disp. 683. & indicant Petrus Nauar. lib. 3. cap. 1. n. 19. Less. ca. 12. dub. 2. & Layman lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 2. in rapina ad minus reperitur duplex malitia specie distincta, vna acceptionis rei alienæ, seu circa rem ablatam qualis etiam in simplici furto reperitur: & altera violentiæ illatæ qua ad minus inhonoratur persona cui illa rapitur. Addimus, *Ad minus*, quia aliq' ãdo etiam reperitur tertia iniustitia percussionis eiusdem personæ.

Furtum ergo, & rapina differunt specificè tamquam includens, & inclusum: quia rapina includit malitiam furti, & super eam addit malitiam contumeliæ, & aliquando etiam malitiam percussionis, vel æquiualentis ea proportione, qua adulterium distinguitur specie à simplici fornicatione, quia adulterium includit malitiam fornicationis contra temperãtiam, & supra eam addit malitiam iniustitiæ contra alterum coniugem.

Dicta tamen doctrina non tollit, quin rapina aliquando significetur nomine furti, & simplex furtum nomine rapinæ.

Diffic. II. Vtrùm furtum sit ex suo genere peccatum mortale?

SVPPONIMVS, Furtum esse peccatum iniustitiæ, quia est læsio proximi in suis bonis fortunæ, contra ius quod habet in illa, & ex suo genere, seu ex suo obiecto, seu materia esse minimũ omnium quæ committuntur contra alterum, quia bona fortunæ sunt minima omnium bonorum, quia bona corporis, & famæ, & honoris sunt multo maiora.

Hoc supposito circa difficultatem; conueniunt Doctores, furtum ex suo genere esse peccatum mortale, quia læsio facta per furtum, potest esse mortalis, seu grauis, vt contingit quando res, seu materia accepta per furtum est grauis, seu notabilis.

Addi-

Addidimus, furtum esse mortale ex *suo genere*, quia ex paruitate materiæ, aut ex defectu plenæ aduertentiæ, potest esse tantum veniale, vt patet.

Superest tamen difficultas, quæ quantitas requiratur, & sufficiat ad peccatum mortale in furto.

Nauar. cap. 17. num. 4. assignat pro materia requisita, & sufficiente ad peccatum mortale in furto dimidium argenteum, seu Iulium, seu regalem. Corduba vnum numum argenteum, seu regalem. Rebell. lib. 3. p. 1. q. 15. sect. 1. & Lessius cap. 12. dub. 6. assignant duos numos argenteos, quod probabile existimat Vazquez de restit. cap. 5. §. 1. dub. 5. Valen. tom. 3. disp. 5 q 10. pun. 5. assignat tres argenteos. Vega c. 129. casu 12. & alij assignant quatuor argẽteos, præsertim in Hispania. Alij assignant centũ argenteos, & alij centũ aureos. Petr. Nau. lib. 3. cap. 1. Becan. circa q. 66. q. 3. Bona. disp. 2. q. 8. p. 1. Vazquez vbi supr. Dian. tract. 3. Miscel. resolut. 57. & plures alij, existimant quantitatẽ in furto, iudicandam esse notabilem requisitam, & sufficientẽ ad mortale non secundum se, seu ratione sui, sed respectu, seu comparatione ad personas quibus fit furtum, quia si furtum est mortale, est, quia infert damnum notabile, ablatio autem eiusdem quantitatis, potest alicui notabiliter nocere, & non alij. Potest enim notabiliter nocere pauperi, & non valdè diuiti, ergo eadem quãtitas non est respectu omnium notabilis, sufficiens, & requisita ad mortale in furto. Ex auctoribus ergo huius sententiæ, Becan. Bonacin. & Diana, existimant respectu personarũ valdè diuitum, vnũ aureum esse materiam sufficientem & requisitam ad mortale, & respectu communium diuitum quatuor argẽteos, & respectu eorum, qui suo labore sustentãtur duos argenteos, seu regales: respectu verò personarum, qui mendicando viuunt dimidium regalem.

Nos tamen existimamus vnum aureum, plus minusvè ratione sui (ac proinde respectu cuiuscumque adhuc Regis) esse materiã notabilem sufficientẽ ad mortale in furto: & dimidium aureum, ratione sui (ac proinde respectu cuiuscumq; adhuc mendici) nõ esse materiam notabilem sufficientẽ ad mortale, octo verò argẽteos, seu regales, ratione sui (ac proinde respectu cuiuscũq;) esse materiam sufficientẽ & requisitam, ad peccatũ mortale in furto.

Et in primis, quod vnus numus aureus plus minusvè, sit ratione sui materia sufficiẽs ad mortale, (quod docet Turrian. disp. 33. dub. 2.) & quod sit sufficiẽs respectu cuiuscumq; (quod docet

Petr. Nauar. Becan. & Bonacin.) probatur, quia vnus aureus ratione sui est notabiliter vtilis cuicumque etiam Regi, siue ad victum, siue ad alendam familiam, siue ad stipendium famuli, siue ad subueniendum necessitatibus proximorum, siue ad alia. Imò omnibus, tam Regi, quàm pauperi, est intrinsicè ratione sui æqualiter vtilis, quia aureus ipse ratione sui est omnibus æqualis pretij, & valoris ad quodcumque, ergo ablatio vnius aurei ratione sui, & quasi intrinsicè, in ratione videlicet, ablationis, seu furti est notabiliter nociua, & omnibus æqualiter, etiam si ratione circūstantiarum personarum posit esse extrinsicè, seu alio extrinsèco damno nociuior vni, quàm alteri, pauperi videlicet, quàm diuiti, ergo furtum vnius aurei est ratione sui, & respectu cuiuscumque peccatum mortale. Et æquale respectu cuiuscumque in ratione furti, & quasi intrinsicè, etiam si extrinsicè, & in ratione alterius damnificationis superadditæ non sit æquale peccatum respectu cuiuscumque, quia in ratione huius superadditæ damnificationis, potest esse maius peccatū respectu vnius personæ, quàm respectu alterius, quia potest esse vni extrinsicè magis nociua, quàm alteri; imò potest vni esse extrinsicè nociua, & non alteri.

Ex quo constat contra Petr. Nauar. & alios, materiam furti intrinsicè, seu ratione sui iudicandam esse notabilem ad furtum mortale in ratione furti, non respectu personarum quibus fit furtum, sed ratione sui. Ad furtum verò mortale extrinsicè, seu ratione damnificationis superadditæ iudicandam esse notabilem respectu personarum quibus fit ex damno, videlicet, extrinseco, seu superaddito notabili, quod eis personis oritur ex furto. Vnde cōtingere potest, quod furtum in ratione furti sit veniale, & quod in ratione damnificationis extrinsicæ sit mortale: vt contingit in furto parum panis facto pauperi, ob quod nequit tota die comedere, & in furto acus facto sartori ob quod ei, cessat notabile lucrum. Et tunc excommunicatio maior imposita ob furtum, quādo aliquando imponitur, non incurritur ob illud, quia in ratione furti ob quod tantum imponitur excommunicatio maior, non est mortale, & è contra potest contingere, quod furtum in ratione furti sit mortale, & quod in ratione damnificationis extrinsicæ sit veniale, vt quando ex furto materiæ secūdum se notabilis, oritur aliud damnum extrinsecum leue.

Et quod dimidius aureus ratione sui, & quasi intrinsicè, non sit materia notabilis sufficiens ad mortale in furto in ratione furti,

ti, ac proinde, nec respectu pauperis (quod non firmiter iudicamus) ex eo credimus, quod ratione sui non videatur notabiliter vtilis, nec ad victũ, nec ad alia, præsertim his temporibus, in quibus pretium rerum non parum creuit.

Quod verò octo argentei ratione sui sint materia notabilis sufficiens ad mortale in furto in ratione furti : ac proinde etiam respectu cuiuscumque (quod formidolose iudicamus) ex eo credimus, quod octo argentei videntur cuicumque notabiliter vtiles ad plura.

Obseruandum est primò, in quo DD. cõmuniter conueniunt, furtum rei leuis posse fieri mortale, non solum ratione damnificationis extrinsicæ, seu superadditæ quando est grauis, sed etiam ratione scandali, quando alius ex eo prouocatur ad furtum graue, & quando dominus rei ex eo prouocatur ad peccatum mortale, vel odij, vel iracundiæ, vel ad aliud ; quia tunc fur suo furto est causa illius peccati mortalis scandalizato, vnde tunc non fit mortale malitia furti proprij, sed malitia, aut damnificationis extrinsicæ, aut malitia alterius peccati ad quod inducit.

Obseruandum est secundò, furtum materiæ notabilis posse fieri veniale, non solum defectu plenæ aduertentiæ, quod est generale peccato cuiuscumque materiæ, sed etiam ex defectu inuoluntarij in domino rei ablatæ, quando scilicet, dominus non est inuitus quoad substãtiam furti, sed tantum quoad modum, vt quando dominus non tam ægrè fert, quod ab eo accipiatur res, quã quod accipiatur non petita licentia, vel quod accipiatur ad ludum. Et quamuis tunc acceptio rei sit peccatum veniale : omissio tamen restitutionis illius nullum est peccatum, quia tunc res non retinetur inuito domino, etiam si ipso aliqualiter inuito fuerit accepta.

Diffic. III. Vtrùm qui pluribus furtis leuibus furatur ab eodem notabilem quantitatem, peccet mortaliter.

CONVENIVNT DD. eum, qui pluribus leuibus furtis peruenit ad notabilem quãtitem eiusdem domini peccare mortaliter retentione illius notabilis quantitatis, quam post vltimum furtum leue quo ad illam peruenit, incipit retinere. Ita tamẽ pec

cat mortaliter retentione illius, vt non teneatur sub mortali totam illam summam restituere, vt contra nonnullos aduertit Sancius lib. 7. cap. 21. sed sufficit ad non continuandum illud peccatum mortale, quod restituat quamcunque partem, qua restituta cessat retinere notabilem quantitatem, quia ea parte restituta nõ retinet notabilem quantitatem, vt supponimus: quod est verum, etiam si notabilis quantitas fuerit vno furto ablata, quia etiam tunc cessat retinere notabilem quantitatem.

Est tamen difficultas, an non tantum peccet mortaliter retentione illius notabilis quantitatis, sed etiam furto illo vltimo leui quoad eam notabilem quantitatem peruenit.

Nauar. cap. 17. n. 139. Tolet. lib. 5. c. 16. Lorca 1. 2. dispu. 60. Lessius cap. 12. dub. 8. & Becan. q. 4. docent, eum eo vltimo furto non peccare mortaliter, quia tale furtum est quantitatis leuis, & non continuatur cum furtis præcedentibus, quia iam non sunt, quando fit illud vltimum furtum.

Medina verò de restitutione, quæst. 10. Vazquez 12. dispu. 146. Rebell. lib. 3. part. 1. quæst. 15. section. 4. Sancius lib. 7. ca. 21. & Bonacina disputation 2. quæst. 8. puncto 2. docent, eum peccare mortaliter eo vltimo furto leui. Et meritò, quia quamuis furtum illud vltimum ratione sui sit quantitatis leuis, & non continuetur cũ prioribus, nihilominus eis prioribus pręsuppositis est cooperatio, & concausatio cum illis ad damnum notabile, quod continuatur vtpotè eidem, & ab eadem persona illatum.

Et ob hanc rationem non solum furtum illud vltimum, sed etiam alia priora furta leuia, sunt peccata mortalia, quia quodlibet eorum etiam est cooperatio ad damnum notabile, non minus quam vltimum furtum. Nihilominus sicut vt vltimum culpæ mortali imputetur necessaria est aduertentia qua aduertatur vltimo illo furto compleri notabile damnum, ita etiã vt priora culpæ mortali imputentur necessaria est aduertentia, qua præuideatur, aut prudenter timeatur, quod quolibet eorum cum alijs peruenietur ad notabile damnũ, quę rarò erit circa priora furta in eo qui quando ea committit non habet intentionem perueniendi ad damnum notabile.

Addunt Sancius, Rebell. Lessius, & Bonacin. maiorem quantitatem requiri, vt sit notabilis sufficiens ad peccatum mortale, tam furti, quàm omissionis restitutionis, quando aufertur paruis furtis eidem factis absque intentione perueniendi ad notabilem quan-

quantitatem notabili interuallo interpollatis, vt si inter primum, & vltimum interueniat spatium quatuor mensium, ac quando fiũt paruo interuallo, & tanto maiorem requiri ad peccatum mortale, quanto maior sit interpollatio inter illa, ita vt aliquando requisita sit dupla: imò tantam posse esse interpollationem inter illa, vt quando inter quodlibet interueniat spatium vnius anni, vt nec furta inter se, nec damna illata inter se, censeantur continuari, nec sufficere ad peccatum mortale, nec furti, nec omissionis restitutionis.

Hæc tamen additio, quamuis non careat probabilitate, nobis non probatur, quia credimus damnum ablationis, seu quasi intrinsecum moraliter continuari, si præcedentis non sit facta restitutio, etiam si inter parua furta sit maxima interpollatio, ac proinde tunc eamdem quantitatem sufficere ad peccatum mortale furti, & omissionis restitutionis, ac sufficit quando interpollatio est parua, etiam si quando interpollatio est magna, regulariter eueniant minora damna extrinseca incommodi, & lucri cessantis, & damni emergentis, ac proinde minora peccata extrinsicæ damnificationis.

Qui verò postquam vno furto, aut pluribus leuibus factis eidem, notabilem quantitatem substulit, furatur rem paruam eidem, non peccat mortaliter, furando illam, nec eam non restituendo, quia furtum illud non est cooperatio ad damnum notabile, quia iam præsupponitur factum, sed tantum illud efficit maius maioritate leui, & omissio restitutionis illius non cooperatur ad omissionem restitutionis rei notabilis, sed tantum ad omissionem restitutionis rei maioris maioritate leui, & multo maiori ratione, id est verum, quando quis furatur rem leuem ei cui alij iam substulerant quantitatem notabilem. Nihilominus si eo furto leui facto post ablatam quantitatem notabilem, & alijs furtis leuibus perueniat ad alteram notabilem quantitatem supperadditam priori notabili, peccat mortaliter quolibet eorum, sicut etiam peccat mortaliter quolibet furto leui ex prioribus quibus peruenit ad priorem quantitatem notabilem.

(§)

Diffic. IIII. Vtrùm plures, qui ab eodem auferunt notabilem quantitatem, singuli paruam, quilibet peccet mortaliter.

CONVENIVNT primô DD. quando plures ab eodem furantur notabilem quantitatem communi consensu, & quasi vna causa totalis, singuli paruam, quemlibet peccare mortaliter furando, quia quilibet est causa totius damni, partis ab ipso acceptæ, exequendo, & reliquarum inducendo socios, & sub mortali teneri ad restitutionem totius, ita vt ad restitutionem partis, quam quis furatus est, teneatur primo loco, ad restitutionem reliquarum secundo loco, in defectū eorum, qui eas furati sunt, iuxta generalem doctrinam traditam disp. 5. diffic. 11.

Conueniunt secundò, quando plures furati sunt ab eodem notabilem quantitatem, singuli paruam non communi consensu, nec quasi vna causa, nec conscij, sed inuincibiliter ignari furtorū aliorum, neminē peccare mortaliter furando, nec omittendo restitutionem, quia non cooperantur scienter ad furtum notabilis quantitatis, nec ad omissionem restitutionis notabilis quantitatis.

Est tamen difficultas, an quando plures non communi consensu, nec quasi vna causa, conscij tamen suis paruis furtis, furantur notabilem quantitatem, quilibet peccet mortaliter: procedit autem quando nullus eorum suo furto damnum antea illatum non notabile complet, seu efficit notabile.

Sanc. lib. 7. cap. 21. & Less. cap. 12. dub. 9. docent, & satis probabiliter, neminem eorum peccare morealiter, nec furando, nec omittendo restitutionem illius paruæ quantitatis, quia ex vna parte nullus eorum cooperatur per se, & simpliciter ad damnum notabile, totum attingendo, sed tantum per accidens, & secundum quid, attingendo paruum damnum partem magni damni, & ex altera nullus eorum suo furto partem non notabilem efficit notabilem, aut saltem id non scit, vt supponimus.

Medina verò de restitutione, q. 10. Vazquez 12. disp. 146. cap. 2. Couar. 1. variarum, cap. 3. & Bonac. q. 8. punct. 2. docent, quemlibet eorum peccare mortaliter, & furando, & non restituēdo: & meritò, quia quilibet suo furto quamuis rei paruæ, etiam si eo non compleat notabile damnum, iuuat tamen vt inferatur,

&

& retineatur damnum notabile, & est partialis causa illius, qui à-uis non per se attingendo totum illud, sed tantum per accidens attingendo solam partem, quod sufficit, vt sic iuuare sit peccatũ mortale, quia si iuuare ad damnum quamuis tantũ per accidens, est contra rationem, & peccatum, iuuare ad damnum notabile quamuis tantum per accidens, erit peccatum mortale. Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Peccat autem quilibet mortaliter suo paruo furto, quo iuuat ad notabilem quantitatem ab eodem domino ablatam, non verò eo quo iam supponit notabilem quantitatem ablatam, nisi eo & furtis aliorum, etiam perueniat ad alteram notabilem quantitatem, superaditam priori notabili quantitati.

Cessauit tamen obligatio restituendi sub mortali in quolibet eorum, qui suis paruis furtis iuuãt ad quantitatem notabilẽ, restituendo quantitatem, quam furatus est, imò restituta aliqua parte illius quantitatis, si ea parte restituta, non retineatur notabilis quantitas, sicut etiam cessat in eo, qui vnico furto furatus est notabilem quantitatem, restituendo eam quantitatem, qua restituta non retineatur notabilis quantitas.

Diffic. V. Vtrùm ille qui à pluribus furatur quãtitatem notabilem, à singulis paruam, peccet mortaliter.

CONVENIVNT Primò DD. sic furantem, qui non aduertit suis paruis furtis singulis peruenire ad notabilem quantitatem, non peccare mortaliter furando, nec retinendo ex defectu aduertentiæ, vt patet: peccare tamen mortaliter, non restituendo, si post furta facta aduertit, se retinere notabilem quantitatem, quia iam aduertenter retinet notabilem quantitatem, quamuis non vni tantum, sed pluribus.

Secundò, contra Angestum conueniunt communiter DD. sic furantem notabilem quantitatem peccare mortaliter, furando, & etiam retinendo, seu non restituendo, quando eam quantitatem furatur intentione eam furandi, & eam non restituendi, quia tunc intendit furari, & non restituere notabilem quantitatem, & executione ipsa, tam furti, quam non restitutionis infert, & omittit resti-

restituere notabilem quantitatem, quamuis non eidem, sed pluribus, & diuersis.

Est tamen difficultas, an qui absque intentione furandi notabilem quantitatem à pluribus à singulis paruam, illam furatur ad id aduertens, peccet mortaliter.

Graffis part. 1. decis. lib. 2. cap. 93. docet, sic furantem tantū peccare venialiter furando, mortaliter verò nō restituēdo. Quod autem tantum peccet venialiter furando (quod etiam docet Toletus lib. 5. cap. 16.) probatur, quia quodcumque furtum ex his, in ratione furti est leue, & non continuatur cum alijs.

Vazquez verò disp. 146. cap. 2. Sanc. lib. 7. cap. 21. Rebell. p. 1. lib. 3. q. 15. sect. 5. & Bonac. q. 8. punct. 2. docent, sic furantem peccare mortaliter, furando, & non restituendo: & meritò, quia sic furando, & non restituendo, infert notabile damnū, quamuis non eidem, sed pluribus diuersis, & illud non restituit.

Peccat autem mortaliter quolibet furto paruo eorum, quibus peruenit ad notabilem quantitatem, non autem eo quòd iam supponit notabilem quantitatem acceptam, nisi eo & alijs sequentibus, etiam perueniat ad alteram nobilem quantitatē, superadditam priori notabili.

Cessauit autem obligatio restituendi sub mortali, quamuis non restituat totam quantitatem, dum restituat eam, qua restituta non retineat notabilem quantitatem.

Addunt Sanc. & Rebel. (& non absque probabilitate) maiorem quantitatem requiri ad peccatum mortale, quando quis plura parua à diuersis furatur, ac quando ab eodem: & eo maiorem requiri quo à pluribus. Eorum tamen additio nobis non probatur, quia existimamus idem damnum ablationis, seu quasi intrinsecum fieri, & moraliter continuari respectu furis damnificantis, quando furatur à pluribus, ac quādo furatur ab vno tantum, quod autem illi quibus fiunt furta, sint minus inuiti quando sunt plures, & quò sunt plures, non sufficit vt ob id maior quantitas requiratur, si alias sunt sufficienter inuiti circa totam substantiam furti: quia quantitas, & ratio inuoluntarij, seu inuiti, sunt adeo disparatæ, vt minoritas inuiti non exigat maiorem quantitatem ad peccatum mortale, quàm quæ alias sufficiat, si ratio illa inuiti quantum ex se sufficiat: nec minoritas quantitatis exigat maiorem rationem inuiti, quia furtum paruæ quantitatis, quamuis domino maximè inuito, non est peccatum mortale, dum dominus

non

non prouocetur furto ad peccatum aliquod mortale.

Obseruandum est, quod quando imponitur excommunicatio maior non restituentibus damna illata, vel res ablatas, non incurritur, nisi ab eis qui mortaliter peccant non restituendo, quia excommunicatio maior tantum incurritur ob peccatum mortale, qui autem sic peccent; constat ex dictis in hac, & in praecedentibus difficultatibus.

Dif. VI. Vtrùm qui accepit rem suam, vel sibi debitam eam alteri subrripiendo peccet?

CONVENIVNT Cõmuniter DD. eũ qui accepit rẽ suam ex iustitia debitã, vel rẽ suã existentẽ apud alterũ absq; titulo aliquo iusto, v.g. cõmodati, vel pignoris, vel pretiũ illius rei, nõ teneri ad restitutionẽ, quia accepit, vel quod suũ est, vel quod sibi ex iustitia debetur: nihilominus accipiendo peccare, nisi existet tribus sequentibus conditionibus: prima est, quod res illa sit absque dubio accipiẽtis, vel ei sit debita ex iustitia, quia in dubio melior est conditio possidentis: ac proinde possidens nequit ea spoliari. Secũda est, quod nequeat eam rem acquirere via iuridica, siue defectu probationis, siue iniquitate iudicis, siue aliter, vel quamuis ea via possit, si non possit, nisi expensis extraordinarijs, vel notabili molestia, vel amissione considerabilis beneuolentiæ, vel fauoris. Et hæ duæ conditiones sufficiunt, vt ea acceptio fiat absque iniustitia contra eum à quo accipitur.

Tertia cõditio requisita, vt ea acceptio fiat licitè, seu absq; peccato est, quod acceptio fiat absque periculo scãdali, alias peccabit peccato scãdali, & quod fiat absq; periculo dãni alteri tertio inferẽdi: alias peccabit peccato iniustitiæ cõtra eũ tertiũ, & quod fiat absque periculo propriæ infamiæ, vt si accipiens habendus sit tamquam fur, alias peccabit peccato prodigalitatis suæ famæ.

Quarta conditio, vt acceptio licitè fiat est, quod res quæ accipitur sit propria ipsius accipientis, vel ipsius debitoris, à quo accipitur, alias accipiens peccabit peccato iniustitiæ contra eũ cuius sit illa res. Imò si debitor habeat alia debita, in acceptione est obseruandus ordo restitutionis à nobis assignatus disp. 7. ne fiat iniustitia alijs creditoribus.

Tenetur tamen, qui rem suã, vel sibi debitã vindicauit, monere

si

si commode posit, debitorem quod nihil debet, si adsit periculū probabile, quod ignarus acceptionis factæ à creditore, iterum soluet.

Quod verò accipiens posit publicè, & vi non considerabili, rem suam, vel sibi debitam accipere, quando aliter non potest eam acquirere, vel saltem absque dictis expensis, aut dictis molestijs, aut dicta amissione beneuolentiæ, & fauoris dicimus disp. 11. dif. 12. quando autem sit licitum ob necessitatem subrripere alienum, dicimus tract. de Charit. disp. 5. dif. 10.

Ex dictis constat. Primò, quod quando fertur excommunicatio contra eos, qui furati fuerint, vel pro furto futuro, non cōprehendit eum, qui accipit rem suam, vel rem debitoris sibi debitam, vel æquiualentem, quamuis non recipientem functionem, vt vas, vel equum, quando non potest commode rem suam, vel sibi debitam, vel æquiualentem recipientem functionem, vt triticum acquirere, quamuis via iuridica id potuerit acquirere, quia illa acceptio non est furtum, nec illum comprehendit excommunicatio, quando fertur contra eos qui furati sunt, vt restituant, & quia illa acceptio non est furtum, & quia prædictus non tenetur ad restitutionem, etiam si alias illicitè acceperit ex defectu alicuius conditionis ad licitam acceptionem requisitæ.

Constat secundò, quod famulus cui non tribuitur iustum stipēdium certo debitum ex iustitia, posit ex rebus sui heri sibi facere compensationem seruatis supradictis conditionibus. Illud autē censetur iustum, quod attentis consuetudine patriæ, & seruitij genere, & alijs circunstantijs taxatur à viro prudenti. Ei verò qui exiguo stipendio seruit, non coactus necessitate, sed liberaliter vt herum obliget, vel quasi obliget, vt ex gratitudine sibi conferat beneficia, qualiter regulariter seruitur Episcopis, & magnatibus, non debetur ex iustitia maius stipendium: addidimus nō coactus necessitate, quia sic coacto exiguo stipendio, seruienti debetur ex iustitia stipendium alias iustum, quia tunc non remittit liberaliter, excessum stipendij sibi debitum; remissio autem, seu condonatio nō liberalis, nullius est valoris, nisi famulus ille ad sui preces, vel alterius pro eo admissus sit ad seruiendum: quia tunc stipendio ad arbitrum prudentis minori potest conduci, quamuis hero sit non paruæ vtilitatis, quia operæ & merces vltroneæ vilescunt. De hoc tamen latius dicimus tract. de contract. disputation. 6.

Disp. c.

Difficult. VII. Quando filius peccet mortaliter, accipiendo bona patris.

CONVENIVNT DD. filium posse peccare mortaliter, accipiendo bona quorum pater habet dominium, vel vsumfructum, & sic peccando, teneri sub mortali ad restitutionẽ eorum, Est tamen difficultas in assignanda quantitate requisita, & sufficiente ad peccatum mortale, furti in filio ex bonis patris.

Circa quam DD. qui hanc rem attingunt, conueniunt, maiorem quantitatem requiri ad peccatum mortale in furto commisso à filio ex bonis sui patris, quàm ab extraneo: & meritò, quia pater aut non est reipsa inuitus circa substantiam furti, sed tantum circa modum, quia scilicet accipit non rogato patre, aliàs concesuro, & tunc nulla quantitas quamuis maxima, sufficit ad peccatum mortale, aut si est inuitus circa substantiã, non tamen circa totam, quia circa aliquid illius indeterminatè, non est inuitus saltem rationabiliter. Et ob rationem dictam, ad peccatum veniale furti in filio ex bonis patris, non sufficit quęcumque quãtitatis, quæ sufficit in furto commisso ab extraneo.

Quantitas ergo requisita, & sufficiens ad peccatum mortale furti in filio ex bonis patris, & ad peccatum veniale, taxanda est arbitrio prudentis, attentis statu patris, & filij, & diuitijs patris, & amore patris erga filium, & eo in quo filius expendit bona patris accepta, & materia ablata: quia à patre diuite plus potest filius quam à paupere auferri absque peccato, vel absque peccato mortali, (quia à patre diuite secundum nonnullos DD. non peccat filius mortaliter auferendo tres aureos) & à patre magnate plus potest filius absque peccato, vel absque peccato mortali auferre, quàm à patre non magni status: & à patre specialiter diligente filium, quàm à non sic diligente, & plus ad honestas recreationis, quàm ad compotationes. Et plus potest ex cibis, & potibus, vt ipse solus vescatur, & potet, imò & cum valde amico, quàm ex alijs materijs. Et idem ob eamdem rationem credimus de furtis factis à Religiosis, ex cibis & potibus monasterij, vt ipsi vescantur, & potent. Et filiæ regulariter, absque peccato accipiunt occulte ex bonis patris aliqua, quæ domui sunt necessaria, quæ pater non facilè concederet, quia regulariter pater non est inuitus, aut est irrationabiliter inuitus.

Filius

Filius autem qui accipiendo bona patris, peccat peccatõ furti inuito patre circa substantiam furti, tenetur ad restitutionẽ rei ablatæ, si extet, & si non extet, tenetur ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, si habeat, & si nõ habeat, tenetur post mortem patris in partione hæreditatis, computare quod subrripuit, nisi constet alios fratres tantumdem expendisse, aut nisi prudẽter præsumatur patrem condonasse, imò probabile est non teneri, si verisimiliter credatur, quod pater condonaret, si filius auderet rogare. Et ob hanc vltimam rationem probabile est regulariter excusari ab ea restitutione, præsertim quando non est sublata extraordinaria quantitas.

Addimus, vt aduertunt Less. cap. 12. dub. 13. & Bonac. disp. 2. quæst. 10. punct. 1. filium gerentem negotia patris, nisi id intendat gratis facere, posse non admonito patre, si ob verecundiam non audeat, præter alimenta accipere pro suo labore, & industria tantum, quantum daretur extraneo, si filio non gerente, alius, & non pater id esset facturus, & non gratis, nec minori pretio. Vsusfructus tamen huius lucri ad patrem pertinet vtpote boni aduentitij filij.

Diffic. VIII. Quomodo vxor peccet mortaliter accipiendo bona mariti?

CONVENIVNT DD. vxorẽ posse peccare mortaliter, accipiendo bona quorum maritus habet dominium, vel administrationem, & sic peccando, teneri sub mortali ad restitutionem eorum.

Est tamen difficultas in assignanda quantitate requisita, & sufficiente ad peccatum mortale furti in vxore ex dictis bonis mariti.

Circa quam conueniunt DD. maiorem quantitatem requiri, quam in furto commisso ab extraneo, ob rationem dictam in furto filij ex bonis patris, quia scilicet, maritus non est inuitus circa substantiam furti, sed tantum circa modum, quia scilicet, fit absq; eius licentia, & tunc nulla quantitas quamuis maxima sufficit ad mortale, aut si est inuitus circa substantiam, non tamen circa totã saltem rationabiliter. Et ob eandem rationem ad peccatum ve-

niale furti in vxore ex dictis bonis, non sufficit quæcumque quantitas, quæ sufficit in furto facto ab extraneo.

Quantitas ergo requisita, & sufficiens ad peccatũ mortale furti in vxore ex bonis mariti, & ad peccatum veniale, taxãda est arbitrio prudentis, attentis circunstantijs pro furto filiorum ex bonis patris adductis difficultate præcedente, præsertim amore mariti erga vxorem.

Vxor autem quæ accipiẽdo bona mariti, peccat peccato furti, quia scilicet maritus est rationabiliter inuitus circa substantiam furti, tenetur ex suis bonis liberis ad restitutionẽ, si tamen prudẽter credatur, quod maritus condonaret, si vxor auderet rogare, probabile est à restitutione excusari, quod si non habeat bona libera, tenetur ex alijs bonis, si habeat soluto matrimonio hæredibus mariti restituere, si maritus prius moriatur, & si ipsa moriatur prius, teneatur ipsi marito.

Nihilominus vxor potest ex dictis bonis mariti expendere ea, quæ suæ sortis expẽdere solent, tã ad eleemosynas, quã ad honestã recreationem, & ad alias donationes adhuc marito expressè dissentiẽte, vt aduertunt Less. dub. 14 & Bonac. disp. 2. q. 10. pũ. 2. quia totum id pertinet ad statum decentem vxoris, quem maritus sustentare tenetur, si commode potest.

Secundò, vxor potest ad prædicta expendere etiam dissentiente marito quantitatem sibi assignatam à marito ad honesta sibi placita, si aliquam habeat assignatam, quia vxor habet liberam administrationem illius.

Tertiò, quando maritus est amens, potest eas donationes facere, & ea expendere, quæ posset maritus, si nõ esset amẽs, quia tũc ipsa est administratrix bonorũ, sicut esset maritus. Imò quãdo maritus est absens, potest vxor ea expẽdere, quæ marit⁹ expẽderet, quia tunc vxor habet administrationẽ ex commissione mariti, dũ maritus aliud non exprimit. Nõ tamẽ potest plus sensibiliter expendere, quam maritus expenderet; quia tunc maritus dum aliud non exprimit, limitat commissionem ad id quod ipse faceret.

Quartò, vxor potest ex dictis bonis mariti expendere, quæ sunt necessaria sibi & familię, quia id nõ potest maritus rationabiliter recusare. Imò ex lucris suæ industriæ quando ipsa adduxit dotem competentem ad sui sustentationem, potest ad sibi placita expendere necessaria, vbi ea lucra non fiunt iure positiuo communia qualia non fiunt iure Cæsareo.

Quintò, vxor si sui parentes, aut filij ex alio marito, aut fratres grauiter egeant, potest ex sua dote, & ex medietate bonorum communium illis succurrere, tenetur tamen quæ ex bonis communibus illis dederit, in suam partem referre cum venerit ad partitionem.

Sextò, vxorem posse marito expressè non dissentiente, aliquid donare ad auertendum malum mariti: imò & posse eleemosynam moderatam vltra communes facere ad impetrandum à Deo cõuersionem mariti peccatoris, diximus tractatu de Charitat. disp. 5. diffic. 14.

Tandem septimò, vxor potest absque mortali ex dictis bonis mariti expendere ea quæ maritus rogatus condonaret, quia tunc expensio illa quoad substantiam non est contra voluntatem mariti, sed tãtum quoad modũ, in quo nõ reperitur grauis iniustitia.

Diffic. IX. Vtrùm seruus peccet mortaliter accipiendo bona domini?

CONVENIVNT DD. seruos, siue mancipia, siue non mancipia, posse peccare mortaliter accipiendo bona dominorum suorum: & sic peccãdo, teneri sub mortali ad restitutionem illorum.

Circa quãtitatem ergo requisitam, & sufficientem ad peccatũ mortale, existimamus, eam requiri, & sufficere, quæ ad peccatum mortale in furto facto ab extraneo, quia quoad hoc nõ est aliqua peculiaris ratio pro seruis in furtis ex bonis domini, qualis reperitur pro filio ex bonis patris, & pro vxore ex bonis mariti.

Excipimus vt optimè Sãcius lib. 7. c. 21. Less. c. 12. dub. 8. & Bonac. disp. 2. q. vlt. pũ. vlt. quod etiã si paruis furtis esculentorũ, & poculentorũ paulatim factis à seruis, vt ipsi consumãt, tandem perueniatur ad quãtitatẽ alias in extraneo notabilẽ requisitã, & sufficientẽ ad peccatũ mortale, eos non peccare mortaliter, quia domini (dum aliud non constat) non sunt censendi inuiti circa rẽ ipsam, seu circa substantiam, sed ad summum circa modum acceptionis absque licentia scilicet factæ.

Et idẽ quoad quãtitatẽ requisitã, & sufficiẽtẽ ad peccatũ mortale, & quoad dictã exceptionẽ, credimus de similib⁹ furtis factis à Religiosis ex bonis Monasterij, quia rationes adductæ pro dictis

ctis furtis seruorum, eadem proportione, currunt, pro furtis Religiosorum.

DISPVTATIO XIIII.

De Tributis, & vectigalibus.

Diffic. I. Quid sit tributum, seu vectigal?

TRIBVTVM, Seu vectigal generaliter acceptum, est pẽsio quæ Principi soluitur ad onera cõmunia sustentanda.

Pensio autem hæc varijs nominibus appellatur iuxta varietatem causarum, ob quas imponitur, quia pẽsio quę soluitur pro rebus in Prouinciam inuectis, specialiter dicitur vectigal, & etiam dicitur portorium, Hispane, *portazgo*: & etiam dicitur portorium, pensio, quæ soluitur pro transuectione mercium per pontes, pro conseruatione pontium.

Et pensio quæ soluitur à transeuntibus per aliquam viam pro custodia viarum, dicitur, *pedagium*, Hispane, *peage*.

Et pensio quæ soluitur pro rebus venditis, vel permutatis, dicitur, *gabella*, Hispane, *alcauala*.

Et pensio quæ singulis personis imponitur, ad eas solas attendendo, dicitur specialiter, *tributum*, & dicitur tributum personale, seu capitale.

Et pensio quæ imponitur personis ratione bonorum, quæ quis habet, habita proportione bonorum, ad ea attendendo, etiam dicitur specialiter tributum, & dicitur tributum reale.

Diffic. II. Qui possint tributa, seu vectigalia imponere?

CONVENIVNT Communiter DD. eos, qui in suis terris nullum superiorem recognoscunt (quales sunt Imperator, & Reges, & Respublicæ perfectæ, & alij Principes) posse tributa, seu vectigalia imponere, quia eis incũbit cura Reipublicæ, &

administratio illius, consonum ergo est rationi quod possint à Republica exigere tributa necessaria ad cõseruationem suę potestatis, & ad prospiciendũ Reipublicę, & ad gerendã curã illius, & nõ posse alios inferiores supremũ aliquẽ recognoscẽtes, nisi qui ab eo eam facultatem adepti sint, saltem cõsuetudine legitima, quia eis inferioribus non incumbit Reipublicæ prospicere, nisi cũ subordinatione ad supremum Principem: ac proinde, nec tributa Reipublicæ imponere, nisi ex præscripto Principis.

Inferiores autẽ qui absq; legitima authoritate noua tributa imponunt, vel vetera augent, & qui talia exigunt, non solum tenentur ad restitutionem, sed etiam incurrunt pœnam excommunicationis contentam in Bulla Cœnæ Domini, de quo videri potest Bonac. in explicatione dictæ Bullæ, q. 6. & 19. punct. 1. & 3.

Nihilominus, quamuis inferiores nequeant tributa imponere, oppida tamẽ quamuis superiorem recognoscentia possunt collectas, seu tallias (Hispane, *sisas*) imponere oppidanis pro necessitate aliqua publica oppidi.

Diff. III. Quæ conditiones requirantur, vt tributa, seu vectigalia iustè imponantur?

CONVENIVNT DD. præter legitimam authoritatem nõnulla alia requiri, vt tributa, seu vectigalia iustè imponantur.

Requiritur ergo primò, quod adsit iusta causa ad impositionẽ tributorũ. Est autẽ iusta causa ad id, necessitas, vel magna vtilitas ad bonũ cõmune, quando ei nequit aliter, quã tributorũ impositione cõmode prospici, vt quando hæc impositio est necessaria, vel valdè vtilis ad securitatem viarum, vel ad reparationem menium, vel pontium, & pręsertim ad defensionem patriæ, vel ad eius tranquilitatem, sicut ad tranquilitatem Hispaniæ conducit impositio Hispanis à Rege nostro, imposita ad defensionem Flãdriæ, & Siciliæ, & Italiæ: imò ad hanc impositionem sufficeret defensio iuris nostri Regis ad ea Regna, vtpotè nostri Regis, & nos gubernãtis, & nobis prospicientis, pręsertim, quia sic adiutus melius resistit hæreticis, & Turcis: & ad dictam causam reducitur necessitas congruæ sustentationis Principis, quando ei nequit subueniri, nisi impositione tributorum, quia sustentatio hæc debita est Principi, quia ei incumbit prospicere bono communi Reipublicæ.

Et

Et id credimus verum, quamuis necessitas impositionis tributorum contingat culpa Principis, vt quando sua culpa exhaustum est ærarium publicum, aut captus est in bello ex sua parte iniusto, & redimendus est, aut aliter incidit in inopiam, si ea inopia nociua sit bono communi. Tributa autem quæ imponuntur, quia Princeps sua culpa incidit in inopiam, tenetur Princeps restituere si possit.

Secundò, vt tributum iustè imponatur, requiritur, quod imponatur proportionatum necessitati ob quam imponitur proportione Arithmetica, id est, quod non imponatur maius, quàm necessarium sit, vt patet.

Tertiò, vt tributum iustè imponatur, requiritur, quod imponatur proportionatum subditis proportione Geometrica, id est, quod imponatur iuxta facultates, & lucra subditorum, nempè, quod ditioribus, & magis lucrantibus maius imponatur, & minus imponatur minus ditioribus, & minus lucrãtibus, quantum commode fieri possit.

Constat ergo, quod cessante in totum, aut in partem necessitate ob quam tributum fuit impositum, etiam debeat cessare tributum in totum, aut in partem, nisi superueniat noua necessitas, ob quam potuisset de nouo imponi, quia tunc continuari potest tributum, sicut necessitas illa ob quam fuit impositum continuatur in alia æquiualente.

Difficult. IIII. Quibus rebus possint tributa iustè imponi?

CONVENIVNT Doctores, tributa posse iustè imponi rebus, quæ ad lucrum, seu negotiationis causa venduntur.

Est tamen difficultas, an etiam iustè imponantur rebus, quæ venduntur ad vsum quotidianum, seu ad victum proprium vendentis, & suæ familiæ.

Caiet. ver. vectigal, circa initiũ, & circa finẽ, docet, nõ posse, quia in eorum impositione nequit seruari proportio Geometrica erga subditos, iuxta eorum facultates, & lucra, quia sæpè pauperes, & non lucrantes magis grauabuntur, quam diuites, & lucran-

tes, quia plura emunt ex alienis, & plura vendunt ex proprijs ad vsum, seu victum quotidianum. Et idem docere videntur Angel. verb. pedagium, n. 3 & Tolet. lib. 5. c. 73.

Medina verò de restitutione, q. 5. Nauar. cap. 17. Molina disp. 668 Vazquez cap. 6. §. 3. dub. 1. & Turrian. disp. 44. dub. 3. docent, posse eis rebus iustè imponi tributum quando id exigit vtilitas publica, quia ei nequeat aliter commode prospici: & meritò, quia si ob aliquam rationem non posset, maximè, quia in impositione tributi in eis rebus non semper seruaretur proportio geometrica, iuxta facultates, & lucra subditorum, hoc autem nō obstat, quia etiam si non semper seruetur ea proportio, quia aliquādo pauperes plura vendunt ad victum, regulariter tamen è contra contingit, nempè, quod diuites plus vendunt ad victum proprium, sicut & plus emunt ad illum, & pauperes minus vendunt ad illum, sicut ad illum minus emunt, quia minori sunt contenti. Leges autem, & consignationes nequeunt commode ferri, nisi pro eo quod implurimum accidit absque respectu ad hunc, vel ad illum casum: præsertim quando exceptiones aliquorum casuū sunt expositæ fictionibus, & mendacijs, vt in præsenti materia essēt expositæ, & ob id vniuersaliter rebus quæ vēdūtur imponūtur eadē tributa, siue vendātur ad negotiationē, seu ad lucrū, siue ad proprium victū. Addimus, quod quamuis in impositione tributorum eis rebus, quando venduntur ad victum, vt implurimum non seruetur proportio geometrica, non obstat, vt sit iusta ea impositio, quia non apparet alius suauior modus imponendi tributa, quam imponendi rebus quæ venduntur, ad quodcumque vendantur. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Diffic. V. Vtrùm sit obligatio in conscientia, soluendi tributa imposita?

SVPPONIMVS, Tributa iniusta non esse ex obligatione soluenda, quia eo ipso quod sint iniusta, non sunt debita. Vnde DD. qui existimant tributa imposita rebus, quę venduntur ad victum vendentis, non esse iusta, consequenter docent, non esse ex obligatione soluenda, quod probabile censet Bonacin. quæst. 9. punct. 1. n. 5.

Hoc

Hoc ergo ſuppoſito, difficultas eſt, an tributa iuſtè impoſita obligent in conſcientia, ſeu ſub peccato.

Angel. verb. pedagium, num. 6. Tabiena eodem verb. concl. 3. Nauar. cap. 23. num. 55. & 60. & Lazarus verb. vectigal, num. 2. docent, non eſſe obligationem in conſcientia ſoluendi illa, quia lex ſoluendi tributa, eſt pœnalis: imò regulariter eſt purè pœnalis abſque verbo aliquo præceptiuo, lex autem pœnalis, etiam quæ continet verbum præceptiuum, non obligat in conſcientia, ergo.

Medina verò, quæſt. 13. Caietan. verbo, vectigalia, Couarr. regula peccatum, part. 2. § 5. num. 5. Vazquez cap. 6. §. 3. dub. 2. Leſsius cap. 33. dub. 8. Layman lib. 3. tract. 3. cap. 3. & Bonacin. diſp. 2. quæſt. 9. punct. 1. docent, & meritò, tributa iuſtè impoſita ſoluenda eſſe in conſcientia, ſeu ſub peccato, quod ſatis ſignificat Paulus ad Roman. 13. dum ait: Reddite ergo omnibus debita cui tributum, tributū, cui vectigal, vectigal. Quibus verbis ſatis ſupponit Paulus, tributum, ſeu vectigal debitum eſſe Principi. Et ratione conſtat, quia Reſpublica ex contractu ſaltem tacito, dum eum eligit, vt ipſi Reipublicæ proſpiciat, eam gubernādo, & eius tranquilitatem procurando, aut conſeruando, tenetur illi ſtipendium, pro adminiſtratione conferre, & ſubſidium neceſſarium ad tranquilitatem, ergo tenetur ex iuſtitia commutatiua, quia hæc oritur ex contractu, ſed obligatio hæc Reipublicæ per aſsignationem tributorum, quamuis non præceptiuam diſtributa eſt, in eos quibus tributum aſsignatur, & rebus determinatis ex quibus ſoluendum eſt, ergo ex iuſtitia commutatiua tenentur ad ſolutionem tributi iuſtè impoſiti, ſeu diſtributi, quamuis non ſit impoſitum ſtatuto præceptiuo, ſed purè aſsignatiuo, ordinato in adimpletionem contractus cum Principe initi pro ſe, & pro ſua poſteritate, ſaltem dum fuit electus. Ex quo cōſtat ad rationem aduerſariorum.

Diffic. VI. Vtrùm tributum ſit ex obligatione ſoluendum, quando non exigitur?

DIFFICVLTAS Hæc procedit ex ſuppoſitione, quod ſit obligatio ſoluendi tributa, vt docet communior opinio.

Ex DD. ergo qui docent, tributa iusta esse soluenda ex obligatione in conscientia, non desunt, qui existiment, non debere solui non petenti, quamuis non petat, quia id ignorat. Ex quibus nonnulli id docent de tributo debito ob transuectionem, seu adductionem rerum, quod specialiter dicitur, *vectigal*, Hispane, *portazgo*; & alij de tributo debito ob venditionem rerum, quod specialiter dicitur, *gabella*, Hispane, *alcauala*, quia scilicet, durũ sit tributum soluere non petenti, quamuis non petat, quia ignorat sibi deberi.

Couar. verò regula peccatum, p. 2. §. 5. Corduba q. 95. dub. 1. Vazq. cap. 6. §. 3. dub. 2. Turrian. disp. 46. dub. 2. Less. dub. 8. & Bonacin. q. 9. punct. 1. docent, deberi solui quamuis non petatur: & meritò, quia ex vna parte est verè debitum ex iustitia commutatiua, & ex altera parte nulla durities apparet in eo quod soluatur, quod ex iustitia commutatiua debetur, quamuis non petatur, præsertim quando non petitur quia ignoratur.

Excipimus à dicta obligatione, soluendi tributum quod nõ petitur (vt aduertunt non pauci nostræ sententiæ) quando consuetudine receptum sit quod non debeatur, si non petatur. Est tamẽ necessarium, quòd hæc consuetudo perseueret consensu Principis, ipso scilicet, sciente, & non contradicente, quod de facto contingere, difficile existimamus, quia qui inuẽtus esset à iudice nõ soluisse, quamuis exactor non petijsset cogeretur soluere, imò etiam puniretur vbi pœna statuta fuerit pro non soluentibus.

Dif. VII. Vtrũ tributum sit ex obligatione soluendum; quando est dubium, an sit iustum?

PROCEDIT Difficultas quando post rem diligenter à peritis examinata, adest dubium purum, absque opinione probabili iustitiæ, & iniustitiæ illius, quia quãdo adest opinio probabilis iniustitiæ tributi, absq; opinione probabili iustitiæ illius, nõ est obligatio soluẽdi illud: & quãdo ècôtra adest opinio probabilis iustitiæ tributi absq; opinione probabili iniustitiæ illius, verè est obligatio soluẽdi illud. Imò contra Les. Bonac., & alios credim⁹, esse obligationẽ soluẽdi tributũ, quãuis etiã sit opinio probabilis iniustitiæ tributi, si etiam adsit opinio probabilis iustitiæ illius, quia superiori licite statuenti, qualiter opinione probabili ductus statuit,

ſtatuit, ſtandum, & obediendum eſt, vt diximus 1.2. diſputat. 4. diffic. 16.

Procedit ergo difficultas, quando poſt rem prudẽter examinatam adeſt dubium purum abſque opinione probabili iuſtitiæ, & iniuſtitiæ tributi.

Circa difficultatem ſic intellectam Vazq. c. 6. §. 3. dub. 5. Pet. Nauar. lib. 3. c. 10. n. 237. Leſ. c. 33. dub. 8. Turria. diſp. 46. dub. 6. & Bonac. diſp. 2. q. 9. pun. 1. docent, in eo puro dubio eſſe obligationem ſoluendi tributum, quia in eo dubio potius ſtandum ſit iudicio ſuperioris, quam inferioris.

Caiet. verò verb. vectigal, Aragon q. 62. ar. 3. Molin. diſp. 674. Layman lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 3. Gab. Salon, Sylu. & alij docẽt, in eo dubio non eſſe obligationem ſoluendi tributum: & meritò, quia in puro dubio melior eſt conditio poſsidẽtis: nec in puro dubio iuſtitiæ tributi poteſt Princeps illud imponere, & ſi imponat, non eſt ſtãdũ iudicio illius, quia tũc eius iudiciũ nõ eſt probabile, vt ſupponimus. Ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum.

Nihilominus addimus, tributum à probo & erudito Principe impoſitum, vel conſilio ſimilium conſiliariorum cenſendum eſſe iuſtum, & ſoluendum eſſe quando euidenter non conſtat eos relatione aliqua falſa, vel fundamento alio falſo nixos fuiſſe ad eam impoſitionem faciendam.

Diffic. VIII. Vtrùm Princeps qui nõ præſtat id, ad quod accipit tributum, teneatur ad reſtitutionem?

SVPPONIMVS, Principem non præſtando id ad quod accepit tributum, v. g. ad aſſecurandas vias, vel ad inferẽdum bellum, peccare & cõtra iuſtitiam, quia illud accepit ex pacto ad id, & etiam teneri ad reſtitutionem damni ſequuti ex omiſsione eius ad quod accepit tributum, quia ex iuſtitia tenetur primario ad id quo damnum illud impediretur, & vt impediatur damnum, ergo ſecundario tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti ex ea omiſſione, quia eſt cauſa moralis illius.

Eſt tamen difficultas, an etiam teneatur ad reſtitutionem tributi accepti.

S 5 Ga-

Gabriel in 4.distinct. 15.quæst.5.art.2.Angel.verbo,pedagium, num.8.Hostiensis,& Archidiaconus in cap. *Si quis Romipetas*,24. quæst. 3. docent, non teneri ad restitutionem tributi, quod etiam docere videtur Medin. C. de restitution. quæst. 14. §. *Aliud dubium*, dum ait: Principem in eo casu tantùm teneri, vel ad præstandum id, ad quod accepit tributum, vel ad restitutionem damni sequuti ex omissione, seu negligentia, quod nulla ratione probant.

Vazquez verò dub.4 Petr.Nauar.part.3.capit.1.dub.11. Turrian.disput.46.dub.4.& Bonacin.disput.2.quæst.9. puncto 1.docent, Principem etiam teneri ad restitutionem tributi accepti: & meritò, quia Princeps illud accepit ad prospiciendum bono publico,& ad liberandum subditos à futuris damnis, potius quam ad restitutionem,seu satisfactionem damnorum ex sua negligentia sequutorum, quia primario desiderant liberari à damnis,ne eueniant, ergo si nõ prospiciat bono cõmuni,& liberationi à damnis, tenetur primario ad restitutionem illius. Et non sufficit, quod satisfaciat damno ex omissione prospiciendi sequuto, quia primario accipit tributum ad liberandum subditos à damnis: ergo si eos non liberet,tenetur primario ad restitutionem tributi ad id accepti, & secundario ad satisfactionem damni sequuti, quia primario non accepit tributum, vt satisfaciat damnis ex sua omissione sequutis,sed vt liberet subditos à damnis, qui autem omittit id, ad quod aliquid accepit, tenetur ad restitutionem illius,quod accepit, & ea proportione, aut eo ordine quo illud accepit.

Vnde,quando Princeps non præstat id, ad quod impositum est tributum,subditi non tenẽtur illud soluere: ac proinde quando solet antea exigi,& exigitur si prudenter timeatur,quod Princeps non præstabit,possunt subditi fraudare tributum, quousque Princeps suo muneri erga illos satisfaciat.

Diffic. IX. Vtrũ ille cui Princeps debet, nec potest solutionem impetrare,possit fraudationẽ vectigalium sibi compensationem facere?

SVPPONIMVS, Licitam esse compensationem, quando ius ad tributum, vel in tributu non est alteri locatum, sed Princeps

ceps

ceps sibi recipit tributum, siue per se, siue per famulos.

Est tamen difficultas, an quando ius ad tributum est alteri locatum possit creditor Principis sibi compensationem facere nõ soluendo tributum.

Circa quam nonnulli existimant non posse, quia ius ad tributum post locationem, pertinet ad conductorem, & non ad Principem. Et alij existimant posse, quando antequam Princeps locaret ius ad tributum iam contraxerat debitum: & non posse quando Princeps contraxit debitum postquam iam locauerat ius ad tributum; quia tunc fieret compensatio ex bonis conductoris, & nõ ex bonis Principis debitoris.

Vazquez verò dub. 3. Petrus Nauar. lib. 3. ca. 1. part. 3. dub. 10. Molina disput. 674. Turrian. disput 46. dub. 3. Less. cap. 33. dub. 10. & Bonacin. punct. 1. absolutè docet, & meritò, posse fieri compensationem absque iniuria in conductorem, etiam si Princeps contraxerit debitum post locationem iuris ad tributũ, & in primis posse fieri compensationem absque iniuria in conductorem, quando Princeps contraxit debitum ante locationem sui iuris ad tributum, vel in tributu, probatur, quia tunc conductor nullum habuit ius in tributum subditi, quia tũc Princeps ea locatione non contulit ius aliquod conductori, quia tunc Princeps nullum habuit ius ad tributum subditi sibi creditoris, vel saltem illud non habuit expeditum, quia extinctum fuit, vel saltem impeditũ debito Principis contracto ante locationem, seu iure subditi creditoris contra Principem acquisito ante conductionem. Deinde posse etiam fieri dictam compensationem absque iniuria in conductorem, quando Princeps contraxit debitum post locationem probatur, quia etiam tunc conductor non habet ius aliquod in tributum subditi creditoris Principis, quia ius proximum, seu vtile quod locatione confertur conductori, semper & continuè dependet ex dominio, vel quasi dominio locatoris, sicut quando nõ est translatum, & est in domino pendet in suo conseruari in ipso domino ex eo dominio, vel quasi dominio, sed in casu debiti Principis locatoris, etiam contracti post locationem, in ipso Principe est extinctum, vel saltem impeditum dominium, vel quasi dominiũ Principis in tributu sibi creditoris, ita vt ex eo nõ posset cõseruari in ipso Principe ius illud proximum; seu vtile non facta locatione, ergo quamuis facta fuerit locatio ante contractum debitum Principis, ius illud proximum in tributu locatione translatum

tum in conductorem, non perseuerat in eo sicut non perseueraret in ipso Principe, quia solum transfert, &, conseruat in conductore quod esset, & conseruaretur in seipso; quia ius proximum locatione translatum non minus pendet in conseruari in conductore, quam in ipso locatore.

Nihilominus si Princeps venderet, aut donaret, aut aliter transferret dominium, vel quasi dominium in tributu, vt aliquando efficit Princeps, tunc læsus à Principe, vel aliter creditor non posset vti compensatione fraudando tributum, si Princeps contraheret debitum post venditionem, vel aliam translationem dicti dominij; quia tūc dominium, vel quasi dominium, illud ex quo oritur ius illud proximum, seu vtile, iam non erat Principis, sed emptoris, vel donatarij, vel alius in quem Princeps illud transtulit, ac proinde non posset fieri compensatio absque iniuria contra hūc. Si tamē Princeps contraheret debitū ante translationem dicti dominij posset absque iniuria in secundum dominum vti compensatione, quia tunc dominium illud, vel quasi dominium ex quo oritur, & conseruatur ius proximum, seu vtile tamquam passio ex essentia, esset extinctum, aut impeditum in primo domino ante contractum translatiuum, ac proinde non posset illud transferre saltem expeditum, & ob id absque iniuria aliqua contra secūdum dominum posset fieri dicta compensatio.

Difficult. X. Vtrùm emptor mercium teneatur ad soluendum tributum ex eis mercibus, quando venditor illud non soluit?

CONVENIVNT DD. non teneri quando tributum non est pars aliqua, seu portio mercium, v.g. decima, vel vigessima, sed est alia res distincta à mercibus, v g. pecunia, quia tunc tributum non est onus annexū rei quæ emitur, quod simul cum re empta trāseat ad emptorem, sed est onus personale affixum personæ vendenti, quamuis ortum ex venditione mercis.

Est tamen difficultas, an quando tributum debitum est pars aliqua mercium, teneatur emptor partem illam soluere, quando venditor eam non soluit.

Molina

Molina disputat. 675. Lessius cap. 33. dub. 9. & Bonacina disputat. 2. quæst. 9 puncto 1. docent, non teneri, quia ex vna parte debitum soluendi tributum pertinet ad venditorē, non ad emptorem, ex altera parte dominium mercium quoad omnes earum partes transit ad emptorem.

Syluest. verb. gabella, num. 18. docet, teneri (quod probabile iudicat Lessius) & meritò, quia debitū illud, seu onus tributi est reale, immediatè affixum ipsis mercibus, quia Princeps habet ius ad aliquam partem earum, quamuis indeterminatam, hanc videlicet, vel illam, res autem transit cum suo onere ad quemcumque dominum, seu possessorem perueniat, vt dicitur in ca. *cum non sit*, de decim. ob quod in eo cap. dicitur: *Fructus non decimatos non posse alienari, absque onere decimandi illos.*

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, debitum soluendi tributum, ad venditorem pertinere primario, & per se, & non ad emptorē, nisi per accidens, & in defectū venditoris, quando scilicet, venditor illud non soluit, & etiā cōcedimus, dominiū mercium quoad omnes earum partes transire ad emptorē. Id tamen non tollit, quod in Principe sit ius ad aliquā partem indeterminatam earum, sicut etiam erat in eo, quando earum dominium erat in venditore: sicut etiam tributum Hispane, *portazgo*, quod quis debet ob adductionem mercium etiam non venditarum, est debitū Principi, & Princeps habet ius ad illud, quamuis qui merces adduxit, sit earum domin⁹: dominium enim quod quis habet in re aliqua non est incompossibile cum iure alterius ad eādē rē.

Diffic. XI. Vtrùm fraudans tributum debitum ratione rei quam vendit, possit eam vendere pretio ordinario?

NON Desunt qui existiment, non posse eam rem pretio ordinario, seu currente vendere, sed tantum minore, quia pretiū ordinarium rei taxatur, attendendo ad onus soluendi tributum, qui autem illud non soluit, non subit onus illud.

Lessius verò c. 33. dub. 10. docet, posse eā rē pretio ordinario vendere: & meritò, quia res vendita quāuis absque solutione tributi, non minus valet, quā vēdita soluendo tributū: ergo vendi

potest

potest pretio ordinario, quo venditur res, tributum soluendo. Et confirmatur, quia pretiũ rerũ siue cõmuni æstimatione, siue taxatione Magistratus constituendum est ratione oneris cui res communiter est subiecta, etiam si res aliqua per accidens onus illud non subeat. Ex quo patet ad rationem aduersariorum.

Ex quo constat, exemptos à tributis vendentes res absque solutione tributi posse non minoris eas vendere quam tributarios.

Difficult. XII. Vtrùm actor, seu officialis mercatoris transigens cum gabellario, possit sibi retinere quod ex tributo ademit ratione transactionis?

CIRCA Quam vt optimè Bonac. quæst. 9. punct. 1. existimamus, eum qui absolutè & absque limitatione est actor, seu officialis mercatoris, non posse sibi retinere id tributi quod soluisset gabellario ob adductionem, vel venditionem mercium heri sui, & non soluit ratione transactionis cum eo, quia actor id tenetur ex iustitia efficere in gratiã mercatoris, ratione officij actoris illius. Et idem dicendum est de eo, qui id efficit ex mandato mercatoris, quia mandatarius operatur ratione mandantis, & in gratiam illius.

Si verò quis non sit actor mercatoris, nec habeat mãdatum illius ad transigendum, poterit illud sibi retinere, quia tunc non tenetur ex iustitia ad eam transactionem in gratiam mercatoris, etiam si alias sit famulus illius, nec est inhabilis ad transigendum sibi cum gabellario, seu ad emendum sibi à gabellario ius ipsius gabellarij ad tributum mercatoris: ac proinde poterit sibi retinere, excessum, quem soluisset pro mercatore, si non transegisset. De quo legendus est Less. dub. 11.

Diffic. XIII. Qui sint immunes à tributis?

CONVENIVNT DD. Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, & earum res esse immunes, seu exemptas à solutione tributorum,

torum, in cap. *quamquam*, de censib. in 6. & in l. *Presbyteros*, C. de Episcop. & Cleric. & in Bulla Cœnæ excommunicat. 18.

Nomine autem Ecclesiarum etiam intelliguntur pia loca, & hospitalia, quia in cap. *non minus*, de immunitate Ecclesiastica, fit mētio bonorum pauperum, id est, quæ pijs vsibus sunt deputata, & nomine personarum Ecclesiasticarum intelliguntur Clerici nō tantum in sacris, sed etiam in minoribus constituti, & etiam sola prima tonsura initiati, quamuis coniugati, vt significatur in dictis iuribus.

Consuetudine tamen antiqua scienter, & tacitè saltem cōsentiente Summo Pontifice excipiuntur à dicta immunitate Clerici coniugati, qui non sunt Græci, & etiam non coniugati, qui nō sunt in sacris, & non habent beneficium, nec vlli Ecclesiæ deseruiunt ex mandato Episcopi.

Et nomine personarum Ecclesiasticarum non solum intelliguntur prædicti Clerici, sed etiam Religiosi, quamuis nec prima tonsura insigniti, & non solum professi, in quo DD. conueniunt, sed etiam nouitij, vt contra Lasarte aduertunt Molina disp. 670. & Turrianus disp. 44. dub. 4. quia verè pertinent ad communitatem Ecclesiasticam, ob quod gaudent priuilegio fori. Vnde multo melius intelliguntur, qui in nostra Societate tria vota simplicia post biennium emiserunt (in quo deceptus est Lasarte) quia eis votis fiunt propriè, & substantialiter religiosi, sicut professi eiusdem Societatis, & aliarum Religionum.

Nihilominus Ecclesiastici (sub quibus etiam comprehendimus Ecclesias) in aliquibus casibus non sunt exempti à tributis. Primò, quando Ecclesiastici negotiantur, quia ex eis quæ deferunt, aut vendunt negotiationis causa, tenētur soluere tributum, vt constat ex dicto cap. *quamquam*, quod est verum quamuis non sint admoniti, vt abstineant à negotiando, dicitur autem quis negotiari, quando emit rem, vt eam immutatam carius vendat.

Secundò, quando possessio aliqua antequam veniat ad Ecclesiasticum, est annexa alicui oneri tributi merè reali ipsi rei conuenienti, & non ratione personæ, quæ illam possidebat, quia res trāsit cum suo reali onere.

Tertiò, quando fit aliquid primario & principaliter in vtilitatem Ecclesiasticorum, quamuis etiam fiat in vtilitatem laicorum, vt quandò necessarium est, aliquid efficere, ne flumen aliquod inundet agros Ecclesiasticorū, quamuis etiam laicorum, & quando

do necessarium est reparare viam aliquam vicinam agro Ecclesiasticorum, quia aliter nequeunt plaustra ducere ad illum. Addidimus, *primario & principaliter*, quia pro reparatione pontium, & viarum publicarum, & murorum oppidi, & similium, quæ primario & principaliter spectant ad communitatem, nõ tenentur Ecclesiastici tributa soluere, vt contra non paucos, præsertim iuris ciuilis peritos docent, Lessius cap. 33. dub. 3. Bonacina disp. 2. quæst. 9. punct. 2. & communiter Theologi, & Canonistæ, quia reparatio prædictarum rerum tangit primario & principaliter cõmunitatem, non personas Ecclesiasticas, sed tantum secundario, generaliter, & minus principaliter, quatenus scilicet sunt membra communitatis.

Quartò, quando facultates laicorum non sufficiunt ad succurrendum publicæ necessitati, tenentur Ecclesiastici ad contribuẽdum: ad hoc tamen olim tantum exigebatur, & sufficiebat consensus Episcopi, & Cleri, vt constat ex cap. *non minus*, de immunitate Ecclesiarum. Iam verò requiritur consensus Summi Pontificis, vt constat ex Bulla Cœnæ Domini, & ex cap. *aduersus*, de immunitate Ecclesiarum, nisi sit periculum in mora, quia tunc sufficit consensus Episcopi, & Cleri, pro non exemptis ab Ordinario; pro exemptis verò consensus suorum superiorum.

Obseruandum est, vt ex alijs obseruat Bonacin. Principem sæcularem non posse sua authoritate compellere Ecclesiasticos ad solutionem dictorum tributorum, quia non habet authoritatem supra illos: posse tamẽ executionem facere in eis rebus quibus antequam venirent ad Ecclesiasticos annexum erat onus soluendi tributum, quia quoad hoc non sunt exemptæ.

Sunt autem Ecclesiastici exempti à tributis iure Ciuili, & Canonico, non iure Diuino sumpto in rigore, vt aduertunt Medina de restitut. q. 15. Couar. lib. 1. practicarum quæstionum, cap. 31. Less. dub. 4 & plures alij. Addimus, *Sumpto in rigore*, quia in aliquo sensu dicta exemptio facta est iure Diuino, quia facta est ob reuerentiam erga Deum, quia personę Ecclesiasticæ sunt ministri Dei, & in Ecclesijs Deus specialiter seruitur, & adoratur.

Nihilominus quamuis dicta exemptio non sit facta iure Diuino in rigore sumpto, nihilominus nequit à Principibus auferri, tum quia facta fuit ab illis, nõ tam iure, seu lege, quàm donatione in perpetuum, tum etiam & principalius, quia etiam facta est à Summis Pontificibus, quorum ius nequeunt Principes reuocare.

Qui

Qui autem tributa imponunt Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis, aut eorum bonis, quamuis patrimonialibus, vel illa exigunt, incurrunt excommunicationem maiorem, non reseruatam in ca. quamquam, de censib. in 6. & reseruatam Sũmo Pontifici in Bulla Cœnæ Domini, in hac tamen non imponitur exigentibus tributa non imposita, sed tantum imposita.

TRACTATVS DE CONTRACTIBVS.

DISPVTATIO I.

De Contractibus in genere.

Diffic. I. Quid sit contractus?

IN Primis, cõtractus propriè strictè, & in rigore sumptus, *est vltro citroque obligatio*, ita definitur ab Vlpiano l. 19. *Labeo*, ff. de verborum proprietate. Definitio hæc nõ intelligitur formaliter, quasi contractus sit formaliter obligatio: sed intelligitur causaliter, quia scilicet causat, seu parit obligationẽ. Contractus igitur formaliter est, signũ practicum vltro citroque obligationem ex consensu contrahentium pariens. Obligatio autem est vinculum iuris quo adstringimur ad aliquid, vbi nomine iuris quodlibet potest intelligi, siue naturale, siue positiuum.

Secundò, contractus latius, & minus propriè sumitur pro pacto, ex quo oritur obligatio solum ex altera tantum parte, vt significatur in lege *si donationis*, C. quod metus vè causa: & in l. *si quis emptionis*, C. de præscript. triginta annorum. Et in hac secunda acceptione etiam donatio quæ incipit à promissione acceptata, est, & dicitur contractus, quia est tractus voluntatum duorũ, in quorum vno inducitur obligatio. Addimus, quæ incipit à promissione acceptata, quia donatio quæ incipit à traditione rei, nõ est contractus, in hac secunda acceptione, quia ex ea donatione vt sic non oritur obligatio.

Tertiò, cõtractus latissimè sumitur, pro quocumque pacto, seu conuentione, siue ex eo oriatur obligatio, siue non: vt significatur in dicta lege, *si donationis*, & in hac tertia acceptione etiam donatio acceptata incipiens à traditione, est, & dicitur cõtractus, quia est verum pactum, seu vera conuentio tradẽtis, & recipiẽtis, quia pactum vt ait Vlpianus lege prima, ff. de pactis, *est duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus*, id est reciprocus, seu mutuus consensus circa idem, vnde cõtractus in hac tertia acceptione coincidit cum pacto.

Obseruandum est, vnum contractum posse discerni, seu dignosci ab altero, vel ex materia circa quã ipsius, vel ex obligatione, quæ ex effectus proprius ipsius contractus, quod si materia sit indifferens ad plures contractus, tunc natura, seu essentia ipsius contractus, dignoscenda est ex intentione declarata contrahentium, qua intendunt hunc, vel illum cõtractum efficere, & ex obligationibus quibus obligari intendunt.

Diffic. II. Quotuplex sit contractus?

IN Primis, contractus alius est nominatus, alius innominatus: nominatus dicitur, qui gaudet proprio, seu speciali nomine, quo ab alijs dignoscitur, vt emptio, venditio, mutuum, locatio, & alij: innominatus dicitur, qui non gaudet proprio, seu speciali nomine, sed tantum generico: huius autem contractus quatuor sunt species: nẽpè do vt des; do vt facias; facio vt facias: facio vt des; qui omnes gaudent nomine generico permutationis: & in dubio, an contractus sit nominatus, an innominatus, censendus est innominatus, ex l. 1. & 2. ff. de præscript. verb.

Secundò, contractus alius est respectiuus, alius non respectiuus. Respectiuus, seu reciprocus, seu mutuus est, qui mutuam parit obligationem in vtroque contrahente, vt contractus emptionis, & venditionis. Non respectiuus dicitur, qui non parit obligationem mutuam, vt contractus promissionis acceptatæ.

Tertiò, contractus alius est nudus, & alius est vestitus. Contractus nudus dicitur, omnis conuentio, aut promissio contrahendi acceptata, carens omni alio firmamento, nempè, forma stipulationis, & iuramenti, & alijs. Contractus verò vestitus dicitur, qui supra nudum pactũ addit aliquid, quo vestitur, firmatur, seu

ſeu roboratur, nempè, formam ſtipulationis, aut iuramentum, aut aliud, de quibus poſtea.

Quartò, contractus alius eſt lucratiuus, alius eſt onerofus; lucratiuus, ſeu gratuitus dicitur, quo aliquid promittitur, aut traditur abſque pretio, vel mercede: vt commodatũ, teſtamentum, donatio, & ſimplex promiſsio. Onerofus dicitur, qui loco eius quòd datur, vel promittitur, debet dari aliud, vel promitti, vt emptio, venditio, locatio, & conductio.

Quintò, contractus alius eſt bonæ fidei, alius ſtricti iuris. Cõtractus bonæ fidei eſt, in quo iudex poteſt ex æquo, & bono arbitrari, quod ſibi viſum fuerit, quamuis non fuerit expreſſum in ipſo contractu, vt emptio, locatio, ſocietas, commodatum, depoſitum, pignus, permutatio, & alij ſimiles. Contractus ſtricti iuris eſt, in quo iudex adſtringitur ad verba, vt fit in ſtipulatione, & in feudo, & emphiteuſi, & in promiſsione, & in donatione. Vnde in præſenti, bona fides non ſumitur, vt opponitur malæ fidei, ſed vt opponitur rigori, & ſignificat ęquitatem, & benignitatem in iudicando.

Sextò, contractus diuidi poteſt in contractum propriè, & ſtrictè ſumptum, & in contractum latius, & minus propriè ſumptum, & in contractum latiſsimè ſumptum, iuxta ea quæ difficultate præcedente diximus.

Alias diuiſiones contractus omittimus, quæ ex dicendis cõſtabunt, de quibus legendi ſunt Molina à diſp. 252. Leſſ. cap. 17. dub. 3. & Bonacin. diſp. 3. q. 1. punct. 1.

Dif. III. Quot modis perficiantur contractus?

NON Procedit difficultas de perfectione extrinſeca, ſeu accidentali, qua cõtractus extrinſicè, & accidẽtaliter perficitur, & cõpletur, ſed de eſſentiali, & intrinſeca cõtractui in ſua ſpecie.

In primis ergo, ſunt aliqui cõtract⁹, qui ſola cõuẽtione, ſeu ſolo cõſenſu inuicẽ exteri⁹ expreſſo eſsẽtialiter perficiũtur ante traditionẽ rei, etiã ſi traditione accidẽtaliter, ſeu extrinſicè cõpleantur, vt ſunt emptio, & vẽditio, locatio, & cõductio, ſocietas, mãdatũ, & matrimoniũ, in quo DD. cõmuniter cõueniũt. Vnde ſi cõtrahentes non ſuſpendant huiuſmodi cõtractus, vt ſcriptura perficiantur, eo ipſo quòd mutuo inter ſe verè, & exterius conſentiũt, ſunt eſſentialiter perfecti, & pariunt obligationẽ in cõtrahẽtib⁹.

Secundò, sunt alij contractus, qui verbis essentialiter perficiuntur, quia essentialiter certam verborum formulam requirunt, quales sunt omnes species stipulationis, quia hæ requirunt essentialiter interrogationem antecedētem vnius, & responsionē subsequentem alterius, v.g. vnus interrogat, *promittis te mihi illud daturum*? & alter respondet, *promitto*.

Tertiò, sunt alij, qui scriptura essentialiter perficiuntur, & sunt illi, qui ante scripturam non habentur rati, vel ex dispositione iuris, qualis est emphiteusis, vel ex voluntate contrahentium, quia nollunt contractum ratum habere, quousque scriptura fiat: ac proinde ante eam non est talis contractus, quia ante eam non est consensus contrahentium saltem absolutus, quòd potest cuicumque contractui conuenire.

Quartò, sunt alij contractus, qui traditione rei essentaliter perficiuntur, & non ante illam, vt sunt depositum, commodatum, mutuum, permutatio, pignoratio, donatio, & alij similes. Vnde his contractibus, qui essentialiter perficiuntur traditione, non cōuenit definitio illa contractus, quàm difficultate prima ex Vlpiano adduximus, nempè, *vltro citroque obligatio*, quia cum ipsis, & in ipsis efficiatur res, vel tradatur res, nullam relinquunt, nec pariunt obligationem, nec ad efficiēdam rem, nec ad tradendā rem.

Difficult. IIII. Vtrùm omnis contractus obliget in vtroque foro.

CONVENIVNT DD. omnem contractum parere obligationem naturalem, seu iure naturali obligare, saltem in foro conscientiæ, (nisi ex defectu aliquo sit nullus) quia quilibet iure naturali tenetur, stare conuentioni cum altero legitimè factæ.

Addidimus, saltem *in foro conscientiæ*, quia cōtractus nudi nō obligant in foro exteriori cōmuni ciuili (in quo DD. conueniunt) quia ius cōmune ciuile, quāuis non resistit eis cōtractib⁹, eis tamē nō fauet (ne lites mutiplicētur) vt cōstat ex l. *iuris gentiū*, §. finali, de pactis. Iure tamē ciuili Castellę, datur actio ad cōpellendū nude paciscentē, vt stet promissis, vt patet ex l. 3. tit. 8. lib. 3. Ordi. quæ est lex 2. tit. 16. lib. 5. Recopil. Et etiā iure canonico datur actio contra nude paciscentē, iuxta cap. 1. de pactis, quamuis solum in causis ad Tribunal Ecclesiæ pertinētib⁹, aut ratione personarum,

narum, aut ratione materiæ: & in causis laicorum temporaliter subiectorum Summo Pontifici. Vnde pactum, seu contractus nudus etiam obligat in foro exteriori ciuili Castellæ, & terræ subiectæ tẽporaliter Sũmo Pontifici, & in foro exteriori Ecclesiastico.

Si tamen contractus adhuc promissionis acceptatæ vestiantur aliquo robore iuris ciuilis communis, nempè iuramento, aut forma stipulationis, aut alio, etiam obligant in foro exteriori ciuili communi, seu Cæsareo.

Diffic. V. Vtrùm contractus ex metu factus, sit validus?

DIFFICVLTAS Hæc non procedit de contractu matrimonij, quia de eo peculiariter diximus tract. de Matrim. disp. 6 sed dereliquis.

Circa difficultatem ergo conueniunt DD. contractũ celebratũ ex metu prouenienre ab intrinseco, qualis dicitur, qui prouenit à causa naturali, v.g. ab infirmitate, vel à tempestate: qui dicitur ab intrinseco prouenire, quia ab ipso metuente liberè inchoatur tãquam ab efficiẽte, ad differentiam metus prouenientis ab altero metum incutiente, qui dicitur ab extrinseco prouenire, quia inchoatur à causa extrinseca libera.

Est tamen difficultas, an contractus celebratus ex metu proueniente ab extrinseco sit validus.

Sotus in 4 dist. 29. q. 1. art. 3. Sylu. verb. metus, §. 9. Sayr. lib. 2. c. 2. & Rebel. 2. p. lib. 1. de contract. q. 5. docent, contractus nõ solum gratuitos vt donationem, & simplicem promissionem, sed etiam onerosos, vt emptionem, & vẽditionem locationẽ, & cõductionẽ, ex metu iniustè incusso quãuis leui, esse re ipsa in foro cõscientiæ nullos, quod significari videtur in l. *metum*, §. licet, ff. quod metus causa, dum dicitur: *Metum passo, actionem in rem dandam existimamus, quia res in bonis eius est*. Et ratione probatur, quia æquitas naturalis non patitur, vt quis per iniuriam siue à se ipso, siue ab altero tertio illatam, ius aliquod acquirat, & iniuriã passus illud amittat, ergo contractus ex metu iniusto, quamuis leui celebratus, est iure ipso naturali nullus. Han sentẽtiam plures alij DD. admittunt, quoad omnes cõtractus ex metu iniusto graui celebratos, vt scilicet sint iure naturali nulli, quia quoad eos magis vrgent dicta lex, & dicta ratio.

Nauar. in Summ. cap. 22. Sanc. lib. 4. de Matrimon. disp. 8. Less. cap. 17. dub. 6. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 6. docent, contractus non solum onerosos, sed etiam gratuitos ex metu iniusto, quamuis graui celebratos, esse re ipsa, & in foro conscientiæ validos, quia nullo iure irritantur, quia non iure positiuo, quia nullū extat, nec iure naturali, quia hoc iure non irritantur contractus onerosi, ob rationem quam postea adducemus, nec cōtractus gratuiti, quia eadem videtur ratio pro eis, ac pro onerosis. Hanc sententiam plures alij admittunt quoad contractus ex metu iniusto leui celebratos, quia quoad eos magis vrget ratio pro dicta sententia adducenda.

Nos tamen existimamus, cōtractus ciuiles onerosos ex metu iniusto, quāuis graui celebratos esse re ipsa, & in foro consciētiæ validos. Contractus verò gratuitos ex metu iniusto, quāuis leui celebratos, esse re ipsa, & in foro conscientiæ nullos, quod expresse docet Turrian. disp. 55.

Ratio prioris partis est, quia contractus onerosi quamuis ex dicto metu iniusto celebrati, non annullātur iure aliquo positiuo, quia nullum tale extat, nec iure naturali, seu ex natura rei, quia ad substantiam contractus sufficiunt titulus legitimus, & voluntarium simpliciter, seu efficax, v.g. vt venditio sit valida iure naturæ nihil aliud requiritur quam titulus, nēpè, quod detur res pro pretio, & quod sit simpliciter, seu efficaciter voluntaria, & absque fundamento exigetur, quod contractus onerosus fiat absque simplici displicentia (quamuis hoc à nonnullis exigatur ad substantiam contractus matrimonij, quia est contractus & vinculum pacis, & amoris) sed quamuis contractus onerosus fiat ex dicto metu, & cum simplici displicentia, sit tamen ex voluntate efficaci: ergo quando alias sit titulus legitimus (vt esse potest & supponimus esse) erit validus ex natura rei, seu iure naturali.

Et ob rationem dictam tractatu de Matrimonio disp. 6. diff. 2. diximus, contractum matrimonij ex dicto metu celebratum, esse iure naturali validum, quamuis inualidum iure positiuo Ecclesiastico, reliqui tamen contractus onerosi ex eo metu celebrati, ita sunt iure naturali validi, vt nullo iure positiuo irritentur, quia vt supra diximus nullum tale extat. Imò id significatur in instituta de exceptionibus, in principio, & in leg. *si mulier*, §. fin. Nihilominus qui celebrati sunt ex dicto metu iniusto incusso ab altero contrahente, debent iure naturali rescindi, si velit qui metum iniustè

iustè passus est, vt contra nonnullos aduertunt Less. dub. 6. num. 38. Turrian. dub. 11. num. 9. Bonacin. disput. 3. quæst. 1. pun. 2. §. 3. & communiter DD. quia ex vna parte dicti contractus ciuiles rescindi possunt sola voluntate contrahentium, quia non sunt sua natura indissolubiles (sicut est contractus matrimonij) & ex altera parte ille alter contrahens iniustè coegit alterum ad contrahẽdum, ergo si qui fuit coactus velit, tenetur, qui coegit ad reducendas res ad statum in quo erant ante metum incussum, quia aliter non satisfaciet iniuriæ coacto factæ ab ipso. Imò etiam tenetur ad restitutionem fructuum, post contractum quamuis validum, ab eo qui coegit, perceptorum, quamuis ad ipsum verè pertineant, si coact⁹ erat illos percepturus, quia qui coegit, sua iniusta coactione fuit causa iniusta, ne coactus illos perciperet: & etiam tenebitur ad satisfactionem cuiuscumque alius damni, quod coactus ob eam coactionem passus fuerit, & ad eãdem tenebitur quicumque alius tertius, qui iniustè coegit ad eum contractum, ex quo coactus damnificatus est. Tunc tamen non debet iure naturali rescindi, nollente altero contrahente non coacto, quia tunc hic alter contrahens non est causa dictæ injuriæ, cui teneatur satisfacere, & consequenter nec tenetur rescindere eum contractum, quamuis coactus à tertio, velit. Iure tamen positiuo rescindendus est, si coactus velit, vt aduertunt Lessius, Sancius, Molina, Reginaldus, & Bonacina, & significatur in cap. 2. & 4. de his quæ vi.

Cogens tamen iniustè aliquem ad ludum cum ipso, in quo ipse cogens lucratus est, non tenetur ad restitutionem lucri (sicut nec tenetur coactus, si lucratus fuisset) vt aduertunt Molina disp. 516. & Turrianus disp. 55. dub. 11. quia quando est coactio iniusta ad contractum, tantum est rescindendus ipse contractus, quãdo vult coactus, & tantum est resartiendum damnum, quod oritur ex ipsa coactione, & ex ipso contractu, in casu autem coactionis iniustæ ad ludum, ludus ipse nequit rescindi, quia nequit rescindi quoad ea, quæ in ipso commutantur, nempè, quoad spem lucrandi, & periculum perdendi vtriusque contrahentis, seu ludentis, quia ea tantum duo sunt, quæ commutantur, in contractu ludi (sicut in emptione, & venditione res, & pretium) contractus autem ludi nequit quoad ea duo rescindi, vt patet, (sicut potest cõtractus emptionis, & venditionis, quoad rem, & pretium) nec resarciendum est damnum perditionis, v. g. pecuniæ ipsi coacto, quia cogens non fuit verè causa illius perditionis, quia nec fuit

causa immediata, vt patet, nec fuit mediata, quia cogens tantum fuit causa ludi, ludus autem secundum se non est causa perditionis, sed fortuna, cuius cogens non est causa, quia in ludo neuter ludens magis exponitur periculo perdendi, quàm spei lucrandi, vt patet, ergo cogens ad ludum non est causa damni seu perditionis, ergo nec tenetur ad restitutionem illius.

Ratio verò posterioris partis nostræ conclusionis est, quia quãdo cõtractus gratuitus fit ex metu iniusto, quãuis leui, etiam si sit simpliciter, & efficaciter volũtarius, fit tamẽ absq; legitimo titulo, quia in cõtractib⁹ gratuitis titulus legitimus est liberalitas, & quod fit ex metu iniustè incusso, nõ fit liberaliter, seu ex liberalitate, quia ad liberalitatem nõ sufficit, quod non fiat pro altera re, sed requiritur, quòd fiat à cõtrahẽte ex se ipso, & nõ ab extrinseco coacte, & quasi violẽter; quod autẽ fit ex metu iniustè incusso, nõ fit à patiẽte metũ ex se ipso, sed ab extrinseco coacte, & quasi violenter: & moraliter potius fit ab incutiẽte metũ iniustũ, quam ab ipso metũ patiente, aliter ac quãdo fit ex metu ab intrinseco, vt ab infirmitate, aut à tẽpestate, quia tunc fit ab ipso cõtrahente ex se ipso. Imò etiam quando fit ex metu iustè incusso, quia hic semper vncutitur ob occasionem datam ab ipso metum patiente, & ex ipso ortum habet, & ad ipsum reducitur, vnde defectus completi voluntarij proueniens ex metu iniusto, in contractibus gratuitis refunditur in defectum legitimi tituli ipsorum, nempè, in defectum liberalitatis.

Difficult. VI. Vtrùm contractus factus ex errore, vel ex deceptione, sit validus?

SVPPONIMVS, Errorem, seu deceptionem, alterum esse antecedentem, seu causam contractus, qualis est ille, qui si non esset, non fieret contractus, & ob id contractus dicitur fieri ex illo, alterum esse comitantem, seu incidentem in contractũ, qualis est ille, quo quamuis non existente, etiam fieret contractus, & ob id contractus dicitur fieri cum illo, & non ex illo.

Hoc supposito, conueniunt primò communiter Doctores, erro-

errorē, seu deceptionē circa substantiam rei, seu materiæ contractus, siue onerosi, siue gratuiti, siue error sit antecedens, seu dans causam contractui, siue sit comitans illum reddere ex natura rei, seu iure naturali ipsum contractum nullum, vt si quis emat vitrū, existimans esse gemmam, aut si donet gemmam, existimans esse vitrum; quia tunc error, seu deceptio etiam comitans aufert consensum, seu voluntarium circa substantiam contractus: quod est verum, quamuis error sit vincibilis, quia hic non sufficit ad valide contrahendum, quamuis sufficiat ad peccandum, quia ad peccandum sufficit, quod quis se exponat periculo faciendi contra præceptum, cui periculo se exponit, qui cum errore, aut ignorantia vincibili præcepti operatur: ad valide verò contrahendum, verbi gratia, ad emendum, vel ad donandum hanc rem, non sufficit, se exponere periculo eam emendi, vel donandi, sed requiritur vera voluntas eam emendi, vel donandi, quæ voluntas nequit stare cū errore illius rei quamuis vincibili: & ob eandem rationem error circa motiuum donationis, aut simplicis promissionis reddit illā iure naturæ nullam, quia substantia illius donationis, aut promissionis ob causam, non est voluntaria.

Addimus, contractū ob errorē, seu deceptionē circa substantiā illius ita esse nullū, vt nō solū deceptus non teneatur illū ratificare, vt patet, sed nec decipiēs, quāuis deceptus velit, quia ad id nō tenetur iure naturæ (nisi quando decepto intulit damnū, quod nequit aliter resarcire, nisi eū contractū ratificando) quia ex vi consensus, quo de præsenti intendebat celebrare contractū dolosum noluit aliū syncerum celebrare, nec tenetur iure aliquo positiuo, quia nullum extat, quoad id obligetur.

Conueniunt secundò communiter DD. errorem circa qualitatem, seu accidens rei, aut tituli, contractus nō inualidare iure naturæ ipsum cōtractum, vt si quis emat equum ignauū, existimans esse strenuū, vel si nubat mariā pauperē, existimans esse diuitem: quia quamuis ob eum errorem deficiat consensus, seu voluntarium circa accidens rei, aut tituli contractus, non tamen circa substantiam: ac proinde contractus erit substantialiter validus, nisi consensus eliciatur dependenter ab eo accidenti, vel circunstantia, tāquam à conditione, quia tunc deficiente eo accidenti, vel ea circunstantia, deficiet consensus circa substantiam. Hanc autem doctrinam contra nonnullos existimamus veram, quamuis error sit antecedens, seu dans causam contractui;

 quia

quia quamuis tunc contrahens non esset consensurus, nec contracturus, si non erraret circa qualitatem, seu accidens, nihilominus hic, & nunc absolutè, & efficaciter consentit in substantiam, quãuis non in accidens, ac proinde contractus iure naturæ erit substã tialiter validus.

Est tamen difficultas, an hi cõtractus, quibus error circa acci dens dedit causam, sint inualidi iure positiuo.

Conueniunt DD. non solum quoscumque contractus ex erro re comitante celebratos relinqui validos, seu non irritari iure po sitiuo, sed etiam contractus stricti iuris, quamuis ex errore antecedente celebratos.

Est tamen controuersia, an contractus bonę fidei ex errore antecedente celebrati, iure positiuo irritentur.

Circa quam, quamuis Molina disput. 259. Sancius lib. 1. de Matrimon. disp. 64. Rebellus lib. 1. quæst. 6. sect. 2. & Bonacina disput. 3. quæst. 1. §. 2. doceant, irritari. Nos tamen verisimilius existimamus, non irritari, sed validos relinqui: quod docent Les. cap. 17. dub. 5. Layman tract. 4. cap. 5. Becanus, Ægidius, & alij, quia nullum est ius positiuum, quo si rectè expendatur, irritentur.

Sed quamuis omnes dicti contractus ciuiles, etiam illi quibus error dedit causam, non inualidentur iure positiuo, hi tamen, quibus error dedit causam, possunt iure positiuo rescindi, si deceptus velit, à quocumque decipiatur: vt aduertit Bonacin. disp. 3. q. 1. pũct. 2. §. 2. & habetur in l. *& elegãter*, de dolo: imò & iure naturali rescindi debent, si ab altero contrahente sit deceptus: si hic velit, vt alter contrahens decipiens satisfaciat iniurię sua deceptione ipsi decepto factæ.

Diffic. VII. Vtrùm contractus alias inualidi, cõfirmentur iuramento ipsis superaddito?

DIFFICVLTAS Hæc non procedit de iuramento assertorio, quo contrahens iurat aliquid præsens, aut præteritum, v.g. se vendere, aut vendidisse, vel se promittere, aut promisisse, quia eo iuramento nullo iure obligamur ex iustitia ad aliquid, sed tantum ex Religione ad dicendam veritatem; sed procedit de iuramento promissorio, quo contrahens iurat aliquid futurum, v.g. se

se staturum promissioni, aut se non resiliturum à contractu venditibus, an scilicet dicti contractus, tam promissionis, quàm reliqui alias iure inualidi, qualis est contractus pupilli non proximi pubertati, & contractus prodigi habentis curatorem, eo iuramẽto promissorio superaddito fiant validi, & obligent ex iustitia.

Hoc supposito, conueniunt DD. iuramentum promissorium dicto modo superadditum, contractui facto in commodum alterius, semper esse obseruãdum, saltem ex obligatione virtutis Religionis, quoties id quod iuratur non verè, seu strictè prohibetur ipsi iuranti, seu quoties potest fieri absque peccato iurantis, vt significatur in cap. *quamuis pactum*, de pactis in 6. & in capit. *cum contingat*, de iure iurando: dummodo is in cuius fauorem factum est iuramentum, velit sibi impleri, quod iuratum est; quia ad id obligat reuerentia debita Deo, qui eo adducitur in testem, vel in fideiussorem eius quod iuratur. Addimus: *Dummodo is in cuius fauorem factum est iuramentum velit sibi impleri quod iuratum est*: quia si careat ea volũtate, vel quia nõ acceptauit id quod sibi iuratum est, faciendum in sui commodum, vel quia si acceptauit, eam acceptationem postea reuocauit, non obligat dictum iuramentũ adhuc ex Religione.

Est tamen difficultas, an dictum iuramentum non solum obliget ex Religione, sed etiam confirmet contractum aliàs nullum, eum efficiendo validum, & consequenter dantem ius iustitiæ ad rem, vel in re.

Couarrub. de pact. 2. part. nu. 9. Ant. Gomez tom. 2. variar. cap. 14. Bonacin. disp. 3. q. 1. punct 1. Bartolus, Panormitanus, & alij, quos Couarrub. refert, docent, contractum alias inualidũ fieri validum ex vi iuramenti superadditi, dum contractus non sit illicitus iuranti, quia nec sit immediatè cõtra bonum commune, nec sit ipsi iuranti strictè prohibitus, nec aliter, quia in dictis capitulis, *quamuis pactum*, & *cum contingat*, & in Authentic. *Sacramẽta puberũ*, C. si aduersus vendit. dicitur, seruanda esse iuramenta addita contractibus quamuis alias inualidis, dum eorum obseruatio non vergat in dispendium salutis æternæ, nec sit contra bonos mores, quo statui videtur vim contractuum alias inualidorũ reuiuiscere, seu confirmari ratione iuramenti superadditi.

Innocent. verò in cap. *cum venissem*, de institut. Iason in lege *ius iurandũ*, ff. de iure iurand. Vazquez de testament. c. 3. dub. 2. & Molina disp. 150. docent, contractus alias inualidos, non confirmari,

firmari, seu non fieri validos ratione iuramenti eis superadditi, in quod inclinat Turrianus dispution. 55. dub. 7. & meritò, quia eos confirmari, seu fieri validos, non prouenit ipsis ratione iuramenti iure naturali, seu ex natura rei, vt patet, quia iuramentum superadditum sua vi, & natura non destruit ius positiuum, irritans contractum, si eo irritatur, nec sua natura supplet defectum volūtarij, nec defectum tituli, si ex aliquo eorum contractus est iure naturali, seu ex natura rei nullus: nec eos fieri validos, seu confirmari prouenit ipsis ratione iuramenti iure aliquo positiuo: quia nec in iuribus pro sententia aduersariorum adductis, nec in alijs id statuitur, nec significatur; quia in eis tantum dicitur, obseruandum esse iuramentum illud: quod sufficiēter saluatur ratione obligationis ex religione ortæ ratione iuramenti: quia id etiam dicitur in cap. *debitores*, de iure iurando, de iuramento superaddito promissioni vsurarum, & tamen eas promittens, & earum promissionem impleturus iurans, tantum obligatur ex Religione, & non ex iustitia ad earum solutionem.

Ex quo constat ad fundamentum aduersariorum ex dictis iuribus desumptū, in quib⁹ iuranti absque vi, & dolo negatur actio ad contrauemendum contractui iurato, quod exprimitur in cap. *licet mulieres*, de iure iurand. in 6. dum mulieribus consentientibus alienationibus dotium, & donationum propter nuptias, & eis non contrauenire iurantibus absque vi & dolo, negatur actio ad contraueniendum, & iudicibus prohibetur eis in contrauentione fauere.

Id verò quod addit Molina, nempè, quod quamuis contractus alias nullus non fiat validus ratione ramenti superadditi, ex ipso tamen iuramento oriatur, non solū obligatio Religionis respectu Dei (in quo DD. conueniunt) sed etiam iustitiæ, respectu illius in cuius fauorem fit; quia iuramentum illud formaliter, aut virtualiter sit promissio, falsum est, quia præterquam quod iuramentum illud non est formaliter, nec virtualiter promissio, quāuis eam supponat, quando in rigore est promissorium, nihilominus, quamuis id gratis admittamus, non inducet obligationem iustitiæ, non solum quando superadditur promissioni, quia sicut hæc est nulla, vt supponimus, etiam erit ipsa promissio ab ipso iuramento indistincta, quamuis hæc admittatur, sed etiam quando superadditur alienationi: vt quando alienans iurat, se ratihabiturum eam alienationem, seu ei non contrauenturum, quia sicut ipsa

aliena-

alienatio in principio eſt nulla, ita etiam ratihabitio, quæ iuratur etiam erit eodem iure nulla.

Ex dictis conſtat, Primò, ſecundum hanc noſtram ſententiam, obligationem iurantis dictos contractus, non tranſire ad hæredes ſuorum bonorum, quia ſola obligatio iuſtitiæ tranſit ad hæredes bonorum, non obligatio Religionis. Conſtat etiam ſecundò, dictum iuramentum poſſe à ſuperiori relaxare, quia relaxatio illius fit abſque præiuditio tertij, ſeu abſque iniuſtitia contra eum, cui fit iuramentum: quia hic nullum habet ius iuſtitiæ. Conſtat tertiò, eum cui traditur aliquid ex dictis cõtractibus quãuis iuratis, non poſſe illud retinere, quia nullum habet ius iuſtitiæ ad illud.

Diffic. VIII. Quomodo contractus ſub conditione ſit validus?

CONVENIVNT Primò DD. contractum celebratum ſub conditione, contra ſubſtantiam illius eſſe iure naturali, ſeu ex natura rei nullum: quia qui contrahit ſub conditione contraria naturæ, ſeu ſubſtantiæ contractus, ipſa contractione diſtrahit.

Conueniunt ſecundò, contractum celebratum ſub conditione de præſenti, aut de præterito, aut ſtatim eſſe abſolutè validum, ſi conditio impleta ſit, aut ſtatim eſſe omnino nullum, ſi non ſit impleta cõditio (vt exprimitur in Inſtituta de verborum obligationibus) quia ſi conditio exiſtat, aut impleta ſit, conſenſus contrahentis ab ea dependenter elicitus verè, & abſolutè exiſtit de præſenti, & conditione non exiſtente, aut non impleta, nullo modo exiſtit conſenſus, quod eſt verum, vt aduertunt communiter DD. quamuis impletio, aut non impletio conditionis appoſitæ non ſit nota ipſi eam apponenti. (vt de matrimonio ſub conditione non nota contrahenti, diximus contra Ægidium tract. de Matrimonio diſput. 7. dif. 2.) quia contrahens ſub cõditione, conſentit ſub conditione exiſtentiæ conditionis appoſitæ, & non ſub conditione notitiæ conditionis, & ſoli exiſtentiæ conditionis alligat ſuum conſenſum, & non notitiæ exiſtentiæ illius: quia pro conditione tantum apponitur exiſtentia, ſeu impletio rei, quæ cadit ſub conditionem, & non notitia dictæ exiſtentiæ, ſeu impletionis.

Conueniunt tertiò DD. contractum celebratum ſub conditione

tione de futuro contingenti, verbi gratia, *si Petrus venerit crastina die*, non esse statim validum, seu obligantem (nisi ad expectandam impletionem conditionis) sed suspendi vsque ad impletionem, seu euentum conditionis (vt significatur in dicta Instituta de verborum obligationibus, §. sub conditione, & §. ex conditionibus;) quia consensus sub ea conditione contrahentium, in quo essentia contractus partialiter consistit, fuit dependens, & alligatus existentiæ, seu impletioni dictæ conditionis, quod etiam est verum de contractu celebrato sub conditione de futuro necessariò, verbi gratia, *si Sol cras oriatur*, si ea conditio in rigore sumatur, seu apponatur ad suspendendum consensum vsque ad eius impletionem, vt apponi potest: nihilominus regulariter non apponitur vt conditio, quando cognoscitur esse necessaria: quia tunc impletio illius ob eius certitudinem censetur moraliter præsens, & qui tunc eam apponunt, non tam apponunt ad suspendendum consensum, quàm ad significandum certitudinem consensus præsentis, & absoluti. Et ideò quando non constat, appositam fuisse ad suspendendum consensum, ex tunc contractus sub ea conditione celebratus, censendus est absolutus: & ex tunc, & pro tunc valere, vt de contractu matrimonij diximus tractatu de illo, disputat. 7. difficult. 6.

Et idem ob dictam rationem dicendum est de contractu celebrato sub conditione de futuro contingenti, certo, & infalibiliter cognita, vt tali, verbi gratia, *si Antichristus venerit*, vt contra Maiorem, & Couarrubiam, & Adrianum, & Basilium aduertunt Sancius lib. 5. de Matrimonio, disputation. 2. Rebellus 2. de Matrimon. q. 10. Turrian. disput. 55. dub. 9. & Bonacin. disp. 3. q. 1. punct. 4. quia scilicet impletio talis conditionis ob eius certitudinem, censetur moraliter præsens.

Conueniunt quartò Doctores, contractum celebratum sub conditione de futuro impossibili, verbi gratia, *si cœlum digito tetigeris*, esse iure naturali, seu ex natura rei, nullum omnino adhuc sub conditione, quia numquã potest impleri conditio, & consensus essentialiter requisitus ad valorem contractus elicitur dependenter ab impletione illius, & est ei alligatus. De contractu tamen celebrato sub conditione de futuro contingenti illicita respectu alicuius, aut vtriusque contrahentis, verbi gratia, si homi-

homicidium commiſſeris, ſi carnaliter fuerimus commixti, dicendum eſt ante impletionem illius conditionis, non obligare iure naturali, ſeu ex natura rei, ad eam ſpectandam: (ſicut obligat contractus celebratus ſub conditione de futuro contingenti honeſta) quia potius eſt obligatio reuocādi dictum contractum, quia eſt inductiuus ad actum illicitum, qui apponitur ſub ea conditione, obligare tamen iure naturali, ſeu ex natura rei ſub ea conditione illicita ad implendum contractum ipſum. Ac proinde, impletione illius conditionis illicitæ, fieri iure naturali abſolutè validum, & obligare: quia poſt impletionem conditionis iam non inducit ad illicitum, & ob hanc rationem contractus celebratus ſub conditione de præſenti, aut de præterito illicita, eſt vere validus abſolutè, quia ſcilicet non inducit ad illicitum.

Addidimus, *iure naturali*, *ſeu ex natura rei*, quia iure poſitiuo conditio impoſsibilis, quamuis de præſenti, aut præterito addita contractui matrimonij, & vltimæ voluntati, ſeu diſpoſitioni, & conditio turpis de futuro, non ſolum illicita, ſed etiam quæ non eſt illicita, qualis eſt quæ nihil boni continet, & actum virtutis impedit, verbi gratia, ſi captiuum non redimas, vel ſi actum eleemoſynæ non facias, non irritant contractum matrimonij, vt conſtat ex capit. final. de conditionibus appoſitis, nec vltimam voluntatem (qualis eſt inſtitutio hæredis, & fideicommiſſum, & legatum, & donatio cauſa mortis,) vt conſtat ex lege 1. 4. 6. 8. & 9. ff. de conditionibus inſtitutionum: & ex l. 3. Caſtellæ, titul. 4. partit. ſexta: ſed relinquunt illa duo valida, quamuis non ſit implenda conditio: quia iure poſitiuo habentur pro non adiectis, ſeu habentur quaſi non appoſitæ, quod non diſponitur pro reliquis contractibus, relinquunt autem duæ dictæ conditiones, non tantum matrimonium validum, ſolum quoad forum exterius, ſeu ſolum quoad præſumptionem, & non re ipſa, & in foro conſcientiæ, vt diximus tractatu de Matrimon. diſputat. 7. difficult. 10. & 11. ſed etiam relinquunt vltimam voluntatem validam ſolum in foro exteriori, ſeu quoad præſumptionem; & non re ipſa, & in foro conſcientiæ, vt contra Molinam diſputatione 206. & contra Turrianum diſputat. 55. dub. 9. & contra Leſsium capite 18. dub. 15. docent Medina, C. de reſtitutione, quæſt. 23. & Vazquez de reſtitutione, cap.

cap. 7. dub. 10. quia in iuribus in quibus dicitur conditiones adiectas, seu appositas vltimæ voluntati, habendas esse pro non adiectis, dicitur: *habeantur pro non adiectis*, particula autem, *habeantur*, idem est, quod censeantur: & vtraque est particula præsumptionis: ac proinde, quando non constat aliunde vltimam voluntatem fuisse independentem à dictis duabus cõditionibus appositis, standum est in foro conscientiæ vltimæ voluntati, vt alligatæ dictis conditionibus: ac proinde eis conditionibus non impletis, vltima voluntas, seu dispositio erit nulla. Et ita præsumẽdum est in foro exteriori, quando in eo constet, fuisse sic alligatam: in dubio verò, an fuerit sic alligata, an non, præsumendum est in foro exteriori, non fuisse sic alligatam, ac proinde, fuisse validam quãuis conditio non sit implenda.

Ex dictis ergo constat, contractum matrimonij, & vltimam voluntatem, seu dispositionem, quibus conditiones imposibiles, vel turpes serio apponuntur, re ipsa & in foro conscientiæ nõ valere, eis conditionibus non impletis, sicut nec reliquos contractus; quamuis in foro exteriori, seu quoad præsumptionem censeantur valere, quando non constat, illas fuisse serio appositas, & non reliqui contractus, quia pro reliquis, non est id iure positiuo statutum, sicut est pro contractu matrimonij, & vltimæ voluntatis.

Obseruandum est contractus celebratos sub conditione de futuro ob quam suspenduntur, vsque ad impletionem conditionis, fieri absolutè validos, seu purificari, sola impletione conditionis, absque nouo & superaddito consensu, vt contra Victoriã, & alios, aduertunt Nauar. cap. 22. num. 63. & 65. Paludan. in 4. distinct. 29. q. 2. Innocen. & Panormitan. Syluest. & alij, & nos diximus de contractu matrimonij disput. 7. diffi. 3. quia consensus per verba de præsenti præstitus, quamuis sub conditione de futuro, est consensus de præsenti (quamuis tantum conditionatus, & inchoatus vsque ad conditionis impletionem) quo contrahens, v. g. vendens, ex tunc vendit, si postea ponatur conditio: ergo posita, seu impleta postea conditione, consensus ille saltem habitualiter permanens (quando non est reuocatus) imò moraliter præsens, vtpote expectans impletionẽ conditionis, absoluitur à cõditione, seu fit absolutus ab ea, & purificatur, ergo non est necessarius alter nouus, & superadditus consensus, quod contra Turrianum etiam existimamus verum, in contractibus qui traditione perfi-

perficiuntur,vt in mutuo,& in donatione,si expresſio conſenſus & traditio fiant de præſenti,quamuis ſub conditione de futuro: vt quando quis tradens pecunias Petro,dicit: ex nunc mutuo, aut dono tibi hanc pecuniam, ſi craſtina die audias Miſſam, quia ſupradicta ratio idem etiam probat, in his contractibus qui traditione perficiuntur.

Difficult. IX. Ex pluribus contractibus ſub conditione ſucceſsiue de adem re celebratis cum diuerſis, quis eorum præualet.

DIFFICVLTAS Hæc nunc tantũ examinatur, de contractibus ciuilibus, non de contractu ſponſalitio, nec de cõtractu matrimonij, quia de his id examinauimus tratactu de matrim. diſp. 7. diff. 12.

Et primò eſt difficultas de contractibus promiſſorijs conditionatis, cõditione de futuro poſsibili, an ſcilicet, qui alcui promiſit aliquid ſub conditione, v. g. ſe celebraturũ cum eo contractum venditionis alicuius equi, & poſtea idẽ promittit alteri etiã ſub cõditione, teneatur implere priorẽ promiſsionẽ, an poſteriorẽ.

Stpponimus autem, priorem promiſsionem non neceſſario reuocari per poſteriorem eiuſdem rei, quia poteſt quis eãdem rẽ alicui promiſſam, alteri promittere, inquantum poſsit abſque præiudicio prioris.

Hoc ergo ſuppoſsito circa difficultatem, exiſtimamus, priorem promiſsionem præualere, & implendam eſſe, nõ ſolum quã do conditio poſterioris promiſsionis non impletur, aut quando impletur, poſt impletionẽ cõditionis prioris promiſsionis (quod eſt certiſsimum) ſed etiam quando conditio poſterioris promiſſionis prius impletur. In quo DD. communiter conueniunt: quia prior promiſsio etiam ante impletionem ſuæ conditionis, inducit obligationem abſolutam expectandi impletionem conditionis. Hæc autem obligatio ex vna parte eſt prior, quam obligatio implendi promiſſum, quam aliàs poſterior promiſsio poſſet, ſeu ex ſe eſt potens inducere, ſua cõditione impleta, & ex altera parte non eſt minor quam illa, quia vtraque obligatio eſt tantum promiſſoria orta, ex contractu promiſsionum non conferente dominium. Quod ſi præualet contra poſteriorem promiſsionẽ, quãuis *huius* conditio prius impleatur maiori ratione præualebit

cōtra alteram promissionem conditionalem posteriorem eiusdē rei alteri factam, quando conditio vtriusque simul impletur, siue conditio vtriusque promissionis sit eadem, siue diuersa, præualet autem dicta prior promissio quoad obligationem fidelitatis, & quoad obligationē iustitiæ, quia prior promissio est prior quoad vtramque obligationem, & vtraque obligatio orta ex priori promissione non est minor, quam orta ex posteriore alteri facta.

Hæc omnia quæ dicimus circa contractus ciuiles promissorios conditionatos, etiā dicta sunt à nobis, circa contractus spōsalitios conditionatos, tract. de matrimonio disp. 7. dif. 12.

Secundò est difficultas de alijs contractibus ciuilibus non promissorijs, vt emptione, & venditione conditionatis, conditione de futuro possibili successiue factis, quis eorum præualeat.

Supponimus posteriorem contractum ex dictis non necessario reuocare priorem, quia celebrari potest in quātum possit absque præiudicio prioris, imò iure positiuo irritari reuocationem cuiuscumque contractus ciuilis, etiam promissorij.

Circa difficultatem ergo idem dicendum existimamus, ac dictum est circa contractus promissorios ciuiles, nempè priorem contractum præualere, non solum quando conditio posterioris non impletur, aut quando impletur post impletionem conditionis prioris, vt patet, sed etiam quando conditio posterioris prius impletur, si posteriori contrahenti non sit facta traditio rei, quia ex vna parte ille est tempore prior, vt supponimus, & ex altera parte posterior quamuis impletione suæ conditionis absolutus non est fortior priore, quamuis conditionato, quia neutro eorum saltem ex dispositione iuris positiui, traditur dominium ante traditionem rei, nullus autem contractus quo non traditur dominiū rei, quamuis sit omnino absolutus, est fortior altero quo etiam non trahitur dominium quamuis conditionato, quia quilibet quāuis conditionatus inducit obligationem absolutam, saltem expectandi impletionem conditionis, quæ obligatio non est minor, quam obligatio, quam posterior sua cōditione impleta, est alias potens inducere, quia ambæ obligationes tantum correspondēt iuri ad rem, vel ad actum aliquem existenti in altero, ex eis autem obligationibus vna non est maior quam altera, sicut nec vnum ius ad rem, vel ad actum aliquem est maius altero, etiam si ius in re, seu dominium sit maius, & fortius iure ad rem, prior ergo contractus quamuis perseueret conditionatus præualet contra

poste-

posteriorem quamuis iam impletione conditionis absolutum, imò quamuis à principio absolutè celebratum, quia est prior & non minus fortis quam posterior, & multo melius præualebit cõtra posteriorem conditionatum, quando vtriusque conditio simul impletur.

Circa contractus verò matrimonij conditionatos conditione de futuro possibili successiue factos cum duabus personis, in tractatu de matrimonio disput. 7. dif. 12. diximus, eum contractum, siue priorem, cuius conditio prius impletur, præualere contra alterum, quia contractu matrimonij absoluto, quamuis non absoluto à principio postea impletione conditionis verè traditur dominium, dominium autem, quod semel acquisitum est, non potest amittit abque voluntate illius, qui illud acquisiuit, imò dominium contractu matrimonij semel acquisitum nequit amitti voluntate illius, qui illud acquisiuit, quia est sua natura inamissibile, & obligatio ei correspondens, quæ dicitur vinculum, est indissolubilis: & addidimus neutrum valere quando cõditio vtriusque simul impletur, sicut neuter valet, quando à principio absolutus simul fertur in duas personas, de quo ibi latius.

Difficult. X. Quid operetur tempus contractibus appositum.

SVPPONIMVS Cuicumque contractui non solum posse apponi conditionem, de qua iam diximus, sed etiam tempus vt quando dicitur, vendo tibi equum in crastinum, & demonstrationem, quæ nihil aliud est, quam appositio alicuius accidentis quo indicitur res, vel persona, vt quando dicitur, vendo tibi equum qui est rubeus, vel vendo equum tibi qui es diues, & etiam posse apponi causam, quæ nihil aliud est, quã id quo præsente aut præterito contrahens mouetur, vel impellitur ad contrahendum & significatur particula, *quia*, vt quando dicitur, vendo tibi equũ quia es consanguineus meus, & dono tibi centum, quia es consanguineus meus, & etiam posse apponi modum, quo additur aliquid faciendum post cõtractum iam absolutum, seu perfectum, & quo aggrauatur contrahens, & significatur particula, *vt*, vel æquiualente, vt quando dicitur, dono tibi centum vt ædifices mihi sepulchrum, vel facias tot Missas pro me celebrari

aliquando tamen significatur verbis, quæ videntur habere formã conditionis, vt quando dicitur: dono tibi centum ea conditione, vt pro me facias, tot Missas celebrari, vbi in rigore dicendũ erat: dono tibi centum eo onere, vt pro me facias tot Missas celebrari.

Hoc supposito circa difficultatem conueniunt communiter DD. contractum cui apponitur tempus (qui dicitur *contractus in diem*) suspendi vsque ad illud, & eo tempore accedente, ex eo valere, absque nouo consensu, quia tempus futurum ad id apponitur, vt vsque ad illud suspendatur, & vt ex eo incipiat valere: sensus enim huius, *vendo tibi equum in crastinum*, est ex nunc, volo & consentio, vt cras maneat tibi venditus equus, contractus autem in tempus futurum celebratus, & potest esse absolutus, & potest esse conditionatus, ex eo quod in futurum tempus celebretur, quamuis expresse nulla apponatur conditio: tunc cẽsetur esse absolutus, quoties ei apponitur tempus determinatum, vt quãdo dicitur, vendo tibi equum in primum diem Septembris: imò & quando apponitur tempus indeterminatum, si certo sit futurum: vt quando dicitur, vendo tibi equum in diem quo moriaris, tunc verò censetur conditionatus, quando ei apponitur tempus indeterminatum, non certo futurum: vt quando dicitur: vẽdo tibi equum in tempus in quo naues ex India appellent: quia tunc sensus est: vendo tibi equum in tempus illud, si naues appellent: & etiam quando dicitur, dispono quod hæres meus quando moriatur det Petro superuiuenti centum, quia tunc sensus est, quod det Petro si superuiuat, incertitudo enim euentus cogit ad eum sensum conditionalem, ad eum videlicet si id eueniat, ac proinde si deficiat conditio illa, euanescit contractus, aut dispositio.

Excipitur tamen contractus, vel dispositio, vt non sit conditionatus, sed absolutus, quando ei apponitur tempus indeterminatum, & in certo euenturum in fauorem promissarij, vel legatarij, vel alius contrahentis, & non in sui fauorem, vt restringat dispositionem, vt quando quis Petro famulo suo, ob obsequia promittit, vel legat centum in tempus in quo matrimonium contrahat, ne fortè antea collata, male absumantur: quia tunc contractus, vel dispositio non censetur conditionata conditione, v.g. contrahendi matrimoniũ, quia tunc tempus illud non additur ad annectãdam obligationem euentui conditionis in eo tempo-

tempore, v.g. contrahendi matrimonium, imò nec ad suspendendam obligationem in tempus illud futurum, sed tantum ad suspendendam, vel differendam traditionem, vel solutionem rei in illud, ac proinde, tunc si ante contractum matrimonium Petrus moriatur, illa centum danda sunt hæredibus illius, aut si eligat statum incompossibilem cum matrimonio, danda sunt ipsi, vel ei qui ipsi succedit in bonis.

Obseruandum est, promissionem factam in tempus futurum determinatum, & certum, causa tantum differendi traditionem, vel solutionem rei, v.g. in Pascha, vel in mensem venturum, intelligi in proximum Pascha, vel in proximum mensem, & ex ea promissione statim oriri obligationē iustitiæ in promittente (si hæc obligatio nō sit exclusa) cui in promissario correspōdet ius iustitiæ quod trāsibit ad hæredes ipsius promissarij si ante eius tēpus promissarius moriatur, & illā obligatiōnē iustitiæ ad hæredes promittētis, quāuis ante illud tēpus moriatur, nō tamē erit obligatio soluēdi ante finē Paschatis, vel mēsis venturi, vel alius tēporis designati; quia appositio illius tēporis futuri, facta est in fauorē promittentis (qui debitor manet,) vt significatur, *in lege eum qui calendis*, §. quoties, & in lege, *qui hoc anno*, de verborum obligationibus, è contra verò, quando promissio est alicuius annuæ quantitatis ad eleemosynas, vel ad alimenta, solutio facienda est in initio anni, quia tunc id videtur promitti, sicut etiam id legat, qui legat aliquam quantitatem annuam, quod pro legatis annuis decretum est in lege *quando dies legati cedit*.

Difficult. XI. Quid operetur demonstratio apposita contractibus.

CONVENIVNT DD. contractum cui apponitur demonstratio (vt quando dicitur, vendo tibi equum, qui est rubens, vel vendo equum tibi qui es diues) non irritari, quamuis demonstratio sit falsa, dummodo non apponatur per modum conditionis, nec contractui gratuito per modum causæ motiuæ, & error seu falsitas demonstrationis non sit circa substantiam rei, nec circa personam cui fit dispositio, vel cum qua contrahitur, ità Mol. disp. 211. Vazquez, c. 7. de restit. dub. 10. & Bonac. disp. 3. q.

q. 1. pun. 4. num. 8. quia tunc adest consesus sufficiens in contrahente, & circa materiam substantialem; quia non est error circa eam materiam, sed tantum circa accidens illius.

Vnde donatio qua dicitur, *dono tibi tale prædium, quòd est triginta iugerum*, est valida, quamuis non habent nisi viginti, quia tunc non est error circa substantiam rei, sed tantum circa quantitatem, seu mensuram illius: & ob eandem rationem valida est donatio qua dicitur, *dono tibi debitum quòd mihi debet Petrus, quòd est quinquaginta aureorum*, quamuis non sit nisi triginta: & donatio qua dicitur, *dono tibi tale saculum, in quo continentur mille aurei*, quamuis pauciores contineantur.

Imò ob dictam rationem dictæ donationes erunt validæ, quãuis tale prædium habeat plura iugera quam fuerint assignata, & quamuis debitum sit plurium aureorum quam fuerint assignati; & quamuis saculum contineat plures aureos quam fuerint assignati, quando mensura non apponitur ad ipsam taxãdam, sed tantum ad rem ipsam donatam demonstrandam, seu indicandam: quia tunc ex vna parte non est error circa substantiam rei; & ex altera non excluditur excessus ille mensuræ, quia mensura non fuit apposita ad eam taxandam, sed ad demonstrandam rem ipsam. Tunc autem apponitur mensura ad rem demonstandam, quando in contractu; seu dispositione inchoatur à re, & postea apponitur mensura, vt quando dicitur, dono tibi tale prædium, quòd est triginta iugerum: & quando dicitur, *dono tibi tale saculum in quo continentur mille aurei*: *& dono tibi debitum quòd debet mihi Petrus, quòd est quinquaginta aureorum*. Tunc verò apponitur mensura ad ipsam taxandam, quando ècontra in contractu, seu dispositione inchoatur à mensura, & postea apponitur res, vt quando dicitur, *dono tibi triginta iugera talis prædij*: & quãdo dicitur, *dono tibi mille aureos in tali saculo contentos*: & quãdo dicitur, *dono tibi quinquaginta aureos quos mihi debet Petrus*: quia ergo quando mensura apponitur ad ipsam taxandam, excluditur à consensu contrahentis, seu deponentis excessus mensuræ: ideo quoad hunc, quando sic apponitur mensura, contractus, seu dispositio, non est valida ex defectu consensus, quamuis sit valida, quoad mensuram assignatam.

Addidimus primò, *dummodo demonstratio non apponatur per modum conditionis, nec contractui gratuito per modum causæ motiuæ*, quia si apponatur per modum conditionis, cuicumque

contra-

contractui apponatur, vt apponitur virtualiter, quando dicitur, duco te in vxorem, quæ dabis tantam dotem, si demonstratio sit falsa, id est, si non det tantam dotem contractus est nullus, quia est virtualiter conditionatus, & deficit conditio: & si apponatur per modum causæ motiuæ contractui gratuito, vt apponitur virtualiter, quando dicitur, dono centum tibi filio meo, si demonstratio sit falsa, id est, si non sit filius disponentis, dispositio est nulla, ob rationem quam statim trademus difficultate sequenti.

Addidimus secundò, *& error demonstrationis non sit circa substantiam rei*, quia si sit circa eam, vel refundatur in eam, contractus erit nullus, vt quando dicitur, *dono tibi centum aureos, quos mihi debet Petrus*, & verè illos non debet, donatio est nulla, quia tunc error demonstrationis est circa substantiam rei donatæ, erit tamen valida, quoad pauciores quos habuerit, vt iam diximus.

Difficul. XII. Quid operatur causa apposita contractibus.

CIRCA Hanc difficultatem, Filliucius tractat. 3 3. cap. 10. & alij, existimant, & meritò contractum gratuitum, vt donationem, vel simplicem promissionem, cui apponitur causa motiua, hac non subsistente, esse nullum, quia causa motiua est titulus respectu contractus gratuiti: contractus autem est nullus non existente titulo, ob quem fit. Vnde donatio facta fœminæ, quia est consanguinea donantis, & quæ aliter non fieret, est nulla, si verè non sit consanguinea, quia tunc consanguinitas est causa motiua, & titulus dictæ donationis.

Contractum verò onerosum, v. g. venditionem cui apponitur causa motiua, absque qua non fieret, non fieri nullam quamuis ea causa motiua non subsistat, quia ex eo quòd ea causa motiua non subsistat, non deficit in contrahente consensus simpliciter efficax, quo hic, & nunc contrahit, vt patet: nec ex eo deficit titulus, quia supponimus fieri titulo, v.g. venditionem pro pretio: quod si causa motiua apposita contractui oneroso eum non irritat, ex eo quòd ipsa causa deficiat, multo minus illum irritauit causa impulsiua ei apposita, quamuis non subsistat: imò hæc impulsiua addita contractui gratuito, illum non irritat, quia ex eo quòd hæc deficiat, non deficit contrahenti consensus efficax, nec deficit titulus, quia causa impulsiua non est titulus.

Difficult. XIII. Quid operetur modus appositus contractibus.

CONVENIVNT DD. contractum cui apponitur modus, vt modus, vt quando dicitur, *admitto te in ciuem, vt soluas tributum*: & quando dicitur, dono tibi centum, vt mihi ædifices sepulchrum, non suspendi, sed statim ac fit, valere quamuis modus non impleatur, quia modus appositus supponit contractum iam absolutè factum, quia modo apposito significatur aliquid faciendum post contractum iam absolutè perfectum, quia ex vna parte modo apposito, tantum significatur aliquid faciendum, seu obligatio aliquid faciendi post contractum ipsum celebratum: & ex altera parte, celebratio contractus non fit dependenter à modo, tanquam à conditione, quia modus non est conditio: ergo modo apposito contractui, quamuis apposito quando celebratur contractus, si verè apponatur vt modus, non suspenditur contractus, sed statim valet.

Additur si apponatur vt modus, quia si non apponatur vt modus, sed vt materia partialis ipsius contractus, vt quando dicitur, do tibi centum vt mihi seruias, id est, pro seruitio mihi exibendo, seu pro obligatione qua obligaris ad mihi seruiendum, tunc suspenditur, & non valet datio illa centum, vsquequo alter obligetur. Illa tamen particula, *vt*, cui coniungitur particula, *seruias*, potius denotat modum, quam materiam partialem, & sic accipienda est, dum non constet altero modo accipi.

Addimus modum appositum contractui, non irritare valorem illius, quamuis sit contra substantiam ipsius contractus, (vt de modo contra substantiam matrimonij ipsi apposito, diximus tractat. de matrimonio, disputat. 7. difficult. 15.) vt quando dicitur, mutuo tibi pecuniam, vt mihi tribuas aliquid supra sortem, quia vt nuper dicebamus, modus appositus, & id quod eo significatur, supponit contractum iam absolutè & perfectè factum. Fatemur, quòd si contractus cui apponitur, sit voluntate contrahentium dissolubilis, quamuis præsupponatur validus, verè dissoluetur, seu destruetur admissione, seu contractione obligationis contrariæ obligationi ipsius contractus, cui fuit modus appositus.

(.?.)

Diss.

Difficult. XIIII. Qui possint contractus inire.

SVPPONIMVS Omnem qui vsu rationis est præditus, & habet bonorum administrationem, & aliàs iure humano nõ est impeditus, posse contrahere, quatenus administratio se extẽdit, vt patet: non vero eum cui deficit vsus rationis, quia ad contrahendum requiritur consensus liber, qui absque vsu rationis esse nequit, nec eũ cui deficit administratio bonorũ, quatenus defectus administrationis se extendit, quia contractus circa eam solam versatur, nec eum qui iure humano impeditus est contrahere.

Infantes ergo qui nondum ad vsum rationis peruenerunt, sunt iure naturali, seu ex natura rei inhabiles ad contrahendum, quia eis deficit vsus rationis, & ob eandem rationem, etiam amẽtes, & furiosi, nisi qui habẽt lucida interualla, quando ea habent.

Et pupilli (quales sunt masculi ante decimum quartum annũ completum, & fœminæ ante duodecimum completum) quando non sunt proximi pubertati (id est, quando masculi non habẽt decem annos & dimidium, & fœminæ quando non habent nouem, & dimidium) etiam sunt inhabiles iure humano ad contrahẽdum absque auctoritate tutoris, vt significatur in lege pupillus, ff. de condict. indebiti, quod est verum, quamuis careant tutore: imò vt contractus eorum sit validus, celebrandus est ab ipso tutore, & non sufficit quod celebretur à pupillo, adhuc ex licentia tutoris, vt advertunt Molina disp. 224. & Sancius 6. de matrimonio disput. 36. num. 5.

Et prodigi habentes curatorem, etiam sunt iure humano inhabiles ad contrahendum absque auctoritate curatoris, vt significatur in lege *is cui bonus*, de verborum obligationibus, & ideo prodigi & etiam pupilli non proximi pubertati nullo contractu obligant, nec obligantur, non solum ciuiliter, seu in foro exteriori, sed nec naturaliter, seu in foro conscientiæ, quia ex contractu nullo seu facto ab inhabili, nulla oritur obligatio. Et ideo qui à prædictis aliquid ludo lucratur, vel alio contractu aliquid ab eis accipit, tenetur ad restitutionem, si prodigus absque auctoritate tutoris, & pupillus non proximus pubertati per se ipsum, quamuis ex licentia tutoris contraxerit. Quod est verum, etiam si iurauerint se non contrauenturos contractui, quia quamuis

tale iuramentum superaddant, illi cum quibus contrahunt, non fiunt domini rei acceptæ, nec dictus pupillus, nec prodigus, manent illis ex iustitia obligati, adhuc naturaliter, etiam si maneant obligati ex iure Religionis ad non contraueniendum contractui, seu ad non petendum beneficium restitutionis per seipsos.

Et pupilli quamuis pubertati proximi, & minores curatorem habentes, etiam sunt inhabiles iure humano, ad contrahendum absque authoritate tutorum, & curatorum, circa bona immobilia, vt circa prædia, & circa iura ad immobilia, & circa iura ad annuos reditus: & etiam circa mobilia quæ seruando seruari possunt vltra triennium, vt circa aureum, & argentum, & gemmam, & mancipia, & gregem animalium, vt constat ex lege *ad resolutdum*: & ex l. *si quidem*: ex l. *si minor*, C. de prædijs minor. Imò ad valorem contractuum circa dicta bona, quamuis auctoritate tutorum, & curatorum celebrentur, etiam requiritur decretum iudicis, quod dari nequit nisi ex iusta causa. Imò minor pubes quãuis curatorem non habeat, & ideo posit propria auctoritate validè cõtrahere circa dicta bona, etiã eget iudicis decreto ad valorem sui contractus circa ea: & ideo prædicti nullo contractu circa ea bona obligant, nec obligantur, adhuc naturaliter, quando non fit auctoritate tutoris, aut curatoris (si minor eum habeat) & ex dicto decreto. Vnde, qui ab illis aliquod bonum ex dictis ludo lucratur, aut alio contractu aliter factis accipit, tenetur ad restitutionem illius. Quod etiam est verum, quamuis prædicti iurent se non contrauenturos contractui circa ea bona, ob eam rationem ob quam id diximus de pupillo, & prodigo, etiã si maneãt obligati ex virtute Religionis ad non contraueniendum contractui, seu ad non petendum per seipsos beneficium restitutionis.

Circa reliqua verò bona, nempè, mobilia quæ seruando conseruari nequeunt commodè vltra triennium, qualia sunt quæ absumuntur, vel quæ breui tempore inueterascunt, vt fructus, pecudes, & plura genera vestium, & pecunia vsui quotidiano deseruiens, & his similia, pupilli pubertati proximi, & minores curatorem habentes, quamuis nequeant absque auctoritate tutoris, & curatoris, omnino validè, & efficaciter contrahere, possunt tamen contractu claudicante, nempè, obligando ex iustitia alterũ contrahentem, ciuiliter & naturaliter, si hic alter sit maior vigintiquinque annorum, & non se ipsos obligando, ciuiliter ex iustitia, quod contra nullos existimamus verum, adhuc quoad mino-

res

res quamuis addant iuramentum contractui, quia ex iuramento ex nullo foro nascitur obligatio iustitiæ, nec ratione iuramenti reuiuiscit natiua obligatio contractus, vt diximus diffic. 7.

Sed quamuis non se obligent ciuiliter, seu in foro exteriori, se obligant naturaliter, seu in foro conscientiæ: (nisi quando contractus est pupilli, cum proprio tutore, absque auctoritate alterius tutoris) vt contra non paucos Theologos probabiliter existimantes, non obligare naturaliter, docent Molina dispnt. 224. Sancius 6. de matrimonio, disp. 38. Lessius cap. 17. dub. 8. Antonius Gomez tomo 2. variar. cap. 14. quod significatur in lege *si pupillus*, ff. ad legem falcidiam, & in l. 1. ff. de nouationibus; quia prædictorũ contractus circa dicta bona nullo iure irritantur, (nisi in Regno Castellæ contractus mutui pecuniæ, & cõtractus ex pecunia ipsis credita, etiam filijs familias, quamuis maioribus viginti quinque annorum, & quamuis iuramento approbetur, vt constat ex l. 22. titul. 11. lib. 5. nouæ Collectæ, vt aduertit Molina disp. 261.) Et ideo maior qui à prædictis, qui naturaliter ei obligantur, aliquid ex eis bonis ludo lucratur, vel alio contractu accipit, potest ratione dictæ obligationis naturalis, qua prædicti ipsi maiori obligantur, illud in conscientia retinere, vsque ad sententiam iudicis, illos quamuis non læsos restituẽtis in integrum, qua cogat maiorem ad restitutionem. Post hanc autem sententiam, tenetur maior eam rem restituere, quamuis ipsi non restituatur pretium, nec aliud ab ipso illis datum pro re sibi ab eis data, si aliquid dedit, & id iam sit ab illis amissum, vel destructum: & eo prædicti, non sint facti ditiores, quia si id quod illis datum est à maiori extet, est ipsi maiori etiam in foro exteriori ab illis restituendum: & si non extet in se ipso, si eo facti sunt ditiores, id in quo facti sunt, est etiam illi restituendum, imò si datum prædictis à maiori pereat eorum dolo, est etiam illi restituendum, vt constat ex lege vnica eod. de reputationibus quæ fiunt in iudice.

Sed quamuis prædicti sint aliàs naturaliter, seu in foro conscientiæ obligati maiori vigintiquinque annorum, ex contractu ad perficiendum, seu implendum illum. Possunt támen in foro conscientiæ illum non implere, seu non tradere maiori pretium, vel aliam rem aliàs tradendam ex vi contractus, quia freti beneficio restitutionis, possunt post traditum pretium, vel aliam rem, eam petere, qui autem potest aliquid iam traditũ repetere, etiam potest illud non tradere, nec frustranea erit dicta obligatio natura-

turalis, qua diximus prædictos teneri ex contractu celebrato cum maiori, quia ea obligatio saltem deseruit ad hoc, vt maior si pretium, aut aliam rem iam à prædictis accepit, posſit eam licite retinere, quousque prædicti restituantur in integrum à iudice.

A dictis bonis circa, quæ pupilli pubertati proximi, & minores curatorem habentes nequeūt sola sua authoritate omnino valide celebrare, se ipsos naturaliter, & ciuiliter obligando, excipimus bona castrēsia, vel quasi castrensia, quia circa hæc possunt omnino valide contrahere, non minus quam filius familias, quia eorum non tantum habent dominium, sed etiam liberam administrationem, non minus quam ille.

Filius familias (id est constitutus sub patria potestate) si sit impubes, non potest ex contractu quamuis circa bona castrensia adhuc auctore patre ciuiliter obligari, vt constat ex Instituta de inutilibus stipulationibus, §. pupillus (quamuis posſit, pupillus obligari auctore tutore) si tamē sit pubertati proximus poterit naturaliter obligari, sicut diximus de pupillo pubertati proximo. Et si pubes sit, potest quando non est in præiudicium patris, sola sua auctoritate independenter à patre valide, & efficaciter contrahere, id est obligari, & obligare ciuiliter, & naturaliter (exceptis contractu mutui pecuniæ, & contractu ex pecunia, ipsi credita facto ex quibus absque patris licentia obligari nequit) vt constat ex dicta Instituta, §. inutilis, & ex lege 38. ff. de actionibus, & obligationibus, quod nonnulli etiam extendunt, & probabiliter ad filium familias pubertati proximum Vndè filius familias pubes (& secūdum eam sententiam probabilem quamuis tātū sit pubertati proximus) potest pro sua libertate, absque consensu patris circa bona castrensia, & quasi castrensia omnino valide contrahere, quia id non est in præiudicium patris, quia filius habet eorum dominium & liberam administrationem, & etiam potest absque consensu patris, dum ab eo alimenta non recipiat, suas operas artificiales alteri locare, & se ad seruiendum alteri obligare: quia nec id est in præiudicium patris, quia eas operas non debet patri, sed tantum obsequiales, id est, ei obedire quo ad domus gubernationem, quando est cum patre: & ob eandem rationem potest absque consensu patris alio proficisci, & aliquam artem addiscere, & studijs operā nauare, quia nihil his oppositum debet ex iustitia patri; addimus ex iustitia, quia patri in magna necesſitate constituto, tenetur ex pietate subuenire, etiam operis artificialibus.

Circa

Circa bona tamen profectitia nequit filius familias, absque consensu patris cõtrahere, quia id est in præiudicium patris, quia pater habet totum dominium, & vsumfructum, & administrationem. Nec etiam potest circa bona aduentitia, quia quamuis habeat eorum dominium, non tamen vsumfructum, nec administrationem, quia hæc duo ad patrem pertinent. Exceptis sex casib. quos assignauimus, tratact. de iust. & iure disp. 1. difficult. 17. & ideo in eis casibus potest, circa ea absque consensu patris valide contrahere, non vero extra eos; nisi ex consensu patris, & ex eodem potest de eis ad pias causas testari, non vero ad prophanas quamuis pater consentiat. In Regno tamen Castellæ potest pro solo suo arbitrio de tertia parte eorum testari; de quibus legendi sunt Molina disp. 2.6 1. Sancius 6. de matrimonio, disp. 10. Rebellus secunda parte, lib. 1. quæst. 8. sect. 3. & Layman. libr. 3. tract. 4. cap. 8. vbi assignat septem modos, quibus filius familias liberatur à patria potestate, & efficitur sui iuris, quod etiam tradit Rebellus sect. 6.

Circa seruos, seu mancipia conueniunt DD. ex contractu seruorum, siue cum suis dominis, siue cum alijs, nullam oriri obligationem ciuilem, seu in foro exteriori, in ipsis, nec in alijs cum quibus contrahunt, ac proinde ex contractu, nec ipsis datur actio in foro exteriori contra alios, nec alijs contra ipsos, quia iure positiuo ità disponitur lege *in personam*, & lege, *quod attinet*, ff. de regulis iuris, excepto contractu quo seruus pro sua libertate promisit domino pecuniã, & quo dominus promisit seruo libertatem pro pecunia, quia ex eo contractu oritur ciuilis obligatio in seruo dandi domino pecuniam libertate donata, vt constat ex lege *promissæ*, C. *an seruus*; & in domino donandi libertatem accepta pecunia, vt constat ex lege vix, ff. de iudice.

Sed quamuis ex contractu serui non oriatur obligatio ciuilis, oritur tamen obligatio naturalis, seu in foro conscientiæ in ipso seruo, qui cum alijs contrahit, & in alijs cum quibus contrahit, quia hæc obligatio nullo iure impeditur; imò id in iure supponitur in dict. lege *quod attinet*, & in lege *serui*, ff. de action. & obligationibus.

Circa Principem suppremum conueniunt DD. ex contractu subditorum cum ipso, òriri in subditis obligationem ciuilem, & naturalem, quia neutra iure aliquo impeditur: & ex contractu ipsius cum alijs oriri in ipso obligationem naturalẽ, quia hæc nullo iure impeditur.

Est

Est tamē difficultas, an in Principe etiā oriatur obliga tio ciuilis

Circa quam Panormitanus, Felinus, Antoni, & Immola, quos refert, & sequitur Rebellus 2.p.lib. 1.q.8.sect.1.partem negatiuam tuentur, quia obligatio ciuilis oritur ex iure ipso Principis quò ipse obligari non potest.

Antonius Gomez verò tomo 2.var.resol.cap, 1. Padilla lege *interpositas*, n. 27. C.de transact. Mol. disp 261.& Bonac. disp. 3 q. 1. pun. 5. partē affirmatiuā tradunt, & merito, quia Princeps iure ipso ex quo obligatio ciuilis oritur, vere obligatur quoad vim directiuam, quāuis nō quoad coactiuā, seu inflictiuā pœnæ.

Circa vxores, an & quousque possint cōtrahere & donare absque consensu maritorum, constat ex dictis tract.de iust.disp. 13. dif. 8. & ex tract.de charit.disp.5. dif. 14.

Circa Religiosos, iā verè & absolute Religiosos cōueniūt DD. illos, exceptis militaribus, non posse licite, nec valide contrahere absque superioris licentia, saltem tacita, quia saltē absque ea non habent administrationem bonorum, adhuc eorum quorum habēt dominium, vt nostri habere possunt ante posessionem solemnem, de hac tamen re latius agimus tractatu de charit.disp. 5. dif. 14. & latissimè agemus tract.de statu Religioso.

Circa clericos seculares conueniūt DD, eos posse validè, & licitè cōtrahere, quia ex vna parte possūt habere dominiū, & administrationē bonorū, & ex altera nullo iure sūt impediti, sed an clericis & religiosis sit prohibita negotiatio dicemus disp. 2. dif. 17.

Dif. XV. Quibus cōcedatur restitutio in integrū.

ALIQVEM Restitui in integrū est eū reduci ā iudice in eū statū aut ius, in quo erat ante contractū, vel præscriptionē, quibus autē cōcedatur ea restitutio, ratione præscriptionis, *diximus* tract. de iust.disp. 2. dif 14. nunc ergo est difficultas quibus cōcedatur ratione cōtractus, v.g. emptionis, & vēditionis, vel ratione quasi cōtract⁹, v.g. acceptationis, vel repudiationis hæreditatis, potest autem restitutio ratione cōtractus (sub quo etiam compræhendimus quasi contractum) fieri non solum in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ.

Hoc supposito, cōueniunt DD. minoribus vigntiquinq; annorū, qui cōtraxerūt vel quasi cōtraxerūt, concedi beneficiū, seu priuilegiū restitutionis in integrū, quāuis cōtraxerint interueniēte auctoritate, siue patris, siue tutoris, siue curatoris: imò interueniē

te

te decreto iudicis, vt cōstat ex lege prima, & ex toto titulo, ff. de minoribus, & eodem beneficio, etiā maior vigintiquinq; annorū gaudet per accidens, ex cōsortio cū minore, quando ipse, & minor contrahunt cum alio circa rem indiuisibilem commune vtrique, secus quando rem diuisibilem, quia tunc soli minori restituitur pars, quæ ad ipsum pertinet, & dictum beneficium restitutionis quo minor gaudet, etiam transit ad suos hæredes, sicut læsio facta minori, etiam transit ad illos.

Beneficium hoc restitutionis nō habet locū quādo contractus est nullus omnino, nēpè ciuiliter, & naturaliter, qualis est cōtractus pupilli nō proximi pubertati, non interueniente auctoritate tutoris, & cōtractus minoris circa rē immobilem nō interueniente auctoritate curatoris, si eū habeat, & decreto iudicis, quia tūc nō conceditur illis beneficiū restitutionis, quia eo nō egent, quia eis sufficit beneficiū cōmune etiam maioribus, nēpè quod contractus declaretur à iudice nullus, vt constat ex lege *in causæ cognitione*, ff. de minorib. dictum ergo beneficiū restitutionis tātum habet locū, quando cōtractus est validus, vel omnino, nēpè ciuiliter & naturaliter, vel tantū naturaliter, est tamē discrimē, quod quādo contractus minoris est omnino validus nō conceditur illi beneficiū restitutionis, nisi quādo in eo læsus est minor, quādo vero cōtractus est tātū naturaliter validus ex parte minoris, & vtroq; modo ex parte maioris cū quo minor cōtrahit, conceditur beneficiū restitutionis minori ex eo solū quod saltē non obligat ciuiliter ipsum minorē, quāuis nō sit læsus. Læsio verò requisita, vt minor gaudeat beneficio restitutionis, quādo contractus est omnino validus, potest nō esse iusta, vt cōtigit quando minor solū læditur ex eo quod ei nō expediat ille cōtractus, v.g. venditio rei, debet tamē esse cōsiderabilis secundū se, & attēta quātitate cōtractus, quia quādo est adeo leuis, vt pro parua habeatur nō sufficit, v.g. in cōtractu centū aureorū, læsio in quatuor censenda est leuis, in decē vero cēsenda est considerabilis, & nō sufficit quod læsio sit cōsiderabilis, si per accidēs cōtingat in cōtractu, vt cōtingit quādo minor cordate emit equū, qui postea per accidēs moritur, sed requiritur quod læsio fiat ex vi contractus, aut censeatur annexa contractui minoris, quia est minoris,

Beneficio hoc restitutionis potest vti minor duobus modis, vno modo petēdo à iudice, vt efficiat quod ipsi minori restituatur quod tradidit maiori ex vi cōtractus, si contractus rescindendus est, &

& quando contractus non est rescindendus, quia solum fuit iniustus quoad pretium, vel quasi pretium, vt quando minor emit pluris iusto, vel vendit minoris iusto, potest eo benefitio vti, petendo à iudice, quod contractus reducatur ad æqualitatem. Altero modo potest minor vti benefitio restitutionis, excipiendo contra eum cui aliquid debet ex contractu, v.g. ex promissione, vel ex ludo credita pecunia, vt non cogatur illud soluere, vel contra eũ à quo aliquid accepit ex contractu, vt ex emptione, aut ex mutuo vt non cogatur illud reddere, si non extet, nec in se, nec in aliquo in quo ex illis factus sit ditior.

Vndè minor, qui ex contractu venditionis fuit considerabiliter læsus, quia vendidit minoris iusto restituendus est in ius pristinum, quoad pretium, nempè reducendo illud ad iustum, & si læsus fuit, quia ipsi non expediebat venditio, restituendus est: vel petendo rescissionem venditionis; si res vendita tradita fuit emptori, vel excipiendo contra emptorem petentem, tradi sibi rem sibi debitam, si nondum est illi tradita, & eodem modo restituendus est minor, qui ludo rem suam considerabilem perdidit, & minor qui attenta sua qualitate, donauit rem considerabilem absq; causa rationabili, & proportionata donationi, restituendus est, rescindendo donationem, & minor qui ex quasi contractu considerabiliter læsus est, v.g. quia hæreditatem considerabiliter damnosam acceptauit, vel quia considerabiliter vtilem repudiauit, etiam est restituendus; quia in omnibus dictis casibus fuit considerabiliter læsus ex contractu, vel quasi contractu.

Et minor non solum restituendus est, quãdo læsus fuit in dãno emergente, vt quando hæreditatem damnosam acceptauit, sed etiam in lucro cessante, vt quando hæreditatem vtilem repudiauit, & facienda est restitutio, quamuis res tradita à minore iã possideatur ab alio tertio.

Minor etiam, qui ex solutione sibi facta considerabiliter læditur, quia scilicet facilitate minoris pecuniam sibi solutam perdidit, vel male consumpsit (nisi dolo eam perdiderit, vel male cõsumpserit) etiam est restituendus, petendo irritationem solutionis excipiendo id in quo factus sit ditior, quia dicta læsio censetur annexa solutioni factæ minori ob facilitatem, & imbecillitatem minoris ætatis: maior tamen illi debitor non tenetur in cõscientia iterum soluere, quo vsque sententia iudicis cogatur; quia facta solutio, fuit saltem naturaliter valida, vt supponimus,

&

& ideo solutio tenet, quousque beneficio restitutionis annulletur.

Obseruandum est, quod quando restitutio fit ratione læsionis ex contractu, siue omnino valido, siue claudicante ex parte minoris, si restitutio fiat ratione læsionis prouenientis ex donatione, non solum restituenda est res donata, sed etiam fructus illius (exceptis expensis factis in perceptione eorum) in quo Doctores conueniunt, quia tunc minor non solum est læsus quoad rem donatam, sed etiam quoad fructus illius si verò restitutio fiat ratione læsionis ex contractu onerosa, vt ex iusta venditione non sunt restituendi fructus, vt contra Couar. primo variarum capit. 3. & contra alios aduertunt Molina disput. 575. Lessius, capit. 17. dub. 10. Reginaldus libr. 25. capit. 9. sect. 2. & Bonac. de contractibus, disput. 3. quæst. 1. punct. vltimo, quia tunc minor quamuis fuerit læsus in ipsa re, quia minori non expediebat eam vendere, non tamen in fructibus, si res fuit à minori tradita iusto pretio: quia tunc pretium adequatur rei, quamuis postea habituræ fructus, ac proinde tunc solum fuit læsus in re ipsa, quia ipsi non expediebat eam vendere, & non quia habitura erat fructus: quia attenta re, & eius fœcunditate vendita fuit iusto pretio, quod est verum, etiam quando maior cum quo contrahit, non fit dominus rei nec fructuum, vt contingit, quando traditur res ex contractu claudiante, potest tamen tūc eos retinere, quia minor naturaliter est obligatus ad rem & ad fructus, & nō est læsus in fructibus.

Addidimus, *ex contractu onoroso iusto*, aut quando tradita fuit iusto pretio, quia quando tradita fuit pretio minore, etiam sunt restituendi fructus proportione seruata ad læsionem quoad pretium, quia si res vendita fuit dimidio pretio, restituendum est dimidium fructuū, & si defuit tertia pars iusti pretij restituenda est tertia pars fructuū sic de alijs, quia tunc minor non solum fuit læsus in ipsa re, sed etiam in parte fructus correspondente defectui pretij, quia non solum fuit læsus, quia vendidit rem, quam ei non expediebat vendere, sed etiam quia quasi media pars, vel tertia pars rei venditæ fuit absque pretio, & consequenter fructus in ea parte virtualiter contenti.

Minor tamen qui gaudens beneficio restitutionis, & ipsi non est locus vtendi eo beneficio coram iudice, vel ex defe-

ctu probationis, vel quia nequit eo vti nisi magnis, expensis, vel aliter nō potest vti occulta recōpensatione (nisi quando læsus est iniuste) quia beneficium restitutionis tantum conceditur, vt eo vti possit medio iudice, & non vt propria auctoritate possit sibi ius dicere. Addidimus, *nisi quando læsus est iniuste*, quia quando sic est læsus, vel in pretio, vel aliter, vti potest occulta recompensatione (sicut etiam maior) iuxta præcepta generalia recompensationis.

Dicto beneficio minor in ætate minoris læsus, vti potest vsque ad vigisimum nonum annum impletum, quia eo vti potest spatio quatuor annorum post completum vigesimum quintum, vt constat ex lege finali, C. de tempor. in integrum restitutione.

Nihilominus minor non potest semper dicto beneficio vti, quia nequit. Primo vti, quando ante contractum impetrauerat à Principe veniam ætatis. Secundò, quando post annum vigesimumquintum ratificauit contractum. Tertiò quando minor iam pubes iuramento addito celebrauit contractum (nisi iuramentum relaxetur) quia minori sic iuranti negatur actio ad contrauenienduum ei contractui, non verò pupillo non puberi, nec prodigo, quamuis hi teneantur ex virtute religionis non contrauenire, quousque relaxetur, quod facile potest, cum non sit in præiudicium tertij, addimus maiorem contrahentem cum minore posse alio quarto modo sibi consulere, ne damnum ex contractu cum minore patiatur, ratione beneficij restitutionis, nempè, procurando fideiiussorem, qui se obliget ad damna, quæ sibi eueniant ex restitutione minoris, si minor ea vtatur.

Dictum beneficium restitutionis minoribus concessum, etiam conceditur alijs quinque. Primò, Ecclesijs, & pijs locis. Secundò, Reipublicæ & communitati cuiuscumque oppidi. Tertiò vniuersitati studiorum. Quartò, Rudibus & fœminis. Quintò, Principibus supremis quoad bona Principatus, & Fisci, de quibus legendi sunt Molina disput. 574. Lessius, cap. 17. dub. 9. & Bonac. disput. 3. quæst. 1. punct. vltimo.

(?)

Difficul. XVI. Vtrùm ad valorem contractus requiratur signum externum interioris consensus.

CONVENIVNT Communiter DD. contractum respectiuum, seu reciprocum, v.g. emptionem & venditionem, ad sui valerem, imò ad sui naturam & essentiam, requirere signum externum consensus interioris expressiuum, quia est contractus humanus, seu pactio humana, homines autem pasci sci nequeunt absque signis externis, & ob eandem rationem idem est dicendũ, de contractu nõ respectiuo, v.g. de promissione vnius acceptata ab altero, quia scilicet, contractus etiam non respectiuus est cõtractus humanus, seu pactio humana.

Est tamen difficultas, an ad naturam & valorem contractus, sufficiat signum externum absque consensu interno dandi ius in rem, circa quam est contractus, aut dandi dominium illius.

Turrian. disp. 55. dub. 12. existimat sufficere, quia alias qui absque eo consensu venderet rem, & eam tradidisset, posset eam absque iniustitia occultè accipere, si pretium emptori rei restituat, quod videtur absurdum.

Molin. verò disp. 352. Lopez lib. 1. c. 1. Faustus, disp. 5 c. 1. Reginaldus, lib. 25. c. 1. Filliucius tract. 33. c. 2. & communiter DD. existimant ad essentiam & valorem contractus non sufficere signum externum, sed etiam requiri dictum consensum, quod nos tract. de matrimonio, disp. 3. diff. 6. generaliter diximus, de quocumque contractu, & meritò, quia absque vero consensu domini quo velit dominium rei suæ transferre in alterum, aut ei cõferre ius iustitiæ in illam, id nequit fieri, etiam si exterius significet id velle, quia solo eo signo exteriori verè non consentit.

Addimus, quod quamuis quando adhibetur dictum signum, sit pro tunc debitus consensus ratione veracitatis, vt signum sit verum, nihilominus, quia non est debitus ex iustitia, quia nullum apparet sufficiens fundamentum ad tale debitum admittendum, ideo non est obligatio standi contractui fictè facto, nisi quãdo ex fictione illatum est damnum alteri, quod nequit aliter resarciri, nisi stando contractui, quia fictè contrahens tenetur ad reparationem damni ex sua fictione sequuti, si prudenter timuit illud euenturum.

Vndè non existimamus absurdum, imò nec falsum eum qui fictè vendidit rem, & eam tradidit emptori, posse eam absque iniustitia occultè accipere, si pretium emptori restituat.

Quo modo verò contractus nullus, vel quia defuit verus consensus, quia scilicet, fuit fictè, seu absque verò consensu factus, vel quia defuit legitimus consensus, quia scilicet, fuit elicitus cōtra ius, eum irritans, reualidandus sit, constat ex dictis à nobis, de modo reualidandi contractum matrimonij: tractatu de matrimonio disp. 2. à diff. 9. quod suo modo cōuenit reliquis contractibus, quia eadem est ratio omnium, quo ad modum reualidationis.

Difficult. XVII. De tempore & loco impletionis contractus.

CIRCA Tempus impletionis, seu solutionis contractus, conueniunt DD. debere fieri tempore assignato, seu præfixo à contrahentibus, quia id assignare pendet ex voluntate ipsorum, & eo tempore transacto debitorem esse in mora, quamuis à creditore non petatur impletio ipsa, seu solutio, quia tempus ipsum assignatum petit pro creditore. Si verò tempus non assignetur, adhuc implicitè, impletionem seu solutionem faciendam esse cū primū petatur, à creditore, & more humano fieri possit, & si creditor, nō petit, vel quia nō audet rationabili causa, vel quia ignorat debitū, vel quia adest alia rationabilis causa ad non petendū, etiā esse faciendam, cum primum fieri possit humano modo, quamuis non petatur, quia verè est debita, & eius dilatio censenda est cōtra voluntatem domini, dum attentis circunstantijs, non iudicetur prudenter, non esse contra voluntatem illius.

Quando autem debitor est in mora, tenetur ad interesse, id est ad restitutionem lucri cessantis, & damni emergentis ex dicta mora, seu dilatione contra voluntatem creditoris, de quo diximus tract. de iust. disput. 7. diff. 4.

Circa locum impletionis, seu solutionis contractus, conueniunt Doctores debere fieri in loco assignato à contrahentibus, seruata æqualitate, attento onere quod imponitur, & vtilitate contractus, vt ex se patet, quando verò locus non assignaur, solutio-

ſolutionem regulariter eſſe faciendam, in eo loco in quo fit contractus; addimus *regulariter*, quia aliquando facienda eſt in alio loco attēta cōſuetudine, aut alijs circūſtantijs, quādo vero omnibus attentis, manet dubium vbi fieri debeat, facienda eſt vbi voluerit debitor, ſeruata tamen ſupra dicta æqualitate, de quo non nihil etiam diximus diſp. 7. de iuſt. dif. 3.

DISPVTATIO II.

De emptione, & venditione.

Difficult. I. Quid ſit emptio, & quid ſit venditio?

EMPTIO Deſcribi poteſt, quod ſit *pactio pretij pro mercede*, id eſt, pactio tradendi pretium pro mercede, & venditio quod ſit *pactio mercis pro pretio*, id eſt tradendi mercem pro pretio, vt colligitur ex lege 1 ff. *de contrahenda emptione*, in qua definitione nomine mercis, intelligitur quælibet res vendibilis (adhuc immobilis, & etiam actio & ius) quæ pretio æſtimari poteſt: nomine autem *pretij*, intelligitur pecunia quæ inuenta eſt, vt ſit menſura, & pretium omnium quæ in humanos contractus veniūt, vt aduertit Ariſtot. 5. ethico. cap. 5. in hac definitione loco generis ponitur *pactio*, quæ communis eſt ad omnes contractus, loco verò differentiæ ponūtur illæ particulæ, *pretij pro merce, & mercis pro pretio*, quia per eas contractus mutuus coaleſcens, ex emptione & venditione, tamquam ex partibus inter ſe diſtinctis, ſed ad inuicem relatis (qui quamuis vnus tantum, non gaudet, vno aliquo nomine ſpeciali, ſed nomine vtriuſque partis) diſtinguitur ab alijs contractibus.

Quando ergo pro re aliqua, non ſolum datur altera res, ſed etiam pecunia, nō ſolum eſt cōtractus innominatus permutationis rei pro re, ſed etiam contractus emptionis & venditionis, quia tunc non ſolum eſt mutua traditio rei pro re, quæ dicitur permutatio, ſed etiam pactio pecuniæ, ſeu pretij pro merce, & mercis pro pecunia, quæ dicitur emptio & venditio, quod eſt ve-

rum, siue pecunia sit maioris, siue minoris valoris quã altera res, quæ simul cum ipsa pecunia datur pro altera re.

Obseruandum est valorem, seu pretium rei secundum se, attenta ipsius vtilitate, & alijs circuntantijs extrinsecis dupliciter taxari posse vno modo, lege aut præcepto superioris (cui standũ est etiam à clericis, adhuc in dubio, an taxatio sit iusta sicut cuilibet alij legi & præcepto superioris) & ideo pretium sic taxatũ dicitur legitimum, altero modo valorem, seu pretium rei taxari posse, vel communi peritorum iudicio, seu æstimatione, (vel alicuius tantum prudentis, & periti, in defectum communis iudicij) & pretium sic taxatum dicitur naturale, & vulgare: dicitur naturale, quia naturali prudentia taxatum: & dicitur *vulgare*, quia iuditio communi vel æquiualente taxatum, quia tamen adhuc, periti regulariter non conueniunt in indiuisibili pretio rei: imò vnus & idem taxans, vulgariter, seu sine præcepto & lege solet illud plus minusvè taxare, ideo pretium naturale, seu vulgare, intra latitudinem iusti habet triplicem gradum, nempè, infimum, medium, & suppremum, imò quilibet gradus ex his tribus, suam habet latitudinem, quia quilibet est diuisibilis, in quo pretium naturale, seu vulgare distinguitur à legitimo, quia hoc, lege aut præcepto indiuisibiliter assignatur, vltra, seu supra quod quando iustum est (si versus magnitudinem taxatum sit, in gratiã emptoris, vt contingit in venditione tritici in Castella) nequit res vẽdi: bene tamen citra, seu intra illud: imò debet si pretio vulgari res minoris communiter æstimetur, & citra quod (si versus paruitatem taxatum sit in gratiam venditoris, vt contingit in venditione censuum) nequit res emi, benè tamen vltra illud: imò debet si pretio vulgari res pluris communiter æstimetur.

Difficult. II. Quo compleatur contractus emptionis & venditionis?

SVPPONIMVS Contractum emptionis & venditionis compleri saltem accidentaliter traditione mercis, & pretij: quia saltem ad eam traditionem ordinatur, & ante eam traditionem non esse omnino completum.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an ante eam traditionem

nem sit essentialiter completus, seu perfectus sola pactione, seu conuentione dandi mercem pro pretio, & pretium pro merce.

Circa hanc difficultatem Molina disp. 254. Lessi. cap. 21. dub. 1. Rebellus lib. 9. quæst. 1. sect. 1. Turrian. disput. 58. dub. 8. Layman. lib. 3. tract 4. cap. 17. Bonac. disp. 3. q. 2. pun. 1. & communiter DD. contra Vazquez, de restit. cap. 6. §. 2. num. 6. & 27. docent & meritò contractum emptionis & venditionis essentialiter perfici ante dictam traditionem, sola dicta pactione (coalescente ex consensibus interioribus contrahẽtium, & ex signis externis, quibus dicti consensus exprimuntur) ita habetur in Instituta, de obligationibus ex consensu, §. vnico, & in Instituta, de emptione & venditione, §. cũ autẽ, & in lege 6. Castellæ p. 5. tit. 5. & sanè vocabula ista *emptio*, & *venditio*, ad solã dictàm pactionem significandam sunt imposita, cui maximè fauet communis modus loquendi, quo res, v. g. equus post pactionem illius pro pretio ante traditionem illius, dicitur venditus esse.

Ita tamen, contractus emptionis & venditionis essentialiter perficitur, sola pactione mercis pro pretio, & è contra, vt ad valorem perfectum illius necessariũ sit, quod pretium definiatur, seu determinetur: & nõ sufficiat quod vẽdens dicat, se vendere mercem pro pretio iusto: & quod emens dicat, se emere illam iusto pretio, quando pretium lege, aut aliter nõ est indiuisibiliter definitum, quia aliàs contractus non erit firmus, quia vendens potest nolle stare contractui, nisi suppremo gradu iusti pretij, & emens potest nolle stare nisi infimo gradu: tunc tamen perficietur si emens velit emere suppremo gradu, aut si vendens velit vendere infimo, quia tunc contractus erit firmus.

Nec sufficiet, vt contractus emptionis & venditionis sit omnimo substantialiter perfectus, quod fiat pretio assignando ab alia tertia persona, quousque assignetur, quia potest deficere assignatio, vel morte illius tertiæ personæ, vel quia nõ vult assignare, & assignatione nõ existente non est obligatio tradendi mercem, nec pretium aliquod, assignato autẽ pretio manet omnino substantialiter perfectus: nihilominus ante assignationem à tertia illa persona est validus, obligans ad traditionem mercis, & ad traditionem pretij assignandi, quando assignatum fuerit, & quamuis sit incompletus, quia nondum pretium est assignatum, est tamen absolutus & non conditionalis: quia non est expectans impletionem alicuius conditionis extrinsecæ, absque

qua contractus iste possit fieri, sed tantum assignationem pretij, quæ est pars materiæ dicti contractus absque qua contractus nequit perfectè, seu complete substantialiter fieri, sicut nec prior consensus contrahentis matrimonium dicitur conditionalis, quãuis expectet cõsensũ alterius, imò etiã si ei addatur pro cõditione cõsensus alterius, vt si vir dicat *duco te in vxorẽ si consenseris*, quia quamuis expectet consensum alterius & dependeat ab illo, vt sit validus, non tamen expectat illum tanquam quid extrinsecum ad contractum, sed tanquam quid intrinsecum, de quo diximus tract. de matrimonio disp. 7. dif. 1.

Diffic. III. Vtrùm licitum sit rem pluris vendere, & minoris emere quam valet?

CONVENIVNT DD. peccatum esse & ad restitutionem obligare, vendere rem, pluris quam valet excedendo dimidium iusti pretij, seu supra illud, v.g. rem valentem viginti vendere triginta & vno, & emere rem minoris quam valet, non attingẽdo dimidium iusti pretij, seu citra illud, v.g. rem valentem viginti emere nouem. quia id est contra ius naturale iustitiæ, & contra ius positiuum damnans dictam venditionem, & emptionem.

Est tamen difficultas, an sit licitum vendere rem pluris quam valet, & emere minoris quam valet intra dimidium iusti pretij.

Baldus in authentica *ad hæc*, C. de vsuris, opposit. 21. Barba. in cap. 1 *de emptione* Ioannes Crotus in cap. 2. notabil. 1. de constitutionibus in 6. & Durandus, docent, eũ qui sic vendit, aut emit nec peccare, nec ad restitutionem teneri, quod significari videtur in lege *in causæ*, §. idem, ff. de minoribus, & in lege *item si pretio*, §. quærendum, ff. locati, dum in eis dicitur naturaliter licere contrahentibus inuicem se circumuenire intra dimidium iusti pretij quod etiam approbat ius Canonicum in cap. *cum causa*, & in cap. *cum dilecti*, de emptione & venditione, & idem videtur significari in lege 1. *si hæres*. ff. ad Senatus Trebell. dum dicitur, *rem tanti valere quanti vendi potest*.

Gerson in opusculo de contract. part. 2. propositione 11. docet, eum qui sic vendit aut emit, peccare, quia emit, aut vendit pretio iniusto, non tamen teneri ad restitutionem, quia scienti, & consentienti non fit iniuria.

S.

S. Thom. verò quæst. 77. art. 1. Couar. 2. variar. cap. 4. num. 11. Læssius, cap. 21. dub. 4 Turrian. disp. 57. dub. 1. Bonac. disput. 3. quæst. 2. pun. 4. & communiter DD. docent, & merito, eũ qui sic vendit, aut emit, peccare, & ad restitutionem teneri, quod adeo certum existimamus, vt oppositum non iudicemus probabile: & in primis eum peccare, constat, quia vendere aut emere iniusto pretio, est contra iustitiã, quia, est cõtra æqualitatem inter rem & pretium; ergo. Quod autẽ teneatur ad restitutionem cõstat ex eo quod committit iniustitiam, & inæqualitatem, quã iustitia exigit reduci ad æqualitatem.

Dum autem in prædictis iuribus dicitur, aut supponitur licere se naturaliter circunuenire, seu decipere, tantum significatur, quod quamuis non liceat scienter se decipere, liceat tamẽ re ipsa, seu naturaliter, quia id quod re ipsa & naturaliter valet res, regulariter ignoratur, & dum dicitur quod res tanti valet, quanti vendi potest, tantum significatur tanti valere quanti vẽdi potest intra latitudinem triplicis gradus iusti pretij naturalis, seu vulgaris, *scienti autem & consentienti non fit iniuria* (quod aduersarij afferunt in sui fauorem) tantum est verum de consentiente liberaliter, aut de consentiente intuitu tituli æqualis, non verò de consentiente absque liberalitate, & absque intuitu tituli æqualis, vt contingit soluenti vsuras, cui fit iniuria, quia nec consentit liberaliter, nec dicto intuitu, quod etiam contingit vendenti pluris, & ementi minoris, quia etiam non consentit liberaliter, nec intuitu tituli æqualis, vt supponimus: est tamen discrimen, quod contractus vsurarius, non solum est illicitus contra iustitiam, sed etiam est nullus, quia nullus adest titulus legitimus, contractus verò venditionis quo res pluris venditur, & emptionis quo res minoris emitur, quamuis sit illicitus, quia titulus intuitu cuius sit, est inæqualis, est tamen validus, quia fit intuitu tituli legitimi, quia contractus venditionis fit intuitu pretij, & contractus emptionis intuitu mercis.

(.?.)

Dis.IIII. Quid sit iure statutum, circa emptionem infra dimidium iusti pretij, & circa venditionem vltra dimidium.

OBSERVANDVM Est, tunc aliquid emi infra, seu citra dimidium iusti pretij, quando emitur pretio, quod est minus quam dimidiũ iusti, in quo DD. conueniunt, vt quando res valẽs decem, emitur quatuor, & tunc aliquid vendi supra, seu vltra dimidium iusti, quando supra iustum etiam redditur dimidium iusti, & aliquid aliud, vt quando res valens decem, venditur decem & sex, & non est necessarium, quod vendatur viginti & vno, vt contra nonnullos docent communiter DD. & sic definitum est lege 56. Castellæ tit. 5. partita 5. quia id esset rem vendi supra duplũ, gradus autem pretij non taxati à Principe, sed naturalis habentis triplicem gradum considerandus vt res dicatur, emi infra dimidium iusti, est infimus, quia infimus etiam est iustus, ac proinde qui non emit infra infimum, non dicitur absolutè emere infra iustum, & vt res dicatur vendi supra dimidium iusti, considerandus est suppremus, quia etiam suppremus est iustus, ac proinde qui nõ vendit supra suppremũ, nõ dicitur absolutè vẽdere supra iustum.

Hoc ergo supposito, ex dictis diff. præcedente constat, emptionẽ & vẽditionem inæquales in re, & in pretio stando in iure naturali, esse illicitas cõtra iustitiã, & esse restitutioni obnoxias, eás tamẽ ius positiuũ, tàm ciuile, quã canonicũ, quamuis non approbet, permittit, quando emptio nõ est infra dimidiũ iusti pretij, & quando vẽditio nõ est supra dimidiũ iusti, ne multiplicentur lites.

Quãdo verò emptio est infra dimidiũ iusti pretij, & vẽditio supra dimidiũ iusti pretij, ius positiuũ non permittit illas, quia iure hoc datur parti læsæ actio cõtra vendentẽ, vt vel rescindatur, vel vt pretiũ ad iustum reducatur, prout ipse lædẽs maluerit (quãuis iure naturali determinate tenebatur, pretiũ ad iustũ reducere) ita statuitur iure Cæsareo lege 2. C. de rescind. vend. & lege *si voluntate*, eod. tit. & iure Castellæ lege 56. tit. 5. p. 5. & iure canonico, cap. *cũ dilecti*, & *c. cum causa*, de empt. & vend. amittit autem læsus actionẽ dictã contra lædentem, aut quando cedit iuri suo, aut quando iurauit, non contrauenire contractui.

Hæc autem dispositio iuris, qua datur dicta optio lædenti, nõ habet

habet locũ, quãdo cõtractus fuit nullus, siue errore cõtingẽte circa materiã substãtialẽ contractus, siue aliter; quia ex vna parte, tũc iure naturali potest vteruis, etiã læsus à cõtractu discedere, vt diximus disp. 1. dif. 6. & ex altera parte iura positiua concedentia optionem lædenti, non intendunt in casu nullitatis cõtractus fauere lædenti contra ius naturale, quod etiã habet læsus, vt possit à contractu nullo discedere, & eum non ratificare.

Est tamen difficultas, primò, an quando res empta infra dimidium iusti pretij vendita est, vel aliter alienata, vel consumpta ab emptore, detur venditori læso dicta actio.

Circa quã Mol. disp. 349. Rebell. 2. p. lib. 9. q. 3. sect. 2. Glos. lege 1. C. de rescind. vend. Ant. Gom. 2. variar. & communiter DD. conueniunt dari venditori, seu potius ipsum retinere antiquã actionem contra emptorẽ, vt si rem emptã nõ restituat, vel quia non potest, vel quia non vult eam à se alienatã recuperare, saltem augeat pretiũ, vsque ad latitudinẽ gradus infimi iusti, quia ex eo quod emptor eã libere alienauerit, vel consumpserit, non amisit venditor suam antiquam actionem contra illum, nẽpè, vt emptor restituat rem rescindendo contractum, vel vt defectum pretij suppleat, prout ipsi placuerit, eo autem ipso quod libere se priuauit re, quo non potuit contractum rescindere, ipsi placuit defectum pretij supplere, non tamen dari venditori actionem cõtra tertium possessorem, quando primus emptor est potẽs satisfacere dictæ actioni venditoris, saltem supplendo defectum iusti pretij, si tamen primus emptor non sit potens satisfacere, tunc dari actionem contra tertium possessorem, quando titulo lucratiuo, seu gratuito rem illam acquisiuit, aut emptione infra dimidium iusti, quamuis bona fide vt, scilicet tunc, vel rem ipsam primo vẽditori restituat, vel vt pretium vsq; ad infimũ iusti augeat. Et si tertius possessor iam non habeat rem, si eam bona fide alienauit, vel quia ignorans primum venditorem fuisse læsum, vel quia id sciens, ignorans tamen primum emptorem fieri impotentem ad satisfaciendum, tunc dari actionem primo vendenti, cõtra ipsum possessorem, vt satisfaciat solo eo quo factus sit ditior, si in aliquo factus sit. Et etiam dari actionem contra tertium possessorem, vt rem restituat, vel vt pretium suppleat, quando titulo oneroso, verbi gratia, pretio, vel aliter illam acquisiuit, si eam mala fide acquisiuit, nempè, sciens primum emptorem illam emisse infra dimidium iusti, & iam esse impo-

impotentem ad satisfactionem, non vero dari actionem contra illum, quando titulo oneroso, & non infra dimidium iusti eam acquisiuit, si bona fide acquisiuit, ignorans, videlicet, primum emptorem illam emisse infra dimidium iusti, aut si id sciens, ignorãs tamen primum emptorem esse impotentem ad satisfaciendum.

Secundò est difficultas, an quando res vendita fuit supra dimidium iusti pretij & liberè consumpta est, vel alienata ab emptore, ita vt eam nequeat reddere venditori, detur actio ipsi emptori contra venditorem sicut ei datur, quando eam potest reddere venditori.

Couar. 2. variar. cap. 4. in fine, & Pinellus lege 2. C. de rescindenda venditione, part. 2. num. 39. docent, etiam tunc dari emptori actionem contra venditorem, vt scilicet restituat excessum pretij, quia scilicet tunc etiam relinquitur ipisi lædenti locus optioni vtriusque partis, quia loco rei alienatæ, vel consumptæ adest pretium, quod venditor lædens potest loco rei eligere.

Antonius Gomez verò 2. variar. cap. 2. num. 22. Gutierrez 2. de practici., quæst. 137. Molina & Rebellus vbi supra, & cõmuniter DD. docent, tunc non dari actionem emptori contra vẽditorem, & meritò, quia iure positiuo, quo solo dicta actio datur, non datur emptori cõtra venditorem, nisi vt cogat ipsum, vel ad rescisionẽ cõtractus, vel ad restituẽdũ excessum pretij prout, ipse venditor lædens maluerit, in casu autem præsentis difficultatis, venditor nequit eligere rescisionem contractus, seu quod sibi fiat restitutio rei, quia vt supponimus emptor non potest eam restituere.

Et ob eãdem rationem non datur actio dicto emptori cõtra dictum venditorem, quando res empta casu perit, aut fit notabiliter deterior, quia scilicet quando perit, tunc venditor non potest eligere rescisionem contractus, seu quod sibi fiat restitutio rei, & quando fit notabiliter deterior, tunc non vult rationabiliter rescisionem contractus, & ob eandem rationem, etiam è cõtra, quãdo res empta infra dimidiũ iusti pretij à casu perit, nõ datur actio venditori contra emptorẽ, quia scilicet, tunc emptor nequit eligere rescisionem contractus, benè tamen datur, quamuis res casu fiat notabiliter deterior, quia tunc emptor potest eligere rescisionem cõtractus, aut supplere defectum pretij, quæ expresse statuuntur dicta lege 56. Castellæ in vtroque tamen casu, vendens supra dimidium, tenetur iure naturali restituere excessum

cessum pretij, & emens infra dimidium, tenetur supplere defectum iusti pretij.

Ad rationem autem aduersariorum respondemus: Pretium rei alienatæ, vel consumptæ, non esse distinctum ab altera parte, quàm potest venditor eligere; nempè, à restitutione excessus pretij, quia restitutione excessus pretij sibi ab emptore facta, æquiualenter recipit pretium rei, & ideò non relinquitur illi locus optioni, quòd est necessariū, vt iure positiuo detur emptori actio contra illum.

Fructus autem temporis intermedij, quando lædens eligit rescisionem contractus, pertinere ad emptorē, siue emptor fuerit lædens, siue læsus, dicemus difficult. 16.

Difficult. V. Vtrùm, ob aliquas causas, aut circunstantias possit res pluris vendi?

SI in rigore & strictè loquamur, non est licitum ex vi venditionis plus exigere pro re quam valet, nec ex vi emptionis minus dare, quia non seruaretur æqualitas debita inter rem & pretium: possunt tamen admisceri aliqui tituli, nempè, liberalis donatio, & grauamen aliquod ex vi quorum posit venditor accipere aliquid vltra pretiū correspondens valori rei, secūdum se, & emptor posit substrahere aliquid de pretio correspondente valori rei, secundum se, quæ possunt habere locum, siue pretium sit lege taxatum, siue non. Et etiam possunt euenire, seu contingere aliquæ circumstantiæ, aut causæ ob quas potius dicatur augeri pretium rerum, vel diminui, quia res ob eas fit appetibilior, vel minus appetibilis, quàm res pluris vendi, aut minoris emi, quæ maximè habent locum quando pretium rei est naturale, seu vulgare.

Hoc supposito, conueniunt primò DD. ratione solius vtilitatis emptoris ipsi prouenientis, ex peculiari, seu proprio statu, aut conditione, aut circunstantia, nō posse ipsi rem pluris vendi, quia ea vtilitas non est vendentis, nec ex ipso prouenit, sed est emētis.

Conueniunt secundò DD. ob penuriam mercium posse rem, seu mercem pluris vendi, quia ob eam pretium mercium crescit, quia res magis appetitur & æstimatur, quādo difficili⁹ inuenitur; & etiam posse pluris vendi ob copiam emptorū, & pecuniæ, quia etiam tunc appetibilitas mercium crescit, quia etiam tunc res diffi-

difficilius inuenitur, & acquiritur, quę etiam habent locum, quando pretium mercium est lege taxatum, dum non reportetur supra taxam, nisi quando taxa, seu lex ex dictis causis sit iniusta.

Quomodo autem, & quibus conditionibus, ratione lucri cessantis, & damni emergentis, possit res pluris vendi, & minoris emi, dicemus disp. 3. dif. 8. & 9.

Tertiò, contra Medinam q. 31. de restitutione, Petrũ Nauarr. 3. de restitutione, cap. 2. dub. 5 Reginaldus lib. 25. n. 281 & Bonac. disp. 3. q. 2. pun. 4. existimamus, vt optime Turrian disp. 57. dub. 6. Lessius cap. 21. dub. 4. n. 25. (etiam si nu. 24. oppositũ videatur docuisse) Filliuc. tract. 25. c. 3. n. 66. & alij mercatorẽ non posse ratione officij mercãdi pluris vendere, quã cum qui nõ ex officio, sed ex occasione vendit, quia res nõ potest supra id quod valet, vendi, res autẽ ex eo quòd sit mercatoris, & ab eo vẽdatur, nõ pluris valet, quia ex eo non fit melior, nec pretiosior, nec appetibilior: ergo nequit pluris à mercatore vendi, quã à nõ mercatore.

Quartò, contra Rebellum lib. 9. quæst. 2. section. 1. & contra alios existimamus, vt optimè Molina disput. 364. & Turrianus dub. 5. ratione asportationis mercium, non posse aliquid iustè supra commune pretium iustum reportari: quia res ratione asportationis non pluris valet, quia non fit melior, nec pretiosior, nec appetibilior, vt patet, dispensatione autem legis taxantis, v.g. triticum (vt fit in Castella) non fit condonatio excessus pretij supra commune taxatum, (quod fieri posset in præmium asportationis, quæ est vtilis Reipublicæ) quia nullum est in legibus dispensantibus verbum quo ea condonatio indicetur, sed tantum fit permisio, aut concesio vt vendatur, ac si non esset taxa, relinquendo venditionem illius iusto pretio vulgari, cuius suppremus gradus aliquando excedit pretium indiuisibile lege taxatum; ac proinde asportantes rem lege taxatam, in cuius legis fit dispensatio, non possunt aliquid reportare supra suppremum gradum pretij vulgaris,

Quod si ratione asportationis non potest res supra commune pretium iustum vendi, multo minus poterit ratione peculiaris, seu extraordinarij laboris, nec ratione peculiarium, seu extra ordinariarũ expensarum, nec ratione peculiaris infortunij, quòd circa merces accididit mercatori, quia ex nullo prædictorum res fit melior: & ideo communiter displicet quod docent Scotus in 4. distinct. 5. quæst. 2. artic. 2. & Maior quæst.

41. nempè, quod si mercator infortunio aliquo, vnam nauim amisit, possit pluris vendendo reliquas res suas, damnum compensare.

Quintò, Medina q. 31. de restitutione, Lessius num. 29. Turrianus dub. 4. Bonacin. disp. 3. q. 2. punct. 4. nu. 15. & communiter DD. docent, venditorem posse ratione peculiaris affectionis ad rem, (v.g. ad ensem quo sui progenitores insigne facinus, fuerunt operati) aliquid reportare pro ipsa re, supra pretium commune quamuis lege taxatum. Et meritò, quia tunc venditor patitur damnum priuationis delectationis, qua delectatur eam possidendo: ergo ratione huius damni ipsi emergẽtis, potest aliquid supra pretium correspondens rei secundum se reportare, seruata tamen proportione ad maioritatem, vel minoritatem affectionis ad rem, ita vt excessus pretij, quando affectio est maior, sit maior; & excessus sit minor, quando affectio est minor. Potest autem venditor ratione affectionis aliquid, supra commune pretium reportare, si alias non venditurus vendat in gratiam ementis, & cum reliquis conditionibus requisitis, vt ratione damni emergentis, possit aliquid reportari, quia excessus ille tantum potest reportari ratione damni emergentis. De eis tamen dicemus disp. 3. dif. 9. quod nõnulli, & nos, cõtra alios verum existimamus, quamuis affectio ad rem habeatur, absque sufficiente fundamento, quia etiam tunc venditor verè patitur damnum, quia verè priuatur delectatione sibi bona, quamuis absque fundamento habita.

Sextò, conueniunt DD. ratione solius dilationis pretij, seu solutionis, non posse rem pluris vendi, quia tempus est impertinens ad pretium rei, vt dicemus disput. 3. diffic. 5. & 11. Vndè, non potest res pluris vendi credita pecunia, quã numerata, si excessus sit supra latitudinem iusti pretij. Verum est, ex modo vendendi credita pecunia, ita aliquando crescere numerum emptorum, vt ob id possit tunc pluris vendi, quàm pecunia numerata. Et etiam ex eo modo vendendi, aliquando cessare lucrum aliquod, aut damnum aliquod emergere sic vendenti: & ob id seruatis conditionibus requisitis, posse tunc aliquid supra iustum pretium reportari: & etiam ex eo modo vendendi, venditorem aliquando exponi vero periculo amittendi totum pretium, aut partem pretij, aut saltem non accipiendi illud, nisi cum expensis, & molestijs: & tunc ob tale periculum posse aliquid supra iustum

repor-

reportari, vt contra Bañez, & Aragonem q. 77. artic. 4. & contra Azor lib. 8. cap. 8. q. 7. aduertunt Medin. de restitut. quæst. vltim. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. num. 110. Molina disp. 356. & Bonacin. disp. 3. q. 2. punct. 4. Quia se exponere tali periculo est omnium iudicio pretio æstimabile, etiam si malum quod timetur, non eueniat. In eo autem excessu reportando ratione periculi, seruanda est proportio ad maioritatem, vel minoritatem periculi, cui venditor exponitur, emptor tamen admonendus est de excessu supra iustum pretium ratione dicti periculi, sicut etiam de excessu ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, vt dicemus disput. 3. difficul. 8. & 9. ne emptor det excessum, eum ignorans, & titulum ob quem dat, ac proinde, nec voluntarie, seu libere.

Septimò, Quamuis Sotus 6. de iustitia, q. 3. artic. 3. Molina disp. 347. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. nu. 11. Valencia, Azor, Toletus, & Reginaldus, existiment res non habentes pretium taxatum lege, nec cõmuni æstimatione, v. g. gemmas, canes, insignes, falcones, instrumenta Mathematica, & alias similes, posse vendi quanti dominus earum potuerit: quia emptor videtur spõte, seu liberaliter dare quod venditor exigit, cùm illæ non sint necessariæ vitæ humanæ. Aragon verò 22. q. 77. art. 1. Lessius dub. 3. Rebellus lib. 9. q. 2. sect. 2. Salas de emptione, dub. 5. Fillucius tract. 34. cap. 7. q. 5. & Bonacina disput. 3. q. 2. punct. 4. docent, eas res non posse vendi quanti dominus earum possit, sed solum tanti quanti iudicio prudentis, attentis circunstantijs ad valorem earum conducentibus, taxatum fuerit: & meritò, quia tunc illud cẽsendum est iustum pretium earũ, cùm nec lege, nec communi æstimatione taxatum fuerit illis pretium aliquod.

Ad rationem autem aduersariorum negamus, emptorem tunc liberaliter donare excessum pretij, quamuis sciat res illas non tanti valere, & eas emat absque vi, & absque necessitate, quia re vera non intendit aliquid donare, sed tantum emere; quia tamen eas res desiderat, mavult eum excessum dare, quam illis carere, sicut etiam qui dat vsuras vt accipiat pecuniam, verbi gratia, ad ludendum non donat liberaliter vsuras, quamuis sciat vsuras esse iniustas, & eam pecuniam petat absque vi, & necessitate, sed tantum ob desiderium ludendi, vel alius finis non necessarij.

(.?.)

Difficul.

Difficult. VI. Vtrùm ob aliquas causas, seu circunstancias, possit res minoris emi, sicut ob aliquas, potest pluris vendi.

CONVENIVNT Primò DD. ratione solius damni, emptori ex emptione emergentis, ex peculiari, seu proprio statu, aut conditione, aut circunstantia ipsius non posse ipsum minoris emere rem, quia damnum illud non prouenit emptori à venditore, ac proinde venditor non tenetur minuere pretium, vt dicto damno satisfaciat.

Conueniunt secūdò, ob copiam mercium posse rem seu mercem minoris emi, sicut ob earum penuriam potest pluris vendi, quia ob earum copiam, ipsarum pretium minuitur, quia fiunt minus appectibiles, sicut ob ipsarum penuriam crescit, quia ob eam fiunt appettibiliores, & etiam posse minoris emi, ob copiam venditorum, & penuriam emptorum & pecuniæ, sicut diximus, posse pluris vendi ob copiam emptorum & pecuniæ, & penuriam venditorum.

Et ob hanc causam regulariter, potest minoris emi, quod emitur sub hasta, vel à proxenetis, vel ab scholasticis in sui discessu ex Academijs, & ab alijs quærentibus emptorem, quia hic modus vendendi regulariter est causa paruitatis & frigiditatis emptorū, qui velint communi pretio emere, & etiam regulariter est causa copiæ mercium, saltem equiualenter, quia vendens proponit eas merces vendendas quasi abundantes quærens emptores, & eos rogans, vel quasi rogans (quæ dicuntur vltroneæ) & ob id cōmuniter vilescunt (quia fiunt minus appettibiles) & non raro pro tertia parte, ita vt in prouerbio sit, *merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte.*

Sed quamuis ex dicto modo vendendi, merces vilescant ob paruitatem & frigiditatem ementium, ex eo modo vendendi regulariter contingentes, & regulariter possint minoris emi, quam alias possent, vt contra Molin. disp. 349. Fill. c. Garc. aduertunt Lessius dub. 4. Medin. de restit. q. 31. & Bonac. disp. 3. q. 2. pun. 4 nihilominus aliquando quāuis raro ex eo modo vendendi merces crescunt quoad pretium ob feruorem, & contra licitationem

ementium, ex eo modo vendendi aliquãdo contingentem, & ideo tunc possunt pluris vendi, quàm aliàs possent: imò Less. & Bonac. addunt in eo modo vendendi, illud censeri iustum pretium, quod quamuis alias esset excedẽs, potest absque fraude ab emptoribus extorqueri.

Conueniunt quartò DD. præcisse ratione solius anticipationis solutionis, non posse rem minoris emi, sicut nec ratione solius dilationis, potest pluris vendi; quia tempus ratione sui, est impertinens ad augmentum, vel decrementum pretij. Verum est ex modo vendendi anticipata solutione, aliquando ita crescere numerum venditorum, vt ob id possit res minoris emi, vt regulariter contingit in emptione lanarum anticipata solutione, & etiã ex eo modo vendendi, aliquando sic ementi cessare aliquod lucrum, aut emergere aliquod damnum, aut esse periculum non accipiendi mercem, aut non accipiendi nisi cum expensis, & molestijs, & tunc emptor potest existentibus conditionibus requisitis diminuere pretium, proportione seruata ad periculum, & ad damnũ emergens, & ad lucrum cessans.

Et ob rationem dictam, debitum ab aliquo, seu ius accipiendi pecuniam ab eo, seclusis alijs titulis & circunstantijs, non potest minoris emi quàm sit ipsum debitũ, quia hoc tantum valet, quãtum ipsa pecunia debita. Ratione tamen periculi, non obtinendi dictam pecuniam, saltem totam, aut non nisi cum expensis, aut cum molestijs, aut ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, potest debitum, seu librancia minoris emi, existentibus conditionibus requisitis, & seruata dicta proportione.

Conueniunt quintò communiter DD. posse minoris emi, ex eo quòd simul ematur magna copia mercium, quia sic emens exonerat vendentem multis curis, & occupationibus.

Conueniunt sextò DD. posse rem minoris emi, ratione donationis defectus pretij admixtæ, factæ à venditore, sicut etiam potest pluris vendi, ratione donationis excessus pretij factæ ab emptore, quæ rarissimè præsumitur fieri, præsertim à venditore, etiã si qui minoris emit, aut qui pluris vendit, id efficiat absque ignorantia iusti pretij, & absque vi, metu, & fraude, & necessitate, dum non adest verbum aliquod donationis, aut alia magna indicia, quia ob solum magnum desiderium pecuniæ id potest à venditore scienter fieri: & ob magnum desiderium mercis id potest fieri ad emptore.

Dis.

Diffic. VII. Vtrùm, qui ſcit cito futuram magnam copiam mercium, ob quam eorum pretium cito minuendum eſt, imò tunc minueretur, ſi id communiter ſciretur, poſsit merces ſuas pretio tunc ob communem ignorantiam futuritionis illius magnæ copiæ currente vendere?

MEDINA De reſtitutione, q. 35. Conrrad. de cõtract. q. 62. & 63. Bartolus in leg. *quaero*, ff. de action. empti, Gloſ. in l. *contra legem*, ff. de legibus, docent, id eſſe illicitum contra iuſtitiam, quod etiam tradidit Cicero libro tertio de officijs, §. *ſed incidunt*: & ratione probatur, quia valor & pretium rei, quamuis communi æſtimatione taxetur, non ex ipſa communi æſtimatione ſumitur, ſed ex re ipſa, attenta eius vtilitate, & alijs circunſtantijs, ſed quando futura eſt magna copia mercium, ſimiles, merces præſentes vileſcunt, ſeu minus valent, etiam ſi minoritas hæc valoris ignoretur, ergo, qui ſcit cito futuram magnam copiam mercium, nequit ſimiles merces pretio, ob communem ignorantiam illius currente vendere.

S. Thom. verò, q. 77. art. 3. & ibidem Caietanus, Bañez, Aragon, & Salon, Molina diſput. 354. Leſsius cap. 21. dub. 5. Turrianus diſp. 58. dub. 3. Bonac. diſp. 3. q. 2. pun 5. Couar. regula peccatum, p. 2. 3. 4. & cõmuniter DD. docent, id eſſe licitum & iuſtũ; & meritò, quia etiam ſi defectus, ſeu vitium intrinſecũ rei, ratione ſui minuat valorem rei, & exceſſus intrinſecæ bonitatis rei, ratione ſui illum augeat, quamuis adſit communis ignorãtia dicti defectus, & dictæ bonitatis, vt pote quid intrinſecum ipſi rei, circunſtantiæ verò extrinſecæ ipſi rei, ex ſe non minuũt, nec augent valorem illius vt pote extrinſece ipſi rei: ſed tantum augent, aut minuunt extrinſece, nempè, vt relatæ ad appretiationem, ſeu æſtimationem communem, & prudentem ſi ea adſit, quia ea eſt res ratione circunſtantiarum extrinſecarum appretianda, & non priuata appretiatione, Hæc autem communis; & prudens appretiatio, non variatur ex notitia priuata à paucis habita, ſed

ex notitia communi earum circunstantiarum, quæ subiecta est varijs euentibus, qui non semper possunt humana prudentia attingi, ergo ex circunstantia magnæ copiæ similium mercium cito superuenturæ communiter ignorata, quamuis ab aliquibus scita, vt pote extrinseca non minuitur pretium mercium, etiam si minueretur, si communiter sciretur.

Et id á contrario confirmatur, quia si copia magna mercium cito superuentura communiter ignorata minueret pretium similium mercium præsentium, & ideo præsentes non possent pretio communi, tunc ob eam ignorantiam currente vendi, sed minore, ita etiam magna sterilitas mercium futura communiter ignorata augeret pretium præsentium, & ideo non possent pretio, tunc ob eam ignorantiam communem currente emi, sed maiori quo emerentur, si communiter sciretur dicta sterilitas, Hoc autem consequens est falsum, quia Ioseph Patriarcha, vir sanctus, qui ex reuelatione Dei nouit futuram magnam sterilitatẽ per septem sequẽtes annos in Ægypto, iuste emit Pharaoni ingentem frumenti copiam tempore vbertatis, pretio vili, ob ignorantiam communem dictæ futuræ sterilitatis currente, quód multo maiori pretio emeretur, si ea sterilitas communiter sciretur, ex circunstantijs, ergo ex strinsecis rei non minuitur, nec augetur pretium rei, ratione ipsarum secundum se, quia secundum se non minuunt, nec augent rem ipsam in se, sed ex ipsis, vt referuntur ad prudentem æstimationem communem, qua res ratione ipsarum communiter notarum communiter æstimatur, seu appretiatur minori, vel maiori pretio: è contra veró ex defectu intrinseco rei, quamuis omnino ignorato minuitur pretiũ & valor illius, & ex excessu intrinseco bonitatis rei, quamuis omnino ignorato crescit pretiũ & valor illius, quia sicut eo solo absque sciẽtia illius crescit, aut decrescit intrinsece res, & in se ipsa, ita eo solo absq; scientia illius crescit, aut decrescit valor illius, ob quód contra Molinã, Lessiũ, & Bonac. existimamus, vt optimè Turrianus dub. 4. fascem herbarum, qui venditur ad pabulum iumentorum, in quo continentur herbæ pretiosæ, non posse eo vili pretio, quo ab id ignorante venditur, emi á cognoscẽte valorem illarum, sed pretio maiori iuxta bonitatem, seu vtilitatẽ intrinsecam earum herbarum, ob rationem ergo supra dictam, non solum est licitum vendere, & emere pretio currente in casibus dictis, quando quis aliás seclusa illa notitia

erat

erat venditurus, & empturus, sed etiam quamuis alias non esset venditurus, nec empturus.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, quòd quamuis pretium quòd correspondet rei, attenta eius intrinseca vtilitate, aut intriseco defectu illius, non sumatur ex communi æstimatione, quia ad eam præsupponitur, sed ea taxetur, & ei taxationi sit standum: pretium tamen quòd correspondet rei, attentis circunstantijs extrinsecis, non tam dicitur taxari cõmuni æstimatione quam imponi, & ex ea sumi; ac proinde eis circunstantijs communiter ignoratis, res quarum sunt circunstantiæ verè, non vilescunt, nec crescunt in valore, quia nec minus, nec magis æstimantur, vilescerent tamen, aut crescerent in valore, si non ignorarentur circunstantiæ illæ, quia tunc minus, aut magis æstimarentur, quia pretium, seu valor, correspondens rei ob dictas circunstantias, nihil aliud est quàm ipsa æstimatio, seu appretiatio, vel potius extrinseca denominatio resultans rei ex ea communi æstimatione, seu appretiatione.

Ob rationem ergo dictam, Primò, licitum est locare, & vendere domum in Curia pretio currente tempore locationis, vel venditionis, quamuis locans & vendens sciat priuatim pretiũ locationum, & venditionum, cito minuendum ob Curiæ recessum. Et ècontra licitum esse eam conducere, & emere pretio currenti, etiam si priuatim sciat pretium augendum ob Curiæ aduentũ. Secundò, licitum est vendere merces pretio currente, quamuis vendens sciat priuatim cito diripiẽdas esse ab hostibus, quos prẹuidet priuatím cito superuenturos, quod si cõmuniter præuideretur, valdè minueretur illarum valor. Tertiò, licitũ est vendere triticum, v.g. pretio currente, etiã si vendens priuatim sciat promulgandã cito legem diminuentẽ pretium illud. Quartò, licitum est mutuare pecuniã, quamuis mutuans priuatim sciat promulgandã cito legem minuentẽ valorem monetæ, etiã si aliàs seclusa dicta notitia nõ esset ille locaturus, nec venditurus, nec mutuaturus. Et ècontra, licitum est emere triticum, v.g. & petere mutuũ, etiam si quis priuatim sciat promulgandã esse cito legem augentẽ valorẽ tritici, & monetæ: & hæc duo credimus etiã esse licita Principi laturo dictas leges, & etiam Senatori illius, aliàs venditurìs & mutuaturis, aut empturis, & accepturis mutuũ ante promulgationẽ dictarum legũ: vt contra nonnullos aduertunt Couar. regul. peccatum, p. 2. §. 4. Cordub. lib. 1. q. 24. Turrian. n. 7. quia prædicti,

 nec

ex notitia communi earum circunstantiarum, quę subiecta est varijs euentibus, qui non semper possunt humana prudentia attingi, ergo ex circunstantia magnæ copiæ similium mercium cito superuenturæ communiter ignorata, quamuis ab aliquibus scita, vt pote extrinseca non minuitur pretium mercium, etiam si minueretur, si communiter sciretur.

Et id à contrario confirmatur, quia si copia magna mercium cito superuentura communiter ignorata minueret pretium similium mercium præsentium, & ideo præsentes non possent pretio communi, tunc ob eam ignorantiam currente vendi, sed minore, ita etiam magna sterilitas mercium futura communiter ignorata augeret pretium præsentium, & ideo non possent pretio, tunc ob eam ignorantiam communem currente emi, sed maiori quo emerentur, si communiter sciretur dicta sterilitas, Hoc autem consequens est falsum, quia Ioseph Patriarcha, vir sanctus, qui ex reuelatione Dei nouit futuram magnam sterilitatẽ per septem sequẽtes annos in Ægypto, iuste emit Pharaoni ingentem frumenti copiam tempore vbertatis, pretio vili, ob ignorantiam communem dictæ futuræ sterilitatis currente, quòd multo maiori pretio emeretur, si ea sterilitas communiter sciretur, ex circunstantijs, ergo extrinsecis rei non minuitur, nec augetur pretium rei, ratione ipsarum secundum se, quia secundum se non minuunt, nec augent rem ipsam in se, sed ex ipsis, vt referuntur ad prudentem æstimationem communem, qua res ratione ipsarum communiter notarum communiter æstimatur, seu appretiatur minori, vel maiori pretio: ècontra verò ex defectu intrinseco rei, quamuis omnino ignorato minuitur pretiũ & valor illius, & ex excessu intrinseco bonitatis rei, quamuis omnino ignorato crescit pretiũ & valor illius, quia sicut eo solo absque sciẽtia illius crescit, aut decrescit intrinsece res, & in se ipsa, ita eo solo absq; scientia illius crescit, aut decrescit valor illius, ob quòd contra Molinã, Lessiũ, & Bonac. existimamus, vt optimè Turrianus dub.4. fascem herbarum, qui venditur ad pabulum iumentorum, in quo continentur herbæ pretiosæ, non posse eo vili pretio, quo ab id ignorante venditur, emi à cognoscẽte valorem illarum, sed pretio maiori iuxta bonitatem, seu vtilitatẽ intrinsecam earum herbarum, ob rationem ergo supra dictam, non solum est licitum vendere, & emere pretio currente in casibus dictis, quando quis aliàs seclusa illa notitia erat

erat venditurus, & empturus, sed etiam quamuis alias non esset venditurus, nec empturus.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, quòd quamuis pretium quòd correspondet rei, attenta eius intrinseca vtilitate, aut intriseco defectu illius, non sumatur ex communi æstimatione, quia ad eam præsupponitur, sed ea taxetur, & ei taxationi sit standum: pretium tamen quòd correspondet rei, attentis circunstantijs extrinsecis, non tam dicitur taxari cõmuni æstimatione quam imponi, & ex ea sumi; ac proinde eis circunstantijs communiter ignoratis, res quarum sunt circunstantiæ verè, non vilescunt, nec crescunt in valore, quia nec minus, nec magis æstimantur, vilescerent tamen, aut crescerent in valore, si non ignorarentur circunstantiæ illæ, quia tunc minus, aut magis æstimarentur, quia pretium, seu valor, correspondens rei ob dictas circunstantias, nihil aliud est quàm ipsa æstimatio, seu appretiatio, vel potius extrinseca denominatio resultans rei ex ea communi æstimatione, seu appretiatione.

Ob rationem ergo dictam, Primò, licitum est locare, & vendere domum in Curia pretio currente tempore locationis, vel venditionis, quamuis locans & vendens sciat priuatim pretiũ locationum, & venditionum, cito minuendum ob Curiæ recessum. Et ècontra licitum esse eam conducere, & emere pretio currenti, etiam si priuatim sciat pretium augendum ob Curiæ aduentũ. Secundò, licitum est vendere merces pretio currente, quamuis vendens sciat priuatim cito diripiẽdas esse ab hostibus, quos prędidet priuatim cito superuenturos, quod si cõmuniter præuideretur, valdè minueretur illarum valor. Tertiò, licitũ est vendere triticum, v.g. pretio currente, etiã si vendens priuatim sciat promulgandã cito legem diminuentẽ pretium illud. Quartò, licitum est mutuare pecuniã, quamuis mutuans priuatim sciat promulgandã cito legem minuentẽ valorem monetæ, etiã si aliàs seclusa dicta notitia nõ esset ille locaturus, nec venditurus, nec mutuaturus. Et ècontra, licitum est emere triticum, v.g. & petere mutuũ, etiam si quis priuatim sciat promulgandã esse cito legem augentẽ valorẽ tritici, & monetæ: & hæc duo credimus etiã esse licita Principi laturo dictas leges, & etiam Senatori illius, aliàs vendituris & mutuaturis, aut empturis, & accepturis mutuũ ante promulgationẽ dictarum legũ: vt contra nonnullos aduertunt Couar. regul. peccatum, p. 2. §. 4. Cordub. lib. 1. q. 24. Turrian. n. 7. quia prædicti,

 nec

ex notitia communi earum circunstantiarum, quę subiecta est varijs euentibus, qui non semper possunt humana prudentia attingi, ergo ex circunstantia magnæ copiæ similium mercium cito superuenturæ communiter ignorata, quamuis ab aliquibus scita, vt pote extrinseca non minuitur pretium mercium, etiam si minueretur, si communiter sciretur.

Et id à contrario confirmatur, quia si copia magna mercium cito superuentura communiter ignorata minueret pretium similium mercium præsentium, & ideo præsentes non possent pretio communi, tunc ob eam ignorantiam currente vendi, sed minore, ita etiam magna sterilitas mercium futura communiter ignorata augeret pretium præsentium, & ideo non possent pretio, tunc ob eam ignorantiam communem currente emi, sed maiori quo emerentur, si communiter sciretur dicta sterilitas, Hoc autem consequens est falsum, quia Ioseph Patriarcha, vir sanctus, qui ex reuelatione Dei nouit futuram magnam sterilitatẽ per septem sequẽtes annos in Ægypto, iuste emit Pharaoni ingentem frumenti copiam tempore vbertatis, pretio vili, ob ignorantiam communem dictæ futuræ sterilitatis currente, quòd multo maiori pretio emeretur, si ea sterilitas communiter sciretur, ex circunstantijs, ergo ex strinsecis rei non minuitur, nec augetur pretium rei, ratione ipsarum secundum se, quia secundum se non minuunt, nec augent rem ipsam in se, sed ex ipsis, vt referuntur ad prudentem æstimationem communem, qua res ratione ipsarum communiter notarum communiter æstimatur, seu appretiatur minori, vel maiori pretio: è contra verò ex defectu intrinseco rei, quamuis omnino ignorato minuitur pretiũ & valor illius, & ex excessu intrinseco bonitatis rei, quamuis omnino ignorato crescit pretiũ & valor illius, quia sicut eo solo absque sciẽtia illius crescit, aut decrescit intrinsece res, & in se ipsa, ita eo solo absq; scientia illius crescit, aut decrescit valor illius, ob quòd contra Molinã, Lessiũ, & Bonac. existimamus, vt optimè Turrianus dub. 4. fascem herbarum, qui venditur ad pabulum iumentorum, in quo continentur herbæ pretiosæ, non posse eo vili pretio, quo ab id ignorante venditur, emi à cognoscẽte valorem illarum, sed pretio maiori iuxta bonitatem, seu vtilitatẽ intrinsecam earum herbarum, ob rationem ergo supra dictam, non solum est licitum vendere, & emere pretio currente in casibus dictis, quando quis aliàs seclusa illa notitia

erat

erat venditurus, & empturus, sed etiam quamuis alias non esset venditurus, nec empturus.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, quòd quamuis pretium quòd correspondet rei, attenta eius intrinseca vtilitate, aut intriseco defectu illius, non sumatur ex communi æstimatione, quia ad eam præsupponitur, sed ea taxetur, & ei taxationi sit standum: pretium tamen quòd correspondet rei, attentis circunstantijs extrinsecis, non tam dicitur taxari cõmuni æstimatione quam imponi, & ex ea sumi; ac proinde eis circunstantijs communiter ignoratis, res quarum sunt circunstantiæ verè, non vilescunt, nec crescunt in valore, quia nec minus, nec magis æstimantur, vilescerent tamen, aut crescerent in valore, si non ignorarentur circunstantiæ illæ, quia tunc minus, aut magis æstimarentur, quia pretium, seu valor, correspondens rei ob dictas circunstantias, nihil aliud est quàm ipsa æstimatio, seu appretiatio, vel potius extrinseca denominatio resultans rei ex ea communi æstimatione, seu appretiatione.

Ob rationem ergo dictam, Primò, licitum est locare, & vendere domum in Curia pretio currente tempore locationis, vel venditionis, quamuis locans & vendens sciat priuatim pretiũ locationum, & venditionum, cito minuendum ob Curiæ recessum. Et ècontra licitum esse eam conducere, & emere pretio currenti, etiam si priuatim sciat pretium augendum ob Curiæ aduentũ. Secundò, licitum est vendere merces pretio currente, quamuis vendens sciat priuatim cito diripiẽdas esse ab hostibus, quos prędidet priuatim cito superuenturos, quod si cõmuniter præuideretur, valdè minueretur illarum valor. Tertiò, licitũ est vendere triticum, v.g. pretio currente, etiã si vendens priuatim sciat promulgandã cito legem diminuentẽ pretium illud. Quartò, licitum est mutuare pecuniã, quamuis mutuans priuatim sciat promulgandã cito legem minuentẽ valorem monetæ, etiã si aliàs seclusa dicta notitia nõ esset ille locaturus, nec venditurus, nec mutuaturus. Et ècontra, licitum est emere triticum, v.g. & petere mutuũ, etiam si quis priuatim sciat promulgandã esse cito legem augentẽ valorẽ tritici, & monetæ: & hæc duo credimus etiã esse licita Principi laturo dictas leges, & etiam Senatori illius, aliàs vendituris & mutuaturis, aut empturis, & accepturis mutuũ ante promulgationẽ dictarum legũ: vt contra nonnullos aduertunt Couar. regul. peccatum, p. 2. §. 4. Cordub. lib. 1. q. 24. Turrian. n. 7. quia prædicti,

 nec

Difficult. IX. Vtrùm in venditione rei manifestanda sint vitia illius.

NOMINE vitij rei, intelligimus eum defectum rei, qui potest minuere pretium illius, aut mutare voluntatē ementis, hic autem defectus potest tripliciter contingere, nempè, in substantia rei, & in quantitate, & in qualitate rei.

Circa difficultatem ergo, ex dictis disp. 1. diff. 6. constat vitium, seu defectum circa substātiam rei esse manifestandum, aliàs contractus emptionis & venditionis erit nullus; & etiam vitium seu defectum circa qualitatem, aut quantitatem rei, quoties contractus fit dependenter à qualitate, aut à quantitate rei, tamquā à conditione, aliàs etiam erit nullus ex defectu conditionis, quia fit dependenter ab ea. Quamuis verò quādo vitium non est circa substantiam, sed circa qualitatem, aut quantitatem, & cōtractus non fit dependenter ab ea tamquam à conditione, contractus fit validus, vt diximus in ea diff. 6. potest nihilominus contractus esse illicitus contra iustitiam, seu iniustus.

Ad cognoscendam autem iniustitiam contractus ex non manifestatione defectus, seu vitij, hanc regulam existimamus habendam, nempè, tunc esse iniustum quoties, si manifestaretur vitium, emptor, vel non emeret, vel non emeret tanto pretio intra latitudinem iusti, sed minori, quia vt contractus sincere fiat, & pretium sincere assignetur, tenetur venditor ex suo officio, & ex iustitia, erga emptorem defectus occultos manifestare, ne emēs cogatur emere aliàs non empturus, vel si erat empturus (quod relinquitur arbitrio prudētis) ne cogatur emere maiori pretio, & ne emēs ex emptione patiatur damnum aliud, vndè venditor tenetur ad damna sequuta ex nō manifestatione defectus, vt si tradidit ouē morbidam, quæ aliàs infecit, & etiam tenebitur, vel ad rescisionem contractus si emens aliàs non erat empturus, & velit contractus recissionem, vt sic emptor faciat iniustitiam cessare, vel etiam tenebitur ad restitutionem excessus pretij, quando etiam, si aliàs esset empturus sed non tanto, & in hoc posteriori casu vēditor non irrogabit iniuriam emptori, si non manifestato defectu vendat minuendo pretium quantum emptor minueret, nisi emptor emeret ad reuendendum, quia tunc ex iustitia erga emptorē ab eo reuenditore teneretur venditor ad manifestandum defectum reuenditori, saltem post celebratum contractum ne reuenditor

ditor exigat ab eo pretium iniuſtum, quod deficiente vitio poſſet eſſe iuſtum.

Prædicta contra non paucos intelligimus vera, quamuis defectus non manifeſtatus ſit leuis, quia ratio adducta etiam habet vim, quando defectus eſt leuis, & etiam quando defectus eſt manifeſtus, vt quando equus, qui venditur, eſt monoculus, ſi emptor eũ defectũ inuincibiliter nõ aduertat, tũc autẽ dicitur inuincibiliter nõ aduertere defectũ quãdo de eo nõ dubitat, nec ſuſpiciatur.

Ex dictis deducitur, qua ratione poſsit in vẽditione cõtingere iniuſtitia ratione defectus nõ manifeſtati, ſiue in põdere, ſiue in menſura, ſiue ratione mixtionis, & qua ratione nõ, quia nõ erit iniuſtitia, quãuis defectus nõ manifeſtetur, quãdo etiã ſi cognoſceretur defect⁹ rei, emẽs eſſet eã empturus, & nõ minori pretio intra latitudinẽ iuſti, quod præcipuè poteſt contingere, quando res mixtione nõ fit minus bona, quã aliæ eiuſdẽ rationis, quæ cõmuniter vẽduntur, vt quãdo vino prætioſo miſcetur parũ aquæ, & non emitur, vt ſeruetur, & quãdo tritico puro miſcetur aliquid ſecalis, & quando minutione põderis, aut mẽſuræ extorquetur ab emptore pretiũ iuſtũ, quod abſq; ea minutione nõ extorqueretur.

Et ſimili modo dicto poteſt contingere iniuſtitia in venditione rei cito corrũpendæ, v. g. vini, quod raro aut numquam continget reſpectu ementis illam ad eam ſtatim conſumendam, cui ſic ementi poteſt licitè vendi pretio currenti, quia ad eum vſum eſt ita vtilis ementi, ac ſi poſſet ſeruari.

Et ſicut iniuſtũ eſt vẽdere rẽ occultè defectuoſã, nõ manifeſtato defectu, ne emẽs cogatur emere, quod cognito defectu nõ emeret, aut ne cogatur emere maiori pretio intra patitudinẽ iuſti, & ne ex emptione partiatur aliud dãnũ. Ita etiã ob eãdẽ proportionalẽ rationẽ, iniuſtũ eſt emere rẽ occultè pretioſam, aut aliter bonã, non cognita bonitate à vẽditore, ſi ea cognita, aut nõ vẽderet rẽ, aut eã vẽderet maiori pretio intra latitudinẽ iuſti, ne ſcilicet, venditor cogatur, aut vẽdere aliàs nõ venditurus, aut vẽdere minori pretio intra latitudinem iuſti.

Difficul. X. Vtrùm monopolia ſint iniuſta?

MONOPOLIVM Dicitur quaſi vnius vẽditio, & ipſe vnus ſeu ſingularis vẽditor dicitur monopola, & ideò monopoliũ propriè fit, quãdo vnus curat, & obtinet, vt ipſe ſolus merces aliquas vẽdat, quod iure Cæſareo prohibitũ eſt lege vnica, C. de monop. ſub pœna priuationis omniũ bonorũ & perpetui exilij.

fatetur Turrianus: quia contra charitatem non peccatur ex natura rei peccato commissionis, nisi peccato odij, quod non reperitur in dicta conspiratione, nec in venditione & emptione ex ea sequutis, nisi id fiat ex displicentia positiua proximorum, quod numquam, aut rarissimè continget; ratione tamen dictæ prohibitionis positiuæ factæ supra citata lege vnica, vbi hæc obliget, erit peccatum reductiue contra misericordiam, aut contra charitatẽ, quia dicta prohibitio facta videtur, aut intuitu misericordiæ, vt facilius & viliori pretio succuratur indigentibus, aut intuitu charitatis erga proximos, vt omnibus etiam non indigentibus & viliori pretio prouideatur.

Secundò est difficultas, an qui emit magnam copiam mercis, vt eam postea carius vendat, peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur.

Medina, C. de restitutione, quæst. 36. Petrus Nauarr. lib. 3 c. 2. num. 80. & Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 7. docent peccare contra iustitiam, & obligari ad restitutionem excessus pretij cuius sua emptione est causa, quia ea emptione, & asseruatione est causa iniusta dicti excessus pretij.

Molina verò, Lessius, Turrianus, & Bonacina vbi supra, docent, non peccare contra iustitiam; nec ad restitutionem teneri, & meritò, quia ille vtitur iure, quod verè habet emendi iusto pretiò, vt patet, & asseruandi copiam illam, quia non tenetur illam vendere, vt patet, & etiam vtitur iure illam reuendendi, pretio quod tempore reuenditionis sit iustum, attenta inopia, aut copia illius mercis tempore venditionis, & paucitate venditorum, & pluralitate emptorum.

Quod autem ex eo inducta sit caritas, non sufficit, vt id fiat iniustum, quia caritas inducitur, ex eo quod sint plures emptores, & tamen plures emere, non est iniustum, & etiam inducitur, ex eo quod quis emat magnam copiam sibi necessariam, & non ad reuendendum, & tamen eam emere non est iniustum, ex eo ergo quod ex emptione, & asseruatione, & reuenditione magnæ copiæ mercis alienæ inducatur caritas, non fit esse contra iustitiam nec eum emptorem esse causam iniustam excessus pretij, quod ob id crescit, quia ea emptiò fit iure quod emens habet ad id.

Addimus, dictum emptorem, asseruatorem, & reuenditorem, iure naturali non peccare contra charitatem, vt Turrianus aduertit, ob rationem supra adductam, sed quamuis iure naturali prohi-

quando aliter sæpè deficiunt illæ merces,quia raro afferũtur , vel quando Princeps eget pecunia pro bono communi,& ad eam obtinendam vendit tale priuilegium,quia eam nequit alter obtinere commode,tenetur tamen Princeps pretium taxare , quando merces sunt Reipublicæ necessariæ ad commode viuendum,v. g. triticum,carnem,vinum,ne monopola pluris iusto vendat,nõ tamen tenetur,quando merces non sunt necessariæ,sed tantum deseruiunt recreationi,aut luxui,v.g.pictura & canis venaticus.

Addidimus esse licitum,& iustum,& expediens Reipublicæ, quando ad illud concedendum adsit iusta causa;quia si non adsit, Princeps peccabit contra iustitiam illud concedendo , quia suo priuilegio,& præcepto coget ad damna ob id contingentia,& tenebitur ad eorum restitutionem, & etiam peccabit,qui illud impetrat , & tenebitur ad restitutionem eorumdem & regulariter priori loco quam Princeps.

Quintò est difficultas , an quando ob monopolium iniustum crescit iniuste pretium,possint reliqui,qui non exercuerunt monopolium illud,merces suas pretio illo iam communi vendere.

Bartholomæus Medina,§.25. de instructione confessorum, Rebell.lib.9.quæst.7.Turrian.disput.57.dub.8.& Bonac. disp. 3.quæst.2.punct.5.num.11.partem negatiuam tuentur,quia pretium illud est iniustum, vt pote per iniustitiã monopolarum auctum:ergo sicut monopolæ nequeunt pretio illo vendere , quia est iniustum,nec reliqui poterunt,quia nullus potest pretio iniusto vendere.

Reginald.verò,lib.25.num.230.Filliuc.tract.35. part. 2. cap.7.num.418.& alij partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia supposita ea iniustitia monopolarum,v.g. qua iniuste impediunt asportationem mercium,pretium factum est iustum,ob inopiam mercium,quamuis iniuste à monopolis causatam,ergo reliqui possunt,eo pretio vtpote iusto,quamuis iniuste aucto vendere,non verò ipsi monopolæ,quia fuerunt causa iniusta illius augmenti,quia nequeunt augmentum hoc,seu excessum aliàs iniustũ retinere,quia cum fuerint causa iniusta illius,tenentur restituere excessum illum à reliquis venditoribus iuste acceptum.

Et ob eamdem proportionalem rationem,quando ob monopolium iniustum,pretium minuitur,reliqui emptores possunt iuste pretio illo minuto emere,non verò monopolæ illi iniusti : imo hi tenen-

tenentur ad restitutionem illius defectus pretij, quo reliqui emūt faciendam vendentibus minuto illo pretio.

Ad rationem ergo aduersariorum, constat ex dictis.

Difficult. XI. In quo gradu facienda est restitutio, quando emptio, aut venditio facta est pretio iniusto?

QVANDO Pretium est lege indiuisibiliter taxatum facilè intelligitur, quid sit restituendum, quia si vendens vendidit maiori pretio, excessus supra iustum restituendus est emptori, & si emens emit minori, defectus restituendus est venditori.

Est ergo difficultas, quando res non est lege taxata, sed relicta pretio naturali, seu vulgari, in quo gradu ex tribus quos habet supremū, videlicet, mediū & infimum facienda sit restitutio.

Circa quam supponunt communiter DD. post conuentionē contrahentium in aliquo gradu iusto ex tribus dictis, v.g. in medio non posse vendentem accipere occultè supremum, vt quidā plusquam falso dixit, nec ementem tantum soluere infimum, quia tota dicta latitudo pretij iusti, est iusta ralata ad conuentionem contrahentium, quia intra eam latitudinem habent ius cōueniendi, & ex conuentione assignandi gradum, ac proinde post dictam assignationem non est licitum venditori accipere aliquid supra eum gradum assignatum, nec emptori citra eum soluere, alias alter contrahens erit rationabiliter inuitus.

Hoc ergo supposito difficultas est, quando emptio & venditio facta est supra, aut infra totam latitudidē iusti pretij, in quo gradu ex tribus iustis facienda est restitutio.

Circa quam existimamus, vt optimè Turrian. disp. 57. dub. 7. vendentem supra supremū gradū iusti pretij, ei qui absque ignorantia & vi emit, satisfacere si restituat excessum supra supremū gradum hunc sibi retinendo, quia tūc ex vna parte gradus ille est iustus, & ex altera parte fuit voluntarius ementi, & ob eādē proportionalem rationem emptorem non attingentem infimum gradum iusti pretij satisfacere venditori, qui in eo vēdidit sine vi & ignorantia, si ei restituat defectum pretij vsq; ad infimū gradum.

In quo verò gradu facienda sit restitutio, quando vēditor pretio

tio excedente, iustum vendidit ei, qui ignorantia, aut vi emit, & quando emptor emit pretio non attingente iustum, constat ex dictis tract. de inst. & iure, disp. 5. diff. 5.

Difficult. XII. Vtrùm periculum rei venditæ pertineat ad emptorem.

SVPPONIMVS Cõtractũ emptionis & venditionis, sua natura, seu suo iure naturali, perfici sola cõuẽtione contrahẽtiũ ante traditionẽ rei, & sua natura, esse sufficientẽ ad trãsferẽdũ dominiũ, vt dicimus dif. 2. iure tamẽ Cæsareo habito, Instituta de empt. & vend. §. vtique & iure Castellæ lege 50. tit. 5. p. 5. impediri traslationem dominij vsque ad traditionem rei.

Hoc ergo supposito certũ est rẽ venditã, si pereat aut deterior fiat post traditionẽ illius factã emptori, ipsi perire, & deteriorem fieri, quãuis pretiũ nõ sit solutũ, quia emptor traditione rei ipsi facta fit dominus illius, nõ solũ iure naturali, sed etiã iure Cæsareo, & Castellæ: ergo ipsi perit, aut deterior fit, quia pericula & commoda rei pertinent ad dominũ rei, quando ad ipsam determinatam nullus alius habet ius iustitiæ, dum iure positiuo aliud nõ disponatur, vt verè non est dispositum.

Est tamen difficultas, an periculum rei venditæ pertineat ad emptorem, quando res non est ipsi tradita.

Circa quã cõueniũt cõmuniter DD. pericula interitus & damni rei omnino determinatæ, (v.g. huius domi, huius agri) ad emptorẽ pertinere, quia quãuis iure Cesareo, & Castellæ nõ fiat dñs rei ante traditionẽ illius, eis tamẽ iuribus disponitur cõmoda, & incõmoda rei omnino determinatæ, quãuis nõdũ traditæ ad emptorẽ pertinere, vt cõstat ex l. 1. C. de pericul. & cõmodo rei vẽditæ, & ex Instituta de empt. & vend. §. cũ autẽ, & ex l. 23. Castellæ tit. 5. p. 5. & non solũ dictis iuribus positiuis pericula rei determinatæ pertinent ad emptorẽ, sed etiã iure naturali, quia quãuis emptor nõ fiat dñs illius, id impediẽtibus dictis iuribus, est ipsi debita à venditore, si fuerit in rerũ natura, & nõ ei illi debita si perierit, & si fuerit in rerũ natura, tãtũ est illi debita talis qualis fuerit tẽpore traditionis debitæ, dũ absq; culpa debitoris, qui eã tenetur ex officio custodire, perierit, aut fuerit dãnificata, quia si culpa debitoris perierit, aut fuerit deterior facta interitus, aut deterioratio ad vẽditorẽ pertinet, & ad talẽ creditorẽ (qualis est emptor) quam-

ex notitia communi earum circunstantiarum, quę subiecta est varijs euentibus, qui non semper possunt humana prudentia attingi, ergo ex circunstantia magnæ copiæ similium mercium cito superuenturæ communiter ignorata, quamuis ab aliquibus scita, vt pote extrinseca non minuitur pretium mercium, etiam si minueretur, si communiter sciretur.

Et id á contrario confirmatur, quia si copia magna mercium cito superuentura communiter ignorata minueret pretium similium mercium præsentium, & ideo præsentes non possent pretio communi, tunc ob eam ignorantiam currente vendi, sed minore, ita etiam magna sterilitas mercium futura communiter ignorata augeret pretium præsentium, & ideo non possent pretio, tunc ob eam ignorantiam communem currente emi, sed maiori quo emerentur, si communiter sciretur dicta sterilitas, Hoc autem consequens est falsum, quia Ioseph Patriarcha, vir sanctus, qui ex reuelatione Dei nouit futuram magnam sterilitatē per septem sequētes annos in Ægypto, iuste emit Pharaoni ingentem frumenti copiam tempore vbertatis, pretio vili, ob ignorantiam communem dictæ futuræ sterilitatis currente, quòd multo maiori pretio emeretur, si ea sterilitas communiter sciretur, ex circunstantijs, ergo ex strinsecis rei non minuitur, nec augetur pretium rei, ratione ipsarum secundum se, quia secundum se non minuunt, nec augent rem ipsam in se, sed ex ipsis, vt referuntur ad prudentem æstimationem communem, qua res ratione ipsarum communiter notarum communiter æstimatur, seu appretiatur minori, vel maiori pretio: èconstra verò ex defectu intrinseco rei, quamuis omnino ignorato minuitur pretiū & valor illius, & ex excessu intrinseco bonitatis rei, quamuis omnino ignorato crescit pretiū & valor illius, quia sicut eo solo absque sciētia illius crescit, aut decrescit intrinsece res, & in se ipsa, ita eo solo absq; scientia illius crescit, aut decrescit valor illius, ob quòd contra Molinā, Lessiū, & Bonac. existimamus, vt optimè Turrianus dub. 4. fascem herbarum, qui venditur ad pabulum iumentorum, in quo continentur herbæ pretiosæ, non posse eo vili pretio, quo ab id ignorante venditur, emi á cognoscēte valorem illarum, sed pretio maiori iuxta bonitatem, seu vtilitatē intrinsecam earum herbarum, ob rationem ergo supra dictam, non solum est licitum vendere, & emere pretio currente in casibus dictis, quando quis aliàs seclusa illa notitia

erat

erat venditurus, & empturus, sed etiam quamuis alias non esset venditurus, nec empturus.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, quòd quamuis pretium quòd correspondet rei, attenta eius intrinseca vtilitate, aut intriseco defectu illius, non sumatur ex communi æstimatione, quia ad eam præsupponitur, sed ea taxetur, & ei taxationi sit standum: pretium tamen quòd correspondet rei, attentis circunstantijs extrinsecis, non tam dicitur taxari cōmuni æstimatione quam imponi, & ex ea sumi; ac proinde eis circunstantijs communiter ignoratis, res quarum sunt circunstantiæ verè, non vilescunt, nec crescunt in valore, quia nec minus, nec magis æstimantur, vilescerent tamen, aut crescerent in valore, si non ignorarentur circunstantiæ illæ, quia tunc minus, aut magis æstimarentur, quia pretium, seu valor, correspondens rei ob dictas circunstantias, nihil aliud est quàm ipsa æstimatio, seu appretiatio, vel potius extrinseca denominatio resultans rei ex ea communi æstimatione, seu appretiatione.

Ob rationem ergo dictam, Primò, licitum est locare, & vendere domum in Curia pretio currente tempore locationis, vel venditionis, quamuis locans & vendens sciat priuatim pretiū locationum, & venditionum, cito minuendum ob Curiæ recessum. Et ècontra licitum esse eam conducere, & emere pretio currenti, etiam si priuatim sciat pretium augendum ob Curiæ aduentū. Secundò, licitum est vendere merces pretio currente, quamuis vendens sciat priuatim cito diripiēdas esse ab hostibus, quos prę-uidet priuatim cito superuenturos, quod si cōmuniter præuideretur, valdè minueretur illarum valor. Tertiò, licitū est vendere triticum, v.g. pretio currente, etiā si vendens priuatim sciat promulgandā cito legem diminuentē pretium illud. Quartò, licitum est mutuare pecuniā, quamuis mutuans priuatim sciat promulgandā cito legem minuentē valorem monetæ, etiā si aliàs seclusa dicta notitia nō esset ille locaturus, nec venditurus, nec mutuaturus. Et ècontra, licitum est emere triticum, v.g. & petere mutuū, etiam si quis priuatim sciat promulgandā esse cito legem augentē valorē tritici, & monetæ: & hæc duo credimus etiā esse licita Principi laturo dictas leges, & etiam Senatori illius, aliàs vendituris & mutuaturis, aut empturis, & accepturis mutuū ante promulgationē dictarum legū: vt contra nonnullos aduertunt Couar. regul. peccatum, p. 2. §. 4. Cordub. lib. 1. q. 24. Turrian. n. 7. quia prædicti,

nec ratione sui officij, nec alia ratione sunt impediti ad id.

Sed quamuis sint, qui probabiliter existimẽt, ea esse illis licita quamuis aliàs non essent vendituri, nec mutuaturi, nec empturi, nec accepturi mutuum ante tempus promulgationis dictarum legum, quia sicut alij possunt absque iniustitia ea scientia vtentes id efficere, quamuis sciẽtia fuerit à Principe, & à Senatore accepta, ita etiam ipsi poterunt: imo Principem & eius Senatorem, quando reuelant futuram promulgationem eis, qui ea reuelatione sunt vsuri quamuis peccent contra fidelitatem, quia id sit cõtra commune bonum, non tamen peccare contra iustitiam, nec teneri ad restitutionem, quia sua reuelatione non sint causa contractus iniusti in eis quibus id reuelarunt, sed iusti. Nos tamen existimamus, Principem & eius Senatorem nõ posse absque iniustitia vendere, nec mutuare, nec emere, nec mutuum accipere, si aliàs ante promulgationem legis id non erant effecturi: & verè teneri ad restitutionem, quando ex ea venditione, aut mutuatione, aut emptione, aut acceptione mutui Principis & Senatoris aliquis emit pretio illo maiori aliàs postea empturus minori, aut alius aliàs postea vendíturus pretio illo maiori nõ eo vendit, quia Princeps, aut Senator vendit, & quando accipiens mutuum ex Principe, aut Senatore, accipit aliquod damnum aliàs non accepturus, & è contra, quando aliquis aliàs empturus pretio minori non emit, quia Princeps, aut Senator emit, & quando mutuans accipit damnum aliquod ob mutuationem, quia ex iustitia tenẽtur nõ vti suo officio in damnum ciuium.

Et ob eadem rationem existimamus, eos non posse absque iniustitia reuelare promulgationem futuram alicui, qui ob eam reuelationem vendíturus, aut mutuaturus est, aliàs non vẽditurus, nec mutuaturus, quando emens aut accipiens mutuum damnificatur ob id, aut quando alius venditurus, aut mutuaturus nõ vẽdit nec mutuat, qui ille, cui facta est reuelatio, vendit aut mutuat, & idem eadem proportione dicendum est, quando ille, cui fit reuelatio legis emit, aut accipit mutuum, aliàs non empturus, nec accepturus mutuum: peccabunt autem Princeps, & Senator cõtra iustitiam quando prudenter timeant prædicta damna euentura, & tenebuntur ad restitutionem dictorum damnorum, quando prudenter constet ea damna euenisse: & eis personis faciendam quibus constet euenisse, quæ difficillimè constabunt.

An autem licitum sit pretio currente emere agrum, in quo latet

latet Thesaurus, & etiam eum, in quo latet vena aliqua diximus, tract. de iust. disput. 1. diff. 35.

Difficult. VIII. Quo pretio possit vendere, qui rogatus vendit rem quam erat in posterum seruaturus.

SVPPONIMVS Vendentem, siue rogatum, siue non rogatũ, siue seruaturũ rem, siue nõ seruaturum, posse eam vendere pretio currente tempore quo fit traditio (quæ solet fieri tẽpore ipso quo fit venditio) quia pretium iustum rei est, quo res valet tempore traditionis.

Hoc supposito, circa difficultatem conueniunt communiter DD. vendentem rem in gratiam emptoris, quam aliàs erat in posterum seruaturus, posse ratione lucri cessantis, seruatis conditionibus ad id requisitis, exigere pretium maius cursurum tempore in quod aliàs erat rem illam seruaturus, deductis expensis, quas in illius custodia facturus erat, si aliquæ erant faciẽdæ, & detrahẽdo aliquid ratione periculi, cui vendens erat expositus, si rem seruaret, si aliquod esse, ita Salon quæst. 88. art. 2. cõtrouer. 21. Lessius, cap. 21. dub. 4. Turrianus, dispũt. 58. dub. 5. & Bonac. disp. 3. quæst. 2. punct. 4.

Et eodem modo habens rem in vno loco, in quo minoris valet eam aliàs delaturus in alium in quo pluris valet, & in eo venditurus, eam in gratiam emptoris vendens in loco in quo minoris valet, potest eã illi vendere pretio currente in eo alio ad quẽ aliàs erat eam delaturus, & venditurus, & in illo alio tempore in quo erat rem illam venditurus, extractis expensis delationis aliàs faciendæ ad eum locum in quo pluris valet, & attentis periculis.

Addimus contra nõnullos, vt aduertunt Turrianus, Lessius, & Bonacina in neutro casu dicto, vendentem posse exigere pretium maximum alius loci, nec futuri temporis, quia non est certus, quod in eo alio loco, & tempore esset eo pretio maximo vendíturus, sed esse aliquid minorandum ex pretio maximo ad arbitrium viri prudentis, attendendo ad maiorem, vel minorem notitiam venditionis faciendæ pretio maximo, magis exigendo infra gradum maximum pretij, quando adest maior notitia, & minus exigendo, quando adest minor notitia.

Difficult. IX. Vtrùm in venditione rei manifestanda sint vitia illius.

NOMINE vitij rei, intelligimus eum defectum rei, qui potest minuere pretium illius, aut mutare voluntatē ementis, hic autem defectus potest tripliciter contingere, nempè, in substantia rei, & in quantitate, & in qualitate rei.

Circa difficultatem ergo, ex dictis disp. 1. diff. 6. constat vitium, seu defectum circa substātiam rei esse manifestandum, aliàs contractus emptionis & venditionis erit nullus; & etiam vitium seu defectum circa qualitatem, aut quantitatem rei, quoties contractus fit dependenter à qualitate, aut à quantitate rei, tamquā à conditione, aliàs etiam erit nullus ex defectu conditionis, quia fit dependenter ab ea. Quamuis verò quādo vitium non est circa substantiam, sed circa qualitatem, aut quantitatem, & cōtractus non fit dependenter ab ea tamquam à conditione, contractus fit validus, vt diximus in ea diff. 6. potest nihilominus contractus esse illicitus contra iustitiam, seu iniustus.

Ad cognoscendam autem iniustitiam contractus ex non manifestatione defectus, seu vitij, hanc regulam existimamus habendam, nempè, tunc esse iniustum quoties, si manifestaretur vitium, emptor, vel non emeret, vel non emeret tanto pretio intra latitudinem iusti, sed minori, quia vt contractus sincere fiat, & pretium sincere assignetur, tenetur venditor ex suo officio, & ex iustitia, erga emptorem defectus occultos manifestare, ne emēs cogatur emere aliàs non empturus, vel si erat empturus (quod relinquitur arbitrio prudētis) ne cogatur emere maiori pretio, & ne emēs ex emptione patiatur damnum aliud, vndè venditor tenetur ad damna sequuta ex nō manifestatione defectus, vt si tradidit ouē morbidam, quæ aliàs infecit, & etiam tenebitur, vel ad rescisionem contractus si emens aliàs non erat empturus, & velit contractus recisionem, vt sic emptor faciat iniustitiam cessare, vel etiam tenebitur ad restitutionem excessus pretij, quando etiam, si aliàs esset empturus sed non tanto, & in hoc posteriori casu vēditor non irrogabit iniuriam emptori, si non manifestato defectu vendat minuendo pretium quantum emptor minueret, nisi emptor emeret ad reuendendum, quia tunc ex iustitia erga emptorē ab eo reuenditore teneretur venditor ad manifestandum defectum reuenditori, saltem post celebratum contractum ne reuenditor

ditor exigat ab eo pretium iniustum, quod deficiente vitio posset esse iustum.

Prædicta contra non paucos intelligimus vera, quamuis defectus non manifestatus sit leuis, quia ratio adducta etiam habet vim, quando defectus est leuis, & etiam quando defectus est manifestus, vt quando equus, qui venditur, est monoculus, si emptor eũ defectũ inuincibiliter nõ aduertat, tũc autẽ dicitur inuincibiliter nõ aduertere defectũ quãdo de eo nõ dubitat, nec suspiciatur.

Ex dictis deducitur, qua ratione posit in vẽditione cõtingere iniustitia ratione defectus nõ manifestati, siue in põdere, siue in mensura, siue ratione mixtionis, & qua ratione nõ, quia nõ erit iniustitia, quãuis defectus nõ manifestetur, quãdo etiã si cognosceretur defect⁹ rei, emẽs esset eã empturus, & nõ minori pretio intra latitudinẽ iusti, quod præcipuè potest contingere, quando res mixtione nõ fit minus bona, quã aliæ eiusdẽ rationis, quæ cõmuniter vẽduntur, vt quãdo vino prætioso miscetur parũ aquæ, & non emitur, vt seruetur, & quãdo tritico puro miscetur aliquid secalis, & quando minutione põderis, aut mẽsuræ extorquetur ab emptore pretiũ iustũ, quod absq; ea minutione nõ extorqueretur.

Et simili modo dicto potest contingere iniustitia in venditione rei cito corrũpendæ, v.g. vini, quod raro aut numquam contingit respectu ementis illam ad eam statim consumendam, cui sic ementi potest licitè vendi pretio currenti, quia ad eum vsum est ita vtilis ementi, ac si posset seruari.

Et sicut iniustũ est vẽdere rẽ occultè defectuosã, nõ manifestato defectu, ne emẽs cogatur emere, quod cognito defectu nõ emeret, aut ne cogatur emere maiori pretio intra patitudinẽ iusti, & ne ex emptione partiatur aliud dãnũ. Ita etiã ob eãdẽ proportionalẽ rationẽ, iniustũ est emere rẽ occultè pretiosam, aut aliter bonã, non cognita bonitate à vẽditore, si ea cognita, aut nõ vẽderet rẽ, aut eã vẽderet maiori pretio intra latitudinẽ iusti, ne scilicet, venditor cogatur, aut vẽdere aliàs nõ venditurus, aut vẽdere minori pretio intra latitudinem iusti.

Difficul. X. Vtrùm monopolia sint iniusta?

MONOPOLIVM Dicitur quasi vnius vẽditio, & ipse vnus seu singularis vẽditor dicitur monopola, & ideò monopoliũ propriè fit, quãdo vnus curat, & obtinet, vt ipse solus merces aliquas vẽdat, quod iure Cæsareo prohibitũ est lege vnica, C. de monop. sub pœna priuationis omniũ bonorũ & perpetui exilij.

fatetur Turrianus: quia contra charitatem non peccatur ex natura rei peccato commissionis, nisi peccato odij, quod non reperitur in dicta conspiratione, nec in venditione & emptione ex ea sequutis, nisi id fiat ex displicentia positiua proximorum, quod numquam, aut rarissimè continget; ratione tamen dictæ prohibitionis positiuæ factæ supra citata lege vnica, vbi hæc obliget, erit peccatum reductiue contra misericordiam, aut contra charitatē, quia dicta prohibitio facta videtur, aut intuitu misericordiæ, vt facilius & viliori pretio succuratur indigentibus, aut intuitu charitatis erga proximos, vt omnibus etiam non indigentibus & viliori pretio prouideatur.

Secundò est difficultas, an qui emit magnam copiam mercis, vt eam postea carius vendat, peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur.

Medina, C. de restitutione, quæst. 36. Petrus Nauarr. lib. 3 c. 2. num. 80. & Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 7. docent peccare contra iustitiam, & obligari ad restitutionem excessus pretij cuius sua emptione est causa, quia ea emptione, & asseruatione est causa iniusta dicti excessus pretij.

Molina verò, Lessius, Turrianus, & Bonacina vbi supra, docent, non peccare contra iustitiam; nec ad restitutionem teneri, & meritò, quia ille vtitur iure, quod verè habet emendi iusto pretiò, vt patet, & asseruandi copiam illam, quia non tenetur illam vendere, vt patet, & etiam vtitur iure illam reuendendi, pretio quod tempore reuenditionis sit iustum, attenta inopia, aut copia illius mercis tempore venditionis, & paucitate venditorum, & pluralitate emptorum.

Quod autem ex eo inducta sit caritas, non sufficit, vt id fiat iniustum, quia caritas inducitur, ex eo quod sint plures emptores, & tamen plures emere, non est iniustum, & etiam inducitur, ex eo quod quis emat magnam copiam sibi necessariam, & non ad reuendendum, & tamen eam emere non est iniustum, ex eo ergo quod ex emptione, & asseruatione, & reuenditione magnæ copiæ mercis alienæ inducatur caritas, non fit esse contra iustitiam nec eum emptorem esse causam iniustam excessus pretij, quod ob id crescit, quia ea emptio fit iure quod emens habet ad id.

Addimus, dictum emptorem, asseruatorem, & reuenditorem, iure naturali non peccare contra charitatem, vt Turrianus aduertit, ob rationem supra adductam, sed quamuis iure naturali prohi-

quando aliter sæpè deficiunt illæ merces,quia raro afferũtur , vel quando Princeps eget pecunia pro bono communi,& ad eam ob tinendam vendit tale priuilegium,quia eam nequit alter obtine re commode,tenetur tamen Princeps pretium taxare , quando merces sunt Reipublicæ necessariæ ad commode viuendum,v. g. triticum,carnem,vinum,ne monopola pluris iusto vendat,nõ tamen tenetur,quando merces non sunt necessariæ,sed tantum deseruiunt recreationi,aut luxui,v.g.pictura & canis venaticus.

Addidimus esse licitum,& iustum,& expediens Reipublicæ, quando ad illud concedendum adsit iusta causa;quia si non adsit, Princeps peccabit contra iustitiam illud concedendo , quia suo priuilegio,& præcepto coget ad damna ob id contingentia,& tenebitur ad eorum restitutionem,& etiam peccabit,qui illud impetrat , & tenebitur ad restitutionem eorumdem & regulariter priori loco quam Princeps.

Quintò est difficultas , an quandò ob monopolium iniustum crescit iniuste pretium,posſint reliqui,qui non exercuerunt monopolium illud,merces suas pretio illo iam communi vendere.

Bartholomæus Medina,§.25. de instructione confessorum, Rebell.lib.9.quæst.7.Turrian.disput.57.dub.8.& Bonac. disp. 3.quæst.2.punct.5.num.11.partem negatiuam tuentur,quia pretium illud est iniustum, vt pote per iniustitiã monopolarum auctum:ergo sicut monopolæ nequeunt pretio illo vendere , quia est iniustum,nec reliqui poterunt,quia nullus potest pretio iniusto vendere.

Reginald.verò,lib.25.num.230.Filliuc.tract.35. part. 2. cap.7.num.418.&alij partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia supposita ea iniustitia monopolarum,v.g. qua iniuste impediunt asportationem mercium,pretium factum est iustum,ob inopiam mercium,quamuis iniuste à monopolis causatam,ergo reliqui possunt,eo pretio vtpote iusto,quamuis iniuste aucto vendere,non verò ipsi monopolæ,quia fuerunt causa iniusta illius augmenti,quia nequeunt augmentum hoc,seu excessum alias iniustũ retinere,quia cum fuerint causa iniusta illius,tenentur restituere excessum illum à reliquis venditoribus iuste acceptum.

Et ob eamdem proportionalem rationem,quando ob monopolium iniustum,pretium minuitur,reliqui emptores possunt iuste pretio illo minuto emere,non verò monopolæ illi iniusti : imo hi tenen-

tenentur ad restitutionem illius defectus pretij, quo reliqui emût faciendam vendentibus minuto illo pretio.

Ad rationem ergo aduersariorum, constat ex dictis.

Difficult. XI. In quo gradu facienda est restitutio, quando emptio, aut venditio facta est pretio iniusto?

QVANDO Pretium est lege indiuisibiliter taxatum facilè intelligitur, quid sit restituendum, quia si vendens vendidit maiori pretio, excessus supra iustum restituendus est emptori, & si emens emit minori, defectus restituendus est venditori.

Est ergo difficultas, quando res non est lege taxata, sed relicta pretio naturali, seu vulgari, in quo gradu ex tribus quos habet supremũ, videlicet, mediũ & infimum facienda sit restitutio.

Circa quam supponunt communiter DD. post conuentionẽ contrahentium in aliquo gradu iusto ex tribus dictis, v.g. in medio non posse vendentem accipere occultè supremum, vt quidã plusquam falso dixit, nec ementem tantum soluere infimum, quia tota dicta latitudo pretij iusti, est iusta ralata ad conuentionem contrahentium, quia intra eam latitudinem habent ius cõuenien di, & ex conuentione assignandi gradum, ac proinde post dictam assignationem non est licitum venditori accipere aliquid supra eum gradum assignatum, nec emptori citra eum soluere, aliàs alter contrahens erit rationabiliter inuitus.

Hoc ergo supposito difficultas est, quando emptio & venditio facta est supra, aut infra totam latitudinẽ iusti pretij, in quo gradu ex tribus iustis facienda est restitutio.

Circa quam existimamus, vt optimè Turrian. disp. 57. dub. 7. vendentem supra supremũ gradũ iusti pretij, ei qui absque ignorantia & vi emit, satisfacere si restituat excessum supra supremũ gradum hunc sibi retinendo, quia tũc ex vna parte gradus ille est iustus, & ex altera parte fuit voluntarius ementi, & ob eãdẽ proportionalem rationem emptorem non attingentem infimum gradum iusti pretij satisfacere venditori, qui in eo vẽdidit sine vi & ignorantia, si ei restituat defectum pretij vsq; ad infimũ gradum.

In quo verò gradu facienda sit restitutio, quando vẽditor pretio

tio excedente, iustum vendidit ei, qui ignorantia, aut vi emit, & quando emptor emit pretio non attingente iustum, constat ex dictis tract. de iust. & iure, disp. 5. diff. 5.

Difficult. XII. Vtrùm periculum rei venditæ pertineat ad emptorem.

SVPPONIMVS Cõtractũ emptionis & venditionis, sua natura, seu suo iure naturali, perfici sola cõuẽtione contrahẽtiũ ante traditionẽ rei, & sua natura, esse sufficientẽ ad trãsferẽdũ dominiũ, vt dicimus dif. 2. iure tamẽ Cæsareo habito, Instituta de empt. & vend. §. vtique & iure Castellæ lege 50. tit. 5. p. 5. impediri traslationem dominij vsque ad traditionem rei.

Hoc ergo supposito certũ est rẽ venditã, si pereat aut deterior fiat post traditionẽ illius factã emptori, ipsi perire, & deteriorem fieri, quãuis pretiũ nõ sit solutũ, quia emptor traditione rei ipsi facta fit dominus illius, nõ solũ iure naturali, sed etiã iure Cæsareo, & Castellæ: ergo ipsi perit, aut deterior fit, quia pericula & commoda rei pertinent ad dominũ rei, quando ad ipsam determinatam nullus alius habet ius iustitiæ, dum iure positiuo aliud nõ disponatur, vt verè non est dispositum.

Est tamen difficultas, an periculum rei venditæ pertineat ad emptorem, quando res non est ipsi tradita.

Circa quã cõueniũt cõmuniter DD. pericula interitus & damni rei omnino determinatę, (v.g. huius domi, huius agri) ad emptorẽ pertinere, quia quãuis iure Cesareo, & Castellæ nõ fiat dñs rei ante traditionẽ illius, eis tamẽ iuribus disponitur cõmoda, & incõmoda rei omnino determinatæ, quãuis nõdũ traditæ ad emptorẽ pertinere, vt cõstat ex l. 1. C. de pericul. & cõmodo rei vẽditæ, & ex Instituta de empt. & vend. §. cũ autẽ, & ex l. 23. Castellæ tit. 5. p. 5. & non solũ dictis iuribus positiuis pericula rei determinatæ pertinent ad emptorẽ, sed etiã iure naturali, quia quãuis emptor nõ fiat dñs illius, id impediẽtibus dictis iuribus, est ipsi debita à venditore, si fuerit in rerũ natura, & nõ ei illi debita si perierit, & si fuerit in rerũ natura, tãtũ est illi debita talis qualis fuerit tẽpore traditionis debitæ, dũ absq; culpa debitoris, qui eã tenetur ex officio custodire, perierit, aut fuerit dãnificata, quia si culpa debitoris perierit, aut fuerit deterior facta interitus, aut deterioratio ad vẽditorẽ pertinet, & ad talẽ creditorẽ (qualis est emptor)

quam-

quamuis non dominum rei, pertinēt pericula interitus & damni, & non ad debitorem (qualis est venditor) quamuis dominum rei quia soli domino non debenti dicto modo alteri ex iustitia rem, perit aut fit deterior res, vt constabit ex difficultate sequenti.

Addidimus in conclusione, *rei omnino determinatæ*, quia si res vendita nondum tradita, non sit omnino determinata in indiuiduo, sed indeterminata, vt quando venduntur decem oues ex grege, eas non designando, vel si sit determinata in indiuiduo, vendita tamen ad mensuram, vt quando venditur aceruus tritici vno aureo in singulas mensuras, vel quando venditur ad pōdus, vt fructus horti vno dipondio in singulas libras, vel quando venditur ad gustationem, tunc periculum interitus earum rerum ad venditorem pertinet iure Cæsareo, lege 1. ff. de periculo & commodo rei venditæ, & iure Castellæ lege 23. & 24. tit. 5. partita. 5. & etiam iure naturali: quia emptio & venditio istarum rerum fit tacitè sub conditione, nempè, emptio & venditio rei indeterminatæ in indiuiduo sub conditione traditionis illius, & emptio & vēditio dictarum rerum determinatarum ad mensuram, vel ad pondus, vel ad gustationem fit sub conditione, si res mensuretur, vel ponderetur, vel gustetur, ac proinde si res pereat ante traditionē vel mensurationem, vel ponderationem, vel gustationem (in quibus continetur quædam moralis conditio, cum fieri debeat, vel ab emptore si sit gustatio, vel saltem coram eo si sit mensuratio, vel ponderatio) perit venditori, quia perit ante impletionem cōditionis, & consequenter ante perfectum, seu absolutum contractum, periculum verò deteriorationis, & euentus meliorationis earum rerum ad emptorem pertinent, quia emptio & venditio earum fit, earum prout fuerint tempore traditionis, quia eas emens & vendens, se exponunt euentibus fortuitis.

Difficult. XIII. Ad quem pertineant fructus rei venditæ nondum traditæ?

SVPPONIMVS, Si in ipso contractu exprimatur, cui futuri sint, ad eum pertinere, quia licitum est vendere rem cum fructibus, aut sine illis, addito vel diminuto pretio.

Est ergo difficul. ad quem pertineant, quando nihil de fructibus exprimitur in contractu. Circa quam conueniunt cōmuniter DD.

Doctores fructus rei quamuis non traditæ pendentes tempore emptionis & venditionis, iure naturali pertinere ad emptorem, & ipsi deberi, quia sunt aliquid fundi, & in ipso sunt naturaliter, & absque dubio cum ipso venduntur, quando aliud non exprimitur: & non solum iure naturali, sed etiam iure positiuo Cæsareo, lege Iulianus, §. si fructibus, ff. de actionibus empti, quod non solum existimamus verum quoad valorem, quem fructus habent tempore contractus, sed etiam contra nonnullos id existimamus verum quoad eorum augmentum sequutum post contractum, imò contra Couarr. Anton. Gomez, Molinam & alios etiam quoad fructus post contractum etiam ante traditionem nouiter ortos, aut aduertunt Syluester vsura 2. quæst. 11. Petrus Nauarr. libr. 3. cap. 2. numer. 148. Turrian. disput. 59. Lessius dub. 13. Rebell. quæst. 16. sect. 1. Layman. libr. 3. tract. 4. cap. 17. sect. 2. & Fillicius, tract. 35. cap 8. quod efficaciter desumitur ex lege Iulianus, §. si quid seruo, C. de actionibus empti, & ratione probatur, quia emptor verè emit rem illam, & omnem eius potentiam, & virtutem naturalem fructificatiuam: ergo sicut ad ipsum pertinet res empta, & eius virtus productiua fructuum, & augmentatiua illorum, & ipsi est debita, & danda, quamuis maneat sub dominio venditoris vsque ad traditionem, ita etiam augmentū fructuū ex ea re, & ex eius virtute naturaliter sequutum: & fructus ex ea nouiter orti ad ipsum emptorem pertinent, & ipsi est vtrumque debitum & dandum, quamuis vsque ad traditionem vtrumque sit sub dominio venditoris, & ipsi tamquam domino rei sequatur. Vndè regula illa, res domino perit, & deterioratur, & ei fructificat, tantum est vera de domino non debente ex iustitia rem alteri, quia tunc perit, deterioratur, & fructificat, non domino rei, eam alteri ex iustitia debenti, vt etiam constat in re donata nondum tradita, quæ si perit, aut deterioratur, aut fructificat, est ipsi donatario, non domino eam retinenti post donationem. Et confirmatur, quia vt diximus dif. præcedente commoda, & incómoda rei venditæ quamuis nondum traditæ, adhuc iure Cæsareò & Castelle, quibus impeditur dominiū emptoribus vsque ad traditionem rei, pertinent ad emptorem, quia quoad ea non fuit eis iuribus impeditum, sed potius statutum, illa ita pertinere ad emptorem, ac si acquisijsset dominiū, augmētū autē, quod fit post vēditionē, & fructus post eam nouiter orti sunt cómoda rei vēditę.

Quod si fructus post venditionem ante traditionem nouiter orti ad emptorem pertinent, & ei sunt debiti, multò melius ad eũ pertinebunt, & ipsi erunt debiti fructus post traditionem orti, quia iam post traditionem factus est dominus rei fructificantis, & venditor desiuit esse dominus illius, quod non solum existimamus verum quando pretium est solutum, vel oblatum, vel de eo est ipsi empori habita fides, in quo DD. conueniũt, sed etiam cõtra nonnullos quando emptor est in mora culpabili soluendi pretium, quia etiam tunc est dominus ipsius rei, etiam si iniuste detineat pretium, & ob id teneatur ad satisfactionem lucri cessantis, & damni emergentis venditori, si ob eam iniustam detentionem ipsi lucrum aliquod cesset, aut damnum aliquod emergat.

Addimus venditorem post traditionem rei, imò ante traditionem post venditionem non posse in pactum deducere, vt toto tẽpore quo emptor non soluat pretium, fructus pertineãt ad ipsum venditorem, quia supponimus pro re ipsa assignatum fuisse pretiũ sufficiens, ac proinde supra illud non poterit exigere fructus ipsos, vtpote iam ad emptorem pertinentes, nec poterit aliquid ab emptore exigere præcisse, ratione dilationis solutionis, quia esset manifesta vsura, etiam si posit ratione aliorum titulorum, si fortè sit aliquis, de quo dicemus disp. 3.

Difficult. XIIII. Vtrùm emptio & venditio cum pacto retrouenditionis, aut retroemptionis sit licita?

CONVENIVNT DD. vẽditionem rei cũ pacto retrouenditionis in fauorem solius vẽditoris, quo emptor obligatur ad reuendendã rem vẽditori, si huic placeat, esse licitum, si alias attento onere, seu grauamine imposito emptori fiat iusto pretio minori quam res secundum se valeat, iuxta ea quæ dicemus dif. 15. sequenti, quia venditio sic facta non est prohibita iure aliquo positiuo, quia nullum tale extat, nec iure aliquo naturali, quia non est ementi iniuriosa, quia onus, seu grauamem quod ipsi imponitur, compensatur minuendo pretium rei secundum se.

Est tamen difficultas primò, an elapso termino constituto, si aliquis cõstituitur ad reuendendum ex pacto, teneatur emens ad supplendam partem pretij, quam detraxit ratione dicti oneris sibi impositi in fauorem venditoris.

Circa

Circa quam contra summam coronam de vsura circa contractus,n. 10 conueniunt communiter DD. non teneri, & meritò,quia ratione dicti oneris ipsi ementi impositi,quo à principio contractus verè fuit grauatus,non pluris valebat,quam dedit.

Secundò est difficultas,an emens possit licitè apponere pactum,vt si vẽdens nõ redimat rẽ intra tẽpus aliquod, v.g.intra decẽ annos,nequeat postea ipsum emẽtẽ obligare ad reuendendũ.

Circa quam Nauar.c.17.n.248.Couar.3.var.c.18.& Bonac. disp.3.q.2.punct.3.docẽt,posse dictũ pactũ apponere,& meritò, quia in illo nulla fit iniuria,seu iniustitia vendenti,si aliàs fiat iusto pretio,attenta limitatione termini in fauorem ementis.

Circa emptionem factam cum pacto reemptionis in fauorẽ solius emptoris,quo venditor obligatur ad reemendam rem ab emptore,si huic placeat,Sotus 6.de iustitia,quæst. 5. art. 1. Nauarr.de vsurijs,num.65.& alij,docent, non esse licitam cum eo pacto,sed vsurariam,quia tunc emens vltra pretium,quod dedit, quod postea accipit,etiam accipit fructus interim perceptos.

Molina verò disput.375.Lessius, cap. 21.dub. 14. & Bonac. vbi supra, & communiter Doctores docent, & meritò, esse licitum,si attento grauamine venditori imposito, fiat pretio iusto,maiori,videlicet,quam res secundum se valeat, iuxta ea quæ dicemus diff.sequente,quia emptio sic facta non est prohibita iure aliquo positiuo,quia nullum tale extat,nec iure aliquo naturali,quia non est iniusta,seu iniuriosa vendenti, quia sicut venditio facta cum pacto reuenditionis in fauorẽ venditoris est iusta,quia onus emptori impositum compensatur minuendo pretium rei secundum se,ita etiam emptio facta cum pacto reemptionis in fauorem emptoris erit iustua, augẽdo pretiũ rei secũdũ se ob onus impositum venditori,quod ab emptore eo augmento recompẽsandum est,quod autem in emptione cum eo pacto celebrata,nulla fit vsura,declaratur:quia sic emens vltra pretium,quod dedit, nihil accipit,quod sit vendentis,quia fructus rei interim percepti,quos accipit,non pertinẽt ad venditorẽ,sed ad ipsum emptorẽ quia res illa verè fuit empta,& facta emẽtis & nõ data in pignus, cuius signũ est,quod si res illa interim pereat,perit emptori,& nõ venditori,ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Circa emptionem verò & venditionem factas cũ pacto retrouenditionis,& redẽptionis in fauorem vtriusque,cõtra Sa,& cõtra alios, Molina quæst. vltima de vsuris Medina disput. 377.

Lessius dub. 14 Bonac. dispot. 3. quæst. 2. punct. 3. & communiter DD. docent esse licitas, & meritò, quia si emptio facta cum dicto pacto in fauorem emptoris est licita, & venditio facta cum dicto pacto in fauorem venditoris est licita: ergo emptio & venditio factæ in fauorem vtriusq;, quæuis in fauorem alterius erunt licitæ, si fiant iusto pretio, attentis oneribus ementi, & vendenti impositis, & maioritate oneris venditori impositi iuxta ea quæ dicemus diff. sequente.

Difficul. XV. Quomodo appretianda sit res, quæ emitur & venditur cum pacto reemptionis & reuenditionis?

CONVENIVNT Communiter DD. quod si pactum quod superadditur sit reuenditionis in fauorem solius venditoris, quo emens obligatur reuendere rem venditori, si hic velit, tunc pretium rei secundum se diminuendum est, seu minoris est vendenda, quia onus quo emens grauatur ad id, est compensandum diminutione pretij, seu quod idẽ est, quia res oneri subiecta minus valet quam libera: & quod si pactum quod superadditur sit in fauorem solius emptoris, quo venditor obligatur reemere rem ab eo, si hic velit, tunc pretium rei secundum se augendum est, seu res pluris vendenda est, quia onus, quo venditor aggrauatur ad id, compensandum est augmento pretij, seu quod idem est, quia res fauori adiuncta pluris valet, quam res secundum se: & quod si pactum quod superadditur, sit in fauorem vtriusque, tunc pretium rei secundum se augeudum est, seu res pluris emenda est non tanti quanti si pactum superadditum esset in fauorem solius emptoris, est autem augendm, & non manebit immutatum, quamuis vtrique onus imponatur, quia onus quod imponitur venditori est maius, & maiori compensatione dignum, quam onus quod imponitur emptori, vt aduertit Bartholomæus à Fausto, disput. 6. in fine, quia difficilius est conseruare, & reddere pecuniam, quam venditor accepit, quam rem, verbi gratia, domum quam emptor accepit: vndè ob hanc rationem, quando dictum pactum fit in fauorem solius venditoris minus decrescit pretium

pretium rei secundum se, quam crescat quando pactum sit in fauorem solius emptoris, quia scilicet, onus reemendi, quod imponitur venditori in fauorem emptoris, est maius quam onus reuendendi, quod imponitur emptori in fauorem venditoris.

Quantum autem diminuatur pretium rei, quando apponitur pactum in fauorem solius venditoris non conuenit inter DD. quia nonnulli, & non parum probabiliter existimant diminui quinta parte, ita vt res quæ valebat quinquaginta, tantum valeat quadraginta: & alij existimant diminui quarta parte, ita vt quæ valebat quadraginta tantum valeat triginta, & alij diminui tertia parte ita vt quæ valebat trigintā, tantū valeat viginti, & alij eā diminutionem remittunt taxationi prudentum, attentis circunstantijs, quātum verò augeatur, quando pactum apponitur in fauorē solius emptoris non video à Doctoribus disputatum, nihilominus, quia apposito eo pacto magis augendum est, quam diminuendum, apposito pacto in fauorem solius venditoris, vt dictum est: ideo credimus ad minus augeri quarta parte, quando ergo àpponitur pactum in fauorem vtriusque videtur pretium augendum versus vndecimam partem, vel maiori aliquo excessu, vel minori prout prudens, omibus circunstantijs pensatis iudicaberit: ita vt quæ secundum se valebat quinquaginta, apposito pacto in fauorem vtriusque valeat versus quinquaginta quatuor.

Ex dictis constat, quòd quando pactum reuenditionis, vel reemptionis est reuenditionis in rigore sumptæ pro secundò, videlicet, seu nouo contractu postea faciendo non est regulariter iustum si reuenditio, vel reemptio facienda sit eodem pretio quo facta fuit venditio, vel emptio, & non est facienda maiori vel minori, quia facienda est maiori, si pactum sit in fauorem solius venditoris; & minori, si pactum sit in fauorem solius emptoris, quando pretium rei consistit in indiuisibili, quia quando res est reuēdenda, est verè reuendenda pretio quo secundū se æstimatur, primò vero contractu fuit empta, vel vendita pretio taxato, attendendo ad onus impositum, quo pretium augetur, vel minuitur, potest tamen contingere, quamuis rarissimè, quod dictum pactum reemptionis, vel reuenditionis in rigore sumptæ eodem pretio faciendæ sit iustum, quando pretium rei consistit in indiuisibili: tunc, videlicet, quando prima venditio facta fuit in fauorem solius emptoris, & probabilius sit, quod res, tempore reemptionis sit pluris æstimāda secundū se quam tempore primæ emptionis

æquiualente oneri imposito venditori: & etiam quando prima emptio facta fuit in fauorem solius venditoris, & probabilius sit, quod tempore reuenditionis sit minus æstimanda, quàm tempore primæ venditionis, diminutione æquiualente oneri imposito emptori.

Addimus primò, quòd quando pretium rei habet latitudinem suppremi, & medij, & infimi, vt semper, vel fere semper cótingit, quando pretium est naturale, etiam tunc dictum pactum reuenditionis, & reemptionis sumpti in rigore faciendæ eodem pretio, quo fuit prima venditio, & prima emptio, regulariter potest esse iustum, quia contractus reciprocus (qui Hispane dicitur, mohatra) quo res venditur suppremo gradu pretij, & postea venditore reemitur infimo gradu pretij, est iustum (vt contra Medinam, & contra alios, admittunt Lessius dub. 16. Bonacin. disp. 3. q. 2. punct. 3. & communiter DD.) quia fit pretio iusto, cùm vterque dictus gradus sit iustus, ergo etiam pactum quando emptor in fauorem venditoris obligatur ad reuendendum ipsi venditori rem infimo gradu pretij, erit iustum, si onus, seu obligatio emptori imposita compensetur pretio, quo digna sit, pretium autem hoc sæpè non erit maius, quàm sit latitudo iusti pretij ab infimo gradu, vsque ad suppremum, ergo tunc iustè potest fieri pactum reuenditionis in fauorem venditoris quo emens rem, obligetur eam illi reuendere eodem pretio, quo vendens illam vendidit: imò, quia aliquando dicta obligatio emptoris potest non esse digna tanto pretio, quanta est latitudo à suppremo gradu quo vendita fuit, vsque ad infimum: ideo tunc etiam pactum reuenditionis minori pretio faciendæ, quam vendita fuit, potest esse iustum, & quia etiam ècontra contractus reciprocus, quo res emitur infimo pretio iusto, & ab eodem emptore reuenditur suppremo iusto, etiam est iustus, quia vterque gradus est iustus; ideo etiam pactum, quo venditor obligatur in fauorem emptoris ad reemendam eandem rem suppremo pretio erit iustum, si hoc onus, seu obligatio imposita venditori compensetur pretio, quo digna sit. Pretium autem hoc sæpè non erit maius, quàm sit latitudo iusti pretij: ergo iustè potest in fauorem emptoris fieri pactum reemptionis, quo vendens rem obligetur, eam reemere eodem pretio, quo emens illam emit; quia obligatio venditoris ad reemendum, vt supponimus, non est digna maiori pretio, quàm sit latitudo iusti pretij: imò

imò, quia aliquando potest non esse digna tanto pretio, quanta est dicta latitudo, ideo, etiam pactum reemptionis maiori pretio faciendæ, potest esse iustum

Addimus secundò, quòd quando dictum pactum non est reuenditionis, vel reemptionis in rigore sumptæ pro secundo, videlicet, contractu, sed latè sumptæ pro dissolutione primi contractus, qua ratione dictum pactum regulariter fit, & intelligitur, præsertim in censibus, tunc pactum illius reuenditionis, vel reemptionis faciendæ eodem pretio, vt regulariter fit in reemptione, seu redemptione census redimibilis, potest esse iustum, in fauorem cuiuscumque fiat, siue pretium rei sit diuisibile, siue sit indiuisibile, quia si primus contractus dissoluitur, eadem res, & idem pretium restitui debent, sicut si non fuisset factus contractus, & clarius dictum pactum erit iustum, si in prima celebratione contractus exprimatur, quod in tali, aut tali euentu contractus à principio sit nullus, & pro nullo habeatur, quia quando contractus fuit nullus, vnicuique contrahentium restituendum est quod dedit. Quod autem discrimen sit quo ad fructus rei, ad quem pertineant inter pactum reuenditionis, & reemptionis, in rigore sumptæ, & inter pactum illius latè sumptæ pro dissolutione, seu rescissione, dicemus diffic. sequenti.

Addimus tertiò, quòd quamuis Azor lib. 8. cap. 11. Reginaldus lib. 25. num. 296. Bonacina, & alij absolutè approbent contractum reciprocum, quo aurifex, verbi gratia, vendit vas aureum pretio, habita etiam ratione laboris, operæ, & industriæ, & illud ab emptore reemit pretio quo aureum ipsum valet, non habita ratione laboris, operæ & industriæ: ego tamen tantum approbarem illum, quando pretium rei habet dictam latitudinem, & valor, ex labore, opera, & industria desumptus non excederet latitudinem iusti à suppremo, vsque ad infimum. In hoc tamen contractu reciproco, & in altero prædicto reciproco, qui Hispane dicitur, *mohatra*, fiet iniustitia, seu iniuria primo emptori reuenditori à primo venditore, si prima venditio fiat cum pacto in fauorem ipsius primi venditoris, quo primus emptor obligetur ad reuendendum, & ei non fiat recompensatio, qua dicta obligatio sit digna.

(.?.)

Difficul. XVI. Ad quem pertineant fructus medij temporis quando venditio dissoluitur?

IN Primis (vt optimè Lesſius, cap. 21. dub. 15. & Bonac. disp. 3. quæst. 2. punct. 7.) quando venditio dissoluitur nouo pacto, seu contractu, post tempus aliquod inito quia ipsos contrahentes pœnitet prioris contractus, siue hic nouus contractus fiat eodem pretio quo primus, siue distincto, tunc fructus medio tempore, inter tempus in quo facta fuit venditio, & inter tempus in quo dissoluitur, percepti: & fructus etiam pendentes secundum valorem quem habent tempore dissolutionis, seu noui contractus pertinent ad primum emptorem, quia ipse est dominus rei, & eã determinate nulli debet ex iustitia, nihilominus, fructus, qui tempore dissolutionis, seu noui contractus sunt pendentes, eo nouo contractu fiunt primi venditoris, sicut contingit in reliquis venditionibus.

Secundò, quando venditio rei dissoluitur ex vi pacti facti in prima celebratione ipsius, siue res vendita ex vi dicti pacti restituẽda sit ipsi primo venditori eodem pretio, siue sit in rigore retrouendenda eidem, siue diuerso pretio, vt regulariter fit, nempè, pretio currente tempore retrouenditionis, siue eodem pretio, vt potest aliquando contingere, etiam tunc fructus eo medio tempore percepti, & etiam pendentes secundum valorem quem habent tempore, siue restitutionis, siue retrouenditionis pertinent ad primum emptorem, quia toto eo medio tempore est dominus illius rei, & eam nulli debens ex iustitia: est tamen discrimen, quod dicta restitutione facta, fructus pendentes non fiunt primi venditoris secundum valorem quem habent tempore restitutionis, sed tantum augmentum sequutum post eam restitutionem: dicta vero retrouenditione, fructus tunc pendentes etiam secundum valorem quem tunc habent, vtpote venditione noua, seu reuenditione fiunt primi venditoris ab ipso primo emptore, ad quem pertinent secundum eum valorem, ob quod, primus emptor potest, ratione illorum pretiũ rei augere, quod nõ potest efficere quan-

quando eam restituit, quia tunc primus emptor ex vi illius restitutionis non efficit illos primi venditoris, secundum valorem quem habent tempore restitutionis, quia adhuc post restitutionem manent pertinentes ad ipsum primum emptorem secundum eum valorem, quia tunc non censetur fieri noua venditio, sed tantum dissolutio, seu recissio prioris venditionis, & ob id dicitur restitutio, & non retrouenditio, nec ob eam debetur gabella, ob retrouenditionem verò debetur noua gabella, quia in retrouenditione verè fit venditio noua, seu reuenditio rei à primo emptore ipsi primo venditori, quando autem res venditur, aut reuenditur, etiam venduntur, aut reuenduntur fructus illius pendentes, ita Lessius & Bonac. vbi supra.

Et idem omnino contingit quoad fructus temporis intermedij, quando beneficio iuris positiui emptio infra dimidium iusti pretij, & venditio supra dimidium, rescinditur, seu dissoluitur, quod scilicet, fructus temporis intermedij eodem omnino modo pertinent ad emptorem, ac fructus rei quæ restituitur absque nouo contractu, quia etiam recissio illa beneficio iuris positiui facta, fit eodem modo absque nouo contractu.

Tertiò, quando venditio dissoluitur ex vi pacti facti in celebratione ipsius, vt in hoc, aut in illo euentu venditio habeatur pro non facta, tunc fructus medio tempore percepti, & etiam pendentes, ad venditorem pertinent, quando venditio celebrata fuit cum eo pacto verbis directis concepto: id est significantibus, quod venditio ab initio sui sit irrita, quia tunc quamuis venditio rei fuerit absoluta, non conditionalis, & per eam, aut translatum fuerit dominium rei in emptorem, si res ei fuerit tradita, aut adminus ei fuerit collatum ius ad rem, si non fuerit tradita, dissolutio tamen illius venditionis, ob dictum pactum retrotrahitur ad initium, quasi ab initio fuerit nulla (& ex ea, vtpote æquiualenter nulla, non debetur gabella) ac proinde dominium rei venditæ, & fructuum retrotrahitur ad venditorem, ac si non fuisset collatum emptori, si ipse velit dissolutionem retrotrahi, quia in eius fauorem factum fuit dictum pactum.

Addidimus quando venditio celebrata fuit cum eo pacto verbis directis, quia si celebrata fuit cum eo pacto verbis

bis indirectis, id est significantibus venditionem rescindendam esse in posterum à tempore in quo non ponatur ea conditio, vel quasi conditio tamquam requisita, vt valor venditionis perseueret, tunc fructus intermedij pertinent ad emptorem, quia verè fuit dominus rei, & eius dominium non retrotrahitur. Ex hac autem venditione debetur gabella, quia fuit omnino valida.

Venditio autem ex dicto pacto verbis directis concepto dissoluenda, potest duobus modis dissolui: vno modo ex pacto adiectionis in diem: id est cum pacto & lege, vt si alius intra certum tempus, v. g. intra mensem meliorem offerat conditionem, nempè, maius pretium, vel commodiorem solutionem res sit inuendita, & inempta ab initio: altero modo, ex pacto legis commissoriæ, id est eo pacto, & ea lege, vt si emptor intra certum tempus non soluat pretium, res sit inuendita, & inempta, sub intellige pro voluntate venditoris, in cuius fauorem fit dictum pactum.

Quarto, quando venditio est conditionalis, & dissoluitur, quia non impletur conditio, ita vt non perseueret, adhuc conditionaliter, fructus temporis intermedij ad venditorem pertinent, non ad emptorem, quamuis res tradita fuerit emptori, quia ante impletionem conditionis, emptor non habuit dominium rei, nec ius aliquod absolutum ad illam, quamuis ei res fuerit tradita, sed solus venditor, ac proinde fructus intermedij ad solum venditorem pertinent, non ad emptorem.

Quando verò venditio conditionalis purificatur, & fit absoluta impletione conditionis, fructus temporis intermedij ad emptorem pertinent, quia simul cum re ipsa in qua sunt, aut virtualiter, aut pendentes, venduntur ea venditione conditionali, ergo impleta conditione, non minus quam res ipsa ad emptorem pertinent, ita docent Lessius, & Bonacina, vbi supra, & alij.

(.?.)

Difficul.

Difficul. XVII. Vtrùm emptio & venditio sit licita?

SVPPONIMVS Emptionem, & venditionem aliam esse naturalem, nempè, qua emitur quod necessarium est ad propriā & familiæ sustentationē, & qua venditur quod superfluum est, & aliam esse artificialem, quæ duplex est: altera quę emitur aliquid, vt per industriam melioratum carius vendatur, quæ fieri potest, tantum ratione lucri in eo sistendo, aut illud in aliud ordinando; altera qua emitur aliquid, vt immutatum carius vendatur, quæ est mere lucratiua, & ideo hæc dicitur propriè negotiatio.

Hoc supposito, conueniunt primo Doctores, nullam emptionem & venditionem, adhuc merè lucratiuam esse ex sua natura, seu suo iure naturali illicitam, nec ex proprio obiecto, vt patet, nec ex fine proprio proximo, quia finis proximus, adhuc merè lucratiuus (de qua est maior difficultas,) nempè, lucrum, est indifferens, quamuis emptio & venditio artificialis, etiam prior sæpè reddatur illicita, saltem ex mendacijs, & ob id solet repræhendi, hæc tamen vitia potius sunt ipsorum ementium & vendentium, quam ipsius contractus emptionis & venditionis.

Conueniunt secundò, neutram emptionem & venditionem, naturalem, videlicet, & artificialem esse cuicūque generaliter prohibitam iure positiuo, & naturalem, & priorem artificialem nulli esse iure positiuo prohibitam, seu illicitam, & posteriorem artificialem, quæ merè est lucratiua, & dicitur proprie negotiatio, quia est merè negotiatio nullam importans industriam, cui maior illa caritas correspondeat tamquam merces esse imprimis, ob eius indecentiam, quibusdam personis, nempè, Clericis iure Ecclesiastico prohibitam in capit. *consequens*, sub pœna suspensionis ferendæ, & in capit. *negotiatorem*, & in capit. *fornicari*, distinct. 88. & in capit. vltim. de vita & honestate Clericorum, & in Clementina prima eodem titulo: & etiam prohiberi Clericis & Monachis sub pœna excommunicationis, (intellige ferendæ) in capit. *secundum*, & sub pœna suspensionis (intellige ferendæ) in capit. *sed nec*, ne Clerici, vel Monachi, sub Monachis autem etiam comprehenduntur reliqui Religiosi non Monachi, quia in omnibus eadem est indecentia, ob quam facta est

est dicta prohibitio, & idem est omnium status, quem dicta prohibitio respicit.

Circa hanc negotiationem prohibitā, conueniunt primò DD. contra Caietan. in Summ. verbo, *Clericorum peccata*, & contra Palacios lib. 2. de contractibus, cap. 10. posse in ea esse peccatum mortale, quamuis nullum adsit scandalum, nec contemptus, nec contumacia; ad peccandum tamen mortaliter negotiando, vt cōtra Molinam disp. 342. aduertunt Turrian. disp. 59. dub. 2. Lessius cap. 21. dub. 1. & Bonacin. disp. 3. q. 1. p. 5. non sufficit semel atque iterum negotiari, sed requiritur frequentia in negotiando, quia prohibitio hæc præcipuè tendit cōtra vsum, seu exercitium, seu frequentiam, qua quis absolutè efficitur & dicitur negotiator, ac proinde vna, imò & altera negotiatio, non censetur materia grauis sufficiens ad mortale.

Conueniunt secundò DD. dictam negotiationem prohiberi Clericis constitutis in sacris, nō verò tantum in minoribus (quod contra nonnullos existimamus verum quamuis sint beneficiarij) & etiam prohiberi Religiosis, quamuis non Clericis, quia etiam hi sunt verè Religiosi: imò sunt qui existiment etiam prohiberi nouitijs, quod non credimus verum, quia absolutè non sunt Religiosi.

Tertiò, contra nonnullos conueniunt communiter DD. dictā prohibibitionem tantum esse personalem, seu ea non prohiberi Clericos, nec Religiosos per alios negotiari, quia absque fundamento dicta prohibitio extenditur ad negotiationem per alios, quia in ea sic facta, non reperitur dicta indecentia.

Addimus primò contra Bartolomeum à fausto Clericos, etiā ante admonitionem Ordinarij vt abstineant à negotiando, teneri soluere gabellam ex re quam negotiando vendunt: imò si ter admoniti non desistant à negotiando amittere priuilegium exēptionis, quo tam ipsi, quàm ipsorum bona, tributis, & alijs oneribus non subijciuntur. Nihilominus dictum priuilegium iterum recuperare, si post iam illud amissum emendentur, vt quo ad triẽ prædicta constat ex cap. vltim. de vita & honestate Clericorum, de quo legendi sunt Molina, Turrian. & Bonacin. vbi supra.

Addimus secundò, dictis Clericis, & Religiosis, specialiter prohiberi (quamuis id non sit negotiari) aliena prædia conducere, vt ex fructibus quæstum faciant, nisi id sit eis necessarium ad suam, & suæ familiæ sustentationem, vt constat ex Canone primo

&

& secundo, & tertio, q. 3. causa 21. vbi etiam eis prohibetur suscipere administrationem domus sæcularis.

Deinde, negotiatio pro hibita est cuicumque personæ in loco sacro, vt constat ex cap. *decet*, de immunitate Eccles. in sexto; dum in eo dicitur, *cessent in Ecclesijs, atque eorum cæmenterijs negotiationes, & præcipuè nundinarum*, vbi nomine negotiationum, contractus præsertim emptionis, & venditionis, videtur intelligi, quia eadē indecentia reperitur in eis in loco sacro exercitis, ac in puris negotiationibus: vt autem in sic negotiando, seu contrahendo in loco sacro, peccatum mortale reperiatur, communiter à DD. requiritur, quòd sæpè fiat, & ità cum strepitu, vt sit quasi quædam nundinatio, & quòd res circa quam fit contractus, sit in loco ipso sacro, vt in eo tradatur. Et quamuis Caiet. verbo, *immunitas*, existimet, quòd id in cæmenterio exercitum, tantum sit peccatum veniale, quod non caret probabilitate, vt fatetur Bonacina circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. q. 4. num. 4. Nos tamen existimamus id esse falsum, quia quamuis in eo exercito in cæmenterio sit minor irreuerentia, quàm in eo exercito intra templum, nihilominus in eo supradicto modo exercito in cæmenterio, grauis irreuerentia reperitur. De hac tamē re latè dicendum est tract. de Religione.

Rursus, mercatum (cuius nomine intelliguntur contractus, emptionis, & venditionis, permutationis, & locationis, quamuis non sint pure negotiationes) prohibetur fieri in diebus Dominicis, in cap. 1. de ferijs, dum dicitur: *Omnes dies Dominicos decernimus obseruari, & ab omni opere illicito abstinere, vt in eis mercatum minimè fiat*. Et non est prohibitum fieri in alijs festis, vt aduertit Syluester verbo, Dominica. Dicta tamen prohibitio, quo ad plura; nempè, quo ad nundinas, quæ in anno semel, aut iterum fiunt, & quo ad mercata quæ semel in hebdomada fiunt, & quo ad alia, contraria cōsuetudine à Prælatis permissa, abrrogata videtur, vt experientia constat. Quo ad ea verò, quoad quæ non est abrrogata, verè obligat sub mortali, quando materia est grauis, vt quando contractus est materiæ considerabilis, & sæpè simul cùm traditione rei, & cum strepitu fiat, quamuis Sotus, & Valencia existiment in hac materia non committi peccatum mortale, secluso scandalo. De hac tamen re, etiam dicetur latè tract. de Religione.

Tandem mercatum aliquando prohibetur ratione rerum, quæ

quæ vendi, prohibentur: quod in proprijs materijs examinandum est, & de eo potest legi Molina disput. 340. & aliquando ratione personarum quibus res venditur, vt venditio armorum facta Turcis.

Dif. XVIII. Quis emptorum præferendus sit, quando eadem res diuersis temporibus fuit pluribus cuilibet in solidum vendita?

CONVENIVTN Primò communiter DD. quando res fuit vendita, v.g. duobus, & neutri fuit tradita, priorem emptorẽ esse præferendum, seu ipsi esse tradendam, quia prior contractus non dissoluitur per posteriorem eiusdem efficacitatis, & ita disponitur iure Castellæ, leg. 7. tit. 7. part. 7.

Conueniunt secundò communiter DD. in terris Imperij, & in Castella, & in alijs in quibus iure positiuo humano, impeditur ne transeat dominium rei venditæ in emptorem ante traditionem, si res tradita est posteriori emptori, hunc præferendum esse priori, quia solus posterior factus est dominus rei: dominium autem rei semel acquisitum, amitti nequit absque voluntate eius, qui illud acquisiuit: ita disponitur iure Cæsareo, leg. *quoties*, C. de rei vindicatione, & iure Castellæ, leg. 50. titul. 5. partit. 5. In hoc tamen casu, eadem lege Castellæ, & iure Cæsareo, leg. *qui tibi*, C. de hæredit. & iure naturali datur priori emptori actio contra venditorem ad pretium ipsi solutum, & ad damna priori emptori sequuta. Nomine autem dictæ traditionis factæ posteriori emptori, intelligimus omnem actum, per quem lege, aut consuetudine, censetur fieri traditio, & comparari possessio: & quando est dubium, cui ex illis emptoribus facta sit traditio, prior est præferendus, quia excedit posteriorem, in eo quòd facta sit ipsi prius venditio. Est autem præferendus posterior emptor, cui facta est traditio, etiam si prior venditio fuerit iuramento confirmata, quia iuramento nõ transfertur dominium in priorem emptorem, bene tamen traditione in posteriorem.

Prædicta ergo doctrina de prælatione, qua dicimus posteriorem emptorem præferendum esse, quando ei tradita est res, & non priori, non habet locum, quando contractu ipso, absque tradi-

traditione transfertur dominium, vt ex dispositione legis finalis, C. de sacrosanctis Ecclesijs, contingit, quando res est vendita, aut legata, aut donata Ecclesiæ, aut pio loco, aut ciuitati, non verò quando res est promissa, quia promissione non confertur illis dominium, imò ne ius ad rem ante acceptationem, quamuis semel eis facta nequeat reuocari, vt dicimus tractatu de matrimonio, disp. 1. difficult. 3.

Obseruandum tamē est, quod si posterior emptor mala fide, seu conscius prioris emptionis emit, tenetur in foro cōscientiæ, rē ab ipso emptā tradere priori emptori, accipiendo pretiū, si ille illud contulit, non solum quando induxit venditorem, vt eam sibi venderet, in quo DD. conueniunt, quia sua inductione fuit causa iniusta, contra priorem emptorem, venditionis sibi factæ, sed etiam quando non induxit, vt contra Molinam, & contra Petr. Nauar. & contra Lessium cap. 20. dub. 19. aduertunt Nauarr. cap. 17. n. 275. Laiman. lib. 3 tract. 4. cap. 17. §. 4. Palud. Caiet. & Corduba, quia eam emendo, & accipiendo, iniustitiā intulit priori emptori, quia contra ius illius eam emit, & accepit: tenetur ergo non ratione rei acceptæ, quia verè facta est ipsius, sed ratione iniustæ acceptionis, & in foro externo, prior emptor potest à posteriori eam rē intra annū reuocare, seu euincere, vt aduertit Couar. 2. variar. c. 19. n. 15. imò eā poterit ab eo reuocare, quāuis bona fide, seu priorē emptionē ignorans, eā rē acceperit, si eā nō accepit vēditione, nec alio titulo oneroso, sed gratuito, vt donatione, vt colligitur ex l. *ignoti*, C. de reuocandis his quæ in fraudem debitorū, de quo legendi sunt prædicti DD.

Diffic. XIX. Vtrùm venditor rei alienæ, teneatur de euictione?

EVICTIO Idem est, quod ablatio rei emptæ, vel alio contractu habitæ, vnde venditorem rei alienæ teneri de euictione, est teneri ad restituendum emptori illius, aliquid loco illius rei alienæ ab ipso emptæ, quæ ei euincitur, & aufertur: quod nō semper est idem, quando tenetur iure naturali, seu in foro conscientiæ, & quando tenetur in foro exteriori.

Hoc ergo supposito, conueniunt DD. venditorem qui rem alienam mala fide, seu sciens esse alienam vendidit emptori ignoranti esse alienam, teneri de euictione, si emptori fuerit euicta,

seu

ſeu ablata: tenetur autem ex vi iuris naturalis, ſeu in foro conſciẽtiæ ad reſtituendum emptori pretium, quod pro ea debet, vt patet: & etiam ad alia damna ex euictione emptori ſequuta: quia tunc venditor fuit cauſa iniuſta eorum damnorum, ex vi verò iuris ciuilis, ſeu in foro exteriori tenetur ad dicta damna, & etiam, vel ad pretium tẽporis quo res euincitur, vel ad id quod emptori prodeſſet, ſi ei non euinceretur, prout emptor elegerit.

Quæ autem ſint requiſita, vt venditor rei alienæ ex vi iuris ciuilis, ſeu in foro externo, teneatur de euictione, & quando in eo foro maneat liber, tradunt Molina diſput. 380. & Bonacina diſp. 3. quæſt. 2. punct. vltimo.

Addidimus, *qui mala fide. ſeu ſciens eſſe alienam, eam vendidit*, quia qui bona fide eam vendidit, quamuis tàm ex vi iuris ciuilis, quàm ex vi iuris naturalis, teneatur ad pretium quod pro ea accepit, tamen ad damna ſequuta emptori, non tenetur ex vi iuris naturalis, quia tunc non fuit cauſa libera eorum damnorum. ex vi verò iuris ciuilis ad ea tenetur, & etiam ad id quod emptori prodeſſet, ſicut ſi mala fide vendidiſſet, quando verò eam vendidit emptori ſcienti eſſe alienam, ex vi neutrius dicti iuris tenetur, niſi ad pretium, quod pro ea accepit, & non ad damna, adhuc ex vi iuris naturalis, quia ſcienti & volenti non fit iniuria, & multo minus tenetur ad reliquum intereſſe.

Obſeruandum tamen eſt primò, quòd quamuis venditor rei alienæ ex vi iuris naturalis non fiat dominus pretij pro ea accepti, quia accipitur abſque titulo: quia non accipitur pro aliquo quod fiat emptoris, aut quod ad emptorem incipiat pertinere, quia res aliena empta pro qua datur, non fit emptoris, nec ad ipſum incipit pertinere, ex vi tamẽ iuris ciuilis pretiũ fit venditoris (quãuis ex euictione maneat, ad id perſonaliter obligat⁹) vt cõſtat ex lege, *ex exẽpto*, ff. de actionib⁹ empti, & ex lege *ſi in emptione*, §. item ſi, ff. de contrahenda emptione, quod eſt verum, quamuis venditor ſit malę fidei, vt conſtat ex l. *qui vas*, §. vlt. ff. de furtis, ſi tamen emptor mala fide illam emerit, venditor quamuis bonæ fidei non efficitur dominus pretij, vt conſtat ex dicta lege, *ſi in emptione*.

Obſeruandum eſt ſecundò, ei cui aliquid vendendum traditur à domino rei, & eam pluris vendidit, quam ei fuit præſcriptũ, non poſſe eum exceſſum ſibi retinere, ſi aliàs pro ſuo labore mercedem accipit, aut aliàs ſit famulus domini rei illam tradentis,

aut

aut si venditor significet, se id gratis effecturum, quia tunc nullo titulo potest eum excessum, sibi retinere, quia ei designando, seu præscribendo pretium, non donauit excessum, si id aliàs non significat, sed tantum assignauit pretium, vt infra illud non vendat rem, desiderans tamen, vt supra illud rem vendat intra latitudinem iusti pretij, & ob eandem rationem petens ab aliquo, vt sibi petenti emat rem aliquam, v.g. pro duodecim, & emit pro decē, non potest sibi duo illa retinere.

Disput. III. de mutuo, & vsura.

Difficul. I. Quid sit mutuum?

COMMVNITER Describitur mutū, quod sit *traditio rei vt statim fiat accipientis, & postea restituat tantumdem eiusdem rationis, & qualitatis*, definitio hæc colligitur ex Instituta *quibus modis re contrahitur obligatio*, & ex l. 2 *ff si cert. pet.* mutuū dicitur *traditio*, quia perficitur traditione, sicut cōmodatū, deinde dicitur, *vt statim fiat accipientis*, quia mutuū ad id fit, vt ex meo tuū fiat, & in hoc distinguitur à cōmodato, & à Præcario, & à deposito, quia his non transfertur dominiū, vt suo loco dicemus. Rursus dicitur, *vt postea restituat*, quia si daretur, v.g. triticū, pro simili statim dando, potius esset permutatio, deinde dicitur *tātumdem*, vt seruetur æqualitas, quoad quantitatē, népè, quoad mensuram, vel quoad pondus, vel quoad numerū inter mutuū & solutionem: rursus additur illa particula vltimo posita *eiusdē qualitatis*, vt seruetur æqualitas quoad qualitatē, quia pro vino veteri mutuato nō satis fit in rigore vino nouo, nec eodē veteri mutuato deteriori facto, additur etiam illa particula, *eiusdem rationis*, quia ex vi mutui pro re mutuata reddenda est alia eiusdē speciei, népè, pro vino vinū, & non triticum, aliàs esset permutatio, & pro pecunia reddenda est pecunia, & non lana, aliàs esset emptio & venditio, non tamen obstabit obligationi mutui, quod pecunia quæ soluitur, seu redditur, sit diuersi metalli, si sit eiusdē valoris, quia moraliter censetur eiusdem rationis.

Obligationi ergo mutui non solum satisfit, reddendo aliam rem numero distinctam, sed etiam reddendo eamdem non factā deteriorem, quia cum mutuatarius fiat dominus illius potest de ea ad id disponere quamuis non obligetur ad id, nisi deducatur in pactum, tamen quando in pactum deducitur melius fiet commodatum,

datum, aut locatio non transferendo dominium, vt communiter fit, sicut quando alicui commodatur, aut locatur pecunia, aut aurum, vt eis vtatur ad solam ostentationem.

Obseruandum est rem, seu materiam contractus mutui esse ea, quæ quando mutuantur, seu traduntur, communiter, vel ponderantur, vt aurum, vel argentum, vel mensurantur, vt vinum, oleũ, & triticum, vel numerantur, vt pecunia, de quibus fit mentio in dicta Instituta, & in dicta lege 2. & in lege 1. & 2. Castellæ, tit. 1. part. 5. in quo Doctores conueniunt, & vt contra non paucos aduertunt Molina disput. 299. & Rebellus, libr. 8. quæst. sect. 1. etiã quæcumque alia res, quamuis non tradatur ponderatione, nec mẽsuratione, nec numeratione, vt domus, & ouis, potest esse materia mutui, vt videtur supponi Deuteron. 23. dum dicitur: *non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem*, & sanè quælibet res potest tradi alteri quoad dominium, vt postea teneatur reddere, vel eamdem rem, vel aliam similem, in quo consistit materia, seu essentia mutui. Iura autem in quibus pro materia mutui, asignatur materia, quæ communiter ponderatur, aut mensuratur, aut numeratur, tantum asignãt materiam communem, & regularem mutui, & non extraordinariam.

Et non solum res vsu consumptibilis, vt pecunia, & vinum, est materia mutui, sed etiam res non consumptibilis vsu, vt domus, & argentum, vt aduertunt Molina, & Rebellus vbi supra, Lessius capit. 20. dub. 1. Filliucius, & Bartholomæus à S. Fausto, quia hæc materia etiam potest alteri tradi quoad dominium, vt postea teneatur, vel eamdem, vel aliam similem reddere. Materia illa dicitur vsu consumptibilis, cuius primus, & præcipuus vsus illius est ipsius consumptio, vt vinum, & oleum, & pecunia, quæ consumi dicitur eo ipso quod alienatur.

Mutuum autem, varijs alijs diuisionibus omissis, est duplex: Aliud est formale, seu expressum, seu explicitum; aliud est virtuale, seu tacitum, seu implicitum. Mutuum formale contingit quando clarè, seu apertè celebratur contractus mutui: mutuum verò virtuale contingit, quando fit aliquid, quod æquiualet mutuo, vt quando fit aliquis contractus, in quo intercedit anticipata, aut dilata solutio, vt cũ quis emit credita pecunia, virtualiter accipit mutuo à venditore pretium, quia idẽ est, ac si statim soluisset venditori pretium, & deinde à venditore accepisset illud mutuo vsq;

ad

ad tempus dilatæ solutionis,& cum quis emit anticipata solutione,idem est ac si pretium illud mutuaret venditori vsque tempus receptionis rei emptæ,& committitur vsura virtualis,seu palliata ab emptore quando ob anticipationem solutionis minoris iusto emit,& committitur à venditore quando ob dilationem solutionis pluris iusto rem vendit.

Difficul. II. Quo loco, & quo tempore facienda est solutio mutui?

CIRCA Locũ in quo facienda est solutio mutui, stando in iure naturali,curandũ est,ne mutuãti,nec mutuatario imponatur onus aliquod iniustũ,vt sic seruetur æqualitas. Vndè si mutuũ factũ est in itenere,non est necessario,quod solutio in eo loco fiat, nisi ex aliqua rationabili causa,sine onere iniusto alicuius eorũ deducatur in pactum, non autem erit onus iniustum obligare mutuatarium,vt soluat in loco in quo futurus est mutuans tempore solutionis,si quando sic nõ fiat mutuanti,aut emerget aliquod damnum,aut cessauit aliquod lucrũ. Ad cognoscendũ ergo locũ vbi debeat fieri solutio,considerandæ sunt circũstantiæ ipsius contractus mutui,& conditiones personarum mutuantis,& mutuatarij, iure verò Castellæ l. 8. tit. 1. p. 5. quando locus non est in ipso contractu assignatus à contrahentibus, solutio debet fieri in loco in quo petitur.

Circa tempus in quo facienda est solutio mutui, necessaria est aliqua interpolatio tẽporis inter mutuũ & solutionẽ,aliàs erit pura permutatio,& non mutuũ: transacto verò illo aliquo tẽpore, iure naturali facienda est solutio tẽpore à contrahentibus assignato,siue expresse,siue virtualiter,vt patet,& etiam iure Castellæ l. cit. Quod si eo tẽpore nõ fiat,mutuatarius iure naturali tenetur ad restitutionem damni emergentis,& lucri cessantis,ob dilationem solutionis,& ad id potest obligari,non solum iure naturali,sed etiã iure Cæsareo,l. 2. §. *non vtique*,& §. nunc de offi. ff. de eo quod certò loco,& iure Castellæ l. vltim. tit. 1. p. 5.

Quando verò à cõtrahẽtibus nõ fuit assignatũ tẽpus solutioni, iure naturali facienda est,quando petita fuerit à mutuante,& tũc mutuũq uantũ ad hoc sapit naturã præcarij(d[illegible]o loco)iure tamẽ Castellæ,l. 2. tit. 1. p. 5. solutio debe[illegible] pe tita,transactis tamen decem diebus post h.

Difficul. III. Qui possint mutuare, & qui possint obligari ex mutuo?

CIRCA Prius conueniũt DD. eum solum posse mutuare, qui est dominus rei, & non est impeditus eam alienare, & etiã eũ, qui nomine domini rei potest, de ea disponere, quia per mutuũ transfertur dominium rei, quod solum fieri potest à domino rei, & etiam ab alio nomine illius: & ita disponitur iure Castellæ lege 2. tit. 1. p. 5. de quo diximus disp. 1. diff. 14.

Circa posterius conueniunt DD. eos omnes, qui possunt contrahere, obligari iure naturali ex mutuo, ex priuilegio tamen iuris positiui statim citandi, aliquos eximi ab ea obligatione, nempè, filium familias (sub cuius nomine etiam compræhenditur filia) & Ecclesiam, & ciuitatem, & minores.

Et in primis, filius familias existẽs sub potestate patris (sub nomine autẽ patris etiã compræhendimus auũ, si sit sub eius potestate) quamuis sit maior vigintiquinq; annis eximitur ab obligatione soluendi pecuniã mutuatam, absque cõsensu patris acceptã. Eximitur autem iure Cæsareo leg. 1. & per tot. C. ad Macedonianum: & iure Castellæ, leg. 4. tit. 1. p. 5. Eximitur autem à dicta obligatione non solum filius ipse, sed etiã pater illius & eius fideiussor, si fuit, & non solum eximuntur in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ, vt contra Couar. & Rebell. Turrian. Regin. Filliuc. & Bonac. disp. 3. q. 3. pun. 1. docent Ant. Gomez 2. variarum, cap. 6. Molina disp. 301. Lessius cap. 20. dub. 2. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 15. Innocentius, Panorm. Immol. & alij, quia dictum mutuum absque dicta licentia factum, est irritum. Vndè filius mutuatarius ad nihil tenetur in foro conscientiæ, nisi ratione rei acceptæ, id est, nisi retineat pecuniam sibi mutuatam, aut ea factus sit ditior, quia tunc tenebitur ad restitutionem pecuniæ, vel eius, in quo, ob dictam pecuniam factus est ditior.

Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus filius familias, vel eius pater pro ipso tenetur mutuum soluere. Primò, si habeat bona castrẽsia, vel quasi castrẽsia. Secũdò, si accepit mutuo nõ pecuniã, sed aliã [illegible] nisi hanc accepit in fraudẽ legis, nẽpè, vt ex ea, re confl[illegible]io, si accepit mutuo pecuniã ex iussu, vel cons[illegible]o, si accepit mutuo pecuniã conuersam in vtili-

vtilitatem patris. Quintò, si accepit pecuniam, quam secundum rectam rationem pater erat suppeditaturus, vt si filius absens causa studiorum accepit mutuo pecuniam necessariam ad viuendum, & ad emendos libros sibi necessarios. Sextò, si filius existimabatur publicè sui iuris. Septimò, si iurauit se soluturum mutuum, tenetur saltem post mortem patris, quando commode possit: poterit tamen obtinere relaxationem iuramenti, quia non erit in præiudicium tertij, quia iuratarius non habet ius, vt sibi fiat solutio.

Secundò, Ecclesia (sub cuius nomine etiam comprehenduntur alia pia loca) eximitur ab obligatione soluendi mutuum, si dubitetur, an conuersum fuerit in vtilitatem Ecclesiæ, & creditor non probet conuersum fuisse, vt patet ex iure Cæsareo ex authentica, *hoc ius porrectum*, C. de Sacrosanctis Ecclesijs, & ex iure canonico 10. quæst. 2. & eodem modo eximitur. Tertiò, ciuitas (cuius nomine comprehenditur quodlibet oppidum) vt constat ex l. *ciuitas*, ff. si certũ petatur, non erit autem necessaria dicta probatio creditoris Ecclesiæ, quando Prælatus, cum consensu capituli accepit illud mutuum, & ad eius solutionem sufficiunt bona mobilia Ecclesiæ.

Quartò, eximũtur minores ab obligatione soluendi mutuum acceptum à suis tutoribus, vel curatoribus pro ipsis minoribus, nisi creditor probet conuersum fuisse in vtilitatem minorum, vt patet ex lege tertia, C. quando ex facto tutoris, sed an teneantur in conscientia ad solutionem illius, constat ex dictis disput. 1. diff. 14

De obligatione minorum circa solutionẽ mutui ab ipsis accepti, idem dicendum est, ac de obligatione eorum ex alijs contractibus, de quo generaliter diximus dictis disp. & diff.

Difficult. IIII. Quid & cotuplex sit vsura.

QVAMVIS Nomen vsura ex sua primaria institutione sumatur pro vsu rei, ex translatione tamen accommodatum est à Doctoribus ad significandum lucrum acquisitum ex mutuo tãquam pretium illius, & inde ad significandum etiam ipsum contractum & actionem mutui, ex quo immediatè procedit dictum lucrum, & exinde etiam ad significandam voluntatem sic mutuandi.

Vsura ergo pro actione ipsa mutuandi, & contractu ipso mutui sumpta (quæ dicitur *vsura realis, seu exterior*) definitur, quod sit *mutuatio cum pacto accipiendi aliquid supra sortem pro vsu rei mutuatæ*, & sumpta pro voluntate (quæ dicitur, *vsura mentalis, seu interior*) definitur, *quod sit voluntas accipiendi lucrum supra sortem ex vi mutui*. Sumpta verò pro lucro ipso, definitur quod sit *lucrum immediatè proueniens ex mutuo*: nomine *lucri*, intelligitur acquisitio alicuius rei pretio æstimabilis, & aliàs non debitæ ex iustitia, quia si sit rei non æstimabilis pretio, non erit lucrum, nec si sit rei aliàs debitæ ex iustitia, dicitur autem, *immediatè proueniens ex mutuo*, quia si aliũde proueniat, vt quando mutuans intẽdit lucrum ex amicitia, vel ex gratitudine mutuatarij causanda in ipso ex vi mutui, & quando vendit rem supra iustum pretium, quamuis ibi sit lucrum, non est vsura, quia non prouenit immediatè ex mutuo tamquam pretium illius.

Difficult. V. Quo iure prohibita sit vsura?

DIFFICVLTAS Hæc & sequentes procedũt de vsura sumpta pro actione vsuraria, qua exigitur aliquid vltra sortẽ pro vsu ipso rei mutuatæ tamquam pretium illius.

Circa difficultatem ergo hanc Græci, & Albanenses, & Iudæi sentiunt, vsuram nullo iure esse prohibitã, cui subscripsit Carolus Molinæus tract. de comerc. num. 7. dum approbat vsuras moderatas, nec eas omnino reprobat Abulensis in c. 25. Matth. q. 172.

Conueniunt tamen DD. vsuram esse illicitam, seu prohibitã, ita definitur in Concilio Viennensi sub Clemente V. imo in eo dicitur esse hæreticos, qui docent, vsuram non esse peccatum.

Est autem illicita, seu prohibita in primis iure naturali, seu ex natura rei quod sensit Aristot. 1. Ethycor. cap. 10. & 1. Politicorum, cap. 7. & ratione constat: quia id quod exigitur vltra sortem mutuatam præcisse, quia mutuatam, exigitur contra iustitiã commutatiuam, quia id exigitur absque titulo, quia in primis nõ potest exigi pro sorte ipsa mutuata, quia pro ea soluenda est tanta res, & eiusdem rationis & qualitatis: nec potest exigi pro vsu ipso rei mutuatæ, quia vsus ipse est ipsius mutuatarij, & non mutuantis, quia mutuo transtulit dominium rei, & plenum ius vtendi illa in mutuatarium, deinde id non potest exigi præcisse ob dilationem solutionis, seclusis alijs damnis, quia præcisse ipsa dilatio non est pretio æstimabilis.

Quod

Quod autem id exigatur á mutuatario sciente, & volente id conferre mutuanti, non sufficit, vt id non sit contra iustitiam cõmutatiuam, quia mutuatarius id non confert volens plenè, sed admixtione inuoluntarij, quia ipse nollet conferre, si mutuans vellet absque lucro mutuare, hæc autem voluntas mixta non sufficit, vt sic tantum volenti non fiat iniustitia, quando non est alius titulus, quia quando confertur ex ea voluntate, non confertur liberaliter, seu non donatur: ad iustificationem autem collationis, quæ non est liberalis donatio, necessarius est alius titulus pro quo fiat ea collatio.

Deinde vsura est prohibita iure diuino, nõ solum in veteri testamẽto, Psal. 14. vbi Propheta declarans, quis ingressurus sit sine macula in tabernaculũ Domini, ait: *qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, & Psal. 54. vbi inter alia vitia reputat vsuram illis verbis: *nõ deficiet de plateis eius vsura & dolus*: quamuis in eo Testamento Deuteron. 23. concessum fuerit Iudæis ab infidelibus vsuras exigere, quod Deus concedere potuit, vtpote omnium bonorum suppremus Dominus, sed etiam est prohibita nouo Testamento Lucæ 6. illis verbis Christi, *date mutuum nihil inde sperantes*: quibus consulit dare mutuum, & prohibet pro eo sperare, & exigere lucrum, super quibus verbis legendi sunt Rebell. lib. 8. q. 2. Turrianus disp. 60. dub. 6. & Lessius cap. 20. dub. 4.

Tandẽ vsura est prohibita iure humano canonico, vt cõstat ex dicto Cõcil. Vienen. & ex toto tit. de vsuris in Decretalibus, & in 6. & in Clement. vnica, & eo iure in dicto Cõcil. Vienẽ. reprobatæ sunt leges Cæsareæ olim vsuras aliquas approbantes: imo in dicta Clement. vnica excõmunicãtur iudices, qui ad vsurarum solutionem compellunt, aut impediunt restitutionem iam solutarũ, & ob id hodie in iudicio sæculari conceditur actio ad repetendas vsuras iam solutas, & ita conceditur iure Castellæ, lib. 8. nouæ collect. tit. 6. per tot.

Si ergo vsura est prohibita & peccatum, erit peccatum mortale ex suo obiecto, etiam si ex leuitate materiæ, aut ex defectu plenæ aduertentiæ, possit esse tantum venialis.

Quod si vsura est illicita, & peccatum erit etiam illicitum, & peccatum petere mutuũ expresse sub vsuris, quia id est inducere ad peccatũ vsuræ, & deponẽti pecunias apud vsurarium, qui eas mutuat sub vsuris imputatur peccatum vsuræ ipsius vsurarij, nisi quando adsit timor prudens amittendi grauem partem

pecuniæ, vel alterius grauis damni, si non deponat illas apud eũ vsurarium, quia tunc non imputatur, non tamen est peccatum petere mutuum ab eo, qui creditur exacturus vsuras, nisi aut quando ab alio possit æque facilè obtineri mutuum absque vsuris, aut nisi quando ille, exacturus est illas ex ignorantia peccati vsuræ, aut ex passione, quæ non sunt præsumendæ, sed potius malitia, & ex ea exigere quandiù probabiliter non creditur ex aliqua duarum earum petere: de quibus latius diximus, tract. de charitate disp. 10. diff. 7. & 8.

Difficul. VI. Vtrùm licitum sit ex mutuo sperare lucrum?

NOMINE Spei non intelligimus affectum non efficacem voluntatis, quia hic non tàm sumit malitiam ex obiecto materiali circa quod versatur, quam ex formali, seu ex motiuo, vt diximus tract. de peccatis, disp. 4. dif. 9. sed intelligimus affectũ efficacẽ, quo ex mutuo intendimus lucrũ, qui dicitur vsura mentalis.

Circa quam conueniũt primò DD. non esse illicitum sperare efficaciter, seu intendere lucrum, nec illud reportare mediate ex mutuo, id est, mediante gratitudine, vel amicitia captanda medio mutuo, id est, nõ esse illicitũ medio mutuo procurare gratitudinẽ, vel amicitiam in mutuatario, vt ex ea liberaliter donet aliquid ipsi mutuanti; & sic donatum accipere, quia ex se licitum est intendere lucrum vt sic, & ad hoc eligere, & procurare gratitudinem, vel amicitiam, eius qui donaturus est lucrum, & ad eã captandam eligere illi mutuare, quia in nullo horum trium deformitas, seu malitia aliqua reperitur, ergo licitum est ex mutuo intendere lucrum mediante amicitia, vel gratitudine mutuatarij, quod verum est, vt optimè Lessius dub. 5 & alij, quamuis amicitia, vel gratitudo mutuatarij erga mutuantem tantum eligatur, & procuretur tamquam medium ad dictam donationem liberalem: quia in hoc nec est aliqua iniustitia contra mutuatarium, vt patet, nec aliqua alia malitia, quamuis amicitia sit excellentior lucro, quia in hoc, quod magis principale ordinetur vt medium ad minus principale, nulla reperitur innordinatio, si magis principale sit vtile ad minus principale.

Conueniunt secundò communiter DD. illicitum esse, & vsurariũ sperare efficaciter, seu intẽdere immediatè lucrũ ex mutuo tam-

tamquam pretium mutui quomodocũque lucrum intẽdatur, siue ipsum solum, siue ipsum & simul aliud, & quando lucrum & simul aliud intenduntur, etiam si lucrum minus principaliter intendatur, etiam est illicitum, quia quocumque modo immediatè intendatur lucrum ex mutuo; intenditur tamquam pretium illius, quod est illicitum, & vsurarium, quia dictum lucrum est vsura, vt patet, intentio autem obiecti illiciti, & vsurarij est illicita, & vsuraria mentaliter.

Difficul. VII. Vtrùm licitum sit mutuanti ratione mutui obligare ex iustitia mutuatarium ad aliquid, ad quod ex vi mutui non tenetur.

CONVENIVNT Communiter DD. illicitum esse & vsurarium, ex vi mutui, cum mutuatario pacisci, & eum obligare ad aliquid, ad quod aliàs nõ tenetur ex iustitia, quia eum ad id ex iustitia ratione mutui obligare, est ei vltra sortem onus imponere pretio ab ipso redimibile, & pretio ab imponente ex obiecto æstimabile. Vndè vsurarium est mutuare, obligando ex iustitia ratione mutui tamquam pretium illius ipsum matuatarium, vel vt emat ab illo, vel vt molendino illius molat, vel vt agrum illius iusto pretio colat, vel vt officium aliquod illi conferat, quia omnes dictæ obligationes sunt onera pretio redimibilia, & quasi æstimabilia, & ob eamdem rationem est vsurarium mutuare obligando mutuatarium, vt postea remutuet mutuanti, imò vt remutuet statim: non tamen est vsurarium, vicissim se obligare ad mutuandũ, quia tunc pro mutuo nihil accipitur vltra sortem, quia tunc pro mutuo accipitur sors, & pro obligatione redditur similis obligatio, nec est vsurariũ sibi vicissim mutuare, nec nolle mutuare, v.g. pecuniã nisi mutuatarius remutuet statim aliud, v.g. triticum absque obligatione aliqua præuia, quia tũc nihil accipitur vltra sortẽ. Vndè nõ erit vsura debẽtẽ centũ aureos soluendos post annum, anticipate soluere quinquaginta, vt creditor expectet per bienniũ alios quinquaginta, quia hoc est debitorẽ implicite mutuare creditori quinquaginta, vt creditor ex tũc implicite mutuet anticipate extẽsiuè quoad tẽpus alios quinquaginta, ex tunc con-

concedendo ampliorem terminum solutioni, nec est vsurarium mutuare statuendo mutuatario terminũ pro redditione sortis tẽpus, videlicet, in quo desierit frequentare officinam ipsius mutuantis, non obligando illum ad id ex iustitia.

Addimus, mutuantẽ in dictis casibus, in quibus ratione mutui non potest licitè ex iustitia obligare mutuatarium ad aliquid, vltra sortem pretio redimibile, aut æstimabile, etiam non posse validè obligare, quia absque titulo ad id obligat; sed tantũ obligare in affectu, vt patet, & quasi in effectu, quia mutuatarius manet quasi obligatus, quia vt seruet pactum quòd fecit, & fidem quam dedit, quasi cogitur implere contractum vsurariũ: & nomine obligationis, ex iustitia intelligimus hanc, non veram, & rigorosam. Vndè, mutuans tenetur dictam obligationem relaxare, vt dictum onus auferat, quia in eo imponendo, & conseruando iniuriam infert mutuatario, quia eum quasi cogit ad id quòd nollet, si non cogeretur. Non tamen tenetur ad restitutionem alicuius pro impositione illius oneris, nisi ex eo aliud sequatur damnum, quia illa in se, tantum est quædam nuda iniuria, quamuis pretio redimibilis, non tamen pretio æstimabilis ab imponẽte, quia non est vera obligatio, & nullum ex se relinquens damnum cui satisfieri possit: sicut qui aliquem contra rationem afficit tristitia, etiam si teneatur ad cessandum ab eum afficiendo ea tristitia, ad nullam tamen tenetur restitutionem præcisè pro tristitia illa, nisi sit causa alterius damni, cui satisfieri possit.

Addidimus in nostra conclusione in principio tradita, *esse illicitum & vsurarium, ex vi mutui, pacisci cum mutuatario, & eum obligare ex iustitia ad id ad quod aliàs non tenetur ex iustitia*, quia eum obligare ad supra dicta, & ad quæcumque alia ex sola gratitudine ratione beneficij facti medio mutuo, vel ex sola fidelitate ratione nudæ promissionis, seu oblationis fidei, non dantis ius iustitiæ, non est vsurarium, quia tunc non exigitur aliquid ex iustitia, seu tamquam pretium mutui, in quo solo consistit ratio vsuræ: imò nec obligare ex pacto, & quasi ex iustitia ad id quòd aliàs mutuatarius tenetur ex iustitia, est vsurarium, quia mutuans, tunc nihil accepit tamquam pretium mutui, quia id antea ex iustitia debebatur. Vnde nõ est vsurarium mutuare ad redimendam vexationem iniustam, siue propriam, siue alienam, quia mutuatarius tenetur ex iustitia ad cessandum ab ea.

ea. Est tamen vsurarium obligare, vel quasi obligare ex vi mutui, tamquam pretium illius ad id quod mutuatarius tenetur ex charitate, & ex quacumque alia virtute, & non ex iustitia, quia tunc ex vi mutui tamquam pretium quasi acquirit ius ad aliquid supra sortem, ad quod non habebat ius, & illud efficit quasi suum quod non erat tale, quamuis debitum ex charitate, aut ex alia virtute distincta à iustitia.

Ex dictis constat, quòd qui ratione mutui ex pacto rigoroso, obligauit, vel quasi obligauit ex iustitia mutuatarium, vt conferat ipsi mutuanti aliquod officium, vsuram commisit, & si accepit, tenetur illud resignare, seu relinquere, quamuis sit Ecclesiasticum, & rigorosum Beneficium, quia illud inualidè accepit, & retinet, vt de omnibus rebus vsurarijs, dicemus difficult. 19. quia sine titulo accepit, & retinet, quia nec titulo liberalis donationis, nec alio: imò si officium sit Beneficium Ecclesiasticum; non solum commisit vsuram, sed etiam fuit symonia ab vtroque commissa, quia tunc Beneficium datum fuit, & acceptum tamquam pretium mutui, vel tamquam merx illius, in quo symonia consistit. Qui verò ratione mutui, non quasi obligat ex pacto rigoroso, seu ex iustitia, sed tantum ex pacto latè sumpto, seu ex gratitudine, vel ex pura fidelitate ad officium nullam committit vsuram; & quamuis sit Beneficium, nullam committit symoniam, nec qui illud sic accepit, tenetur ad illius resignationem.

Omittimus plura alia ex dictis deducere, quia facile deduci possunt.

Difficul. VIII. Vtrùm licitum sit mutuanti aliquid supra sortem exigere, ratione damni sibi emergentis, ob mutuum?

DAMNVM Emergens dicitur, damnum quod quis patitur in suis rebus, vel in rebus sibi debitis, quia mutuauit; vt contingit quando quis minoris vendit, v.g. domum, quia mutuat suam pecuniam.

Conueniunt ergo communiter DD. contra Sotum in 4. distinctione 15. quæst. 2. mutuantem posse licitè in principio contractus pacisci cum mutuatario, & ab eo exigere, quod vltra sortē satis-

satisfaciat damno ipsi mutuanti emergenti ob mutuum, quia pecunia, v. g. quæ mutuanti necessaria est ad impediendum damnum aliquod, non solum illi valet quanti ipsa secundum se considerata valet, sed etiam quanti valet carere eo damno ad quod impediẽdum est necessaria, ergo licitum est totum illud ex pacto exigere à mutuatario, quia in eius gratiam se exponit ei damno, & ratio ipsa non exigit, quod quis reportet damnum, ex beneficio quòd cedit in gratiam alterius: ita Lessius cap. 20. dub. 10. & Bonac. quæst. 3. punct. 4.

Vt tamen mutuans id possit exigere, requiritur primò, quòd ipsum mutuare sit causa illius damni, vt contingit quando ob mutuum factum nequit, mutuans damnum illud impedire, & impediret, si non mutuaret.

Secundò requiritur, quòd tempore contractus mutui, id deducatur in pactum, quia eo pacto secluso, mutuatarius, nullo titulo tenebitur ad satisfactionem damni, quia non tenebitur ratione iniustæ acceptionis, vel damnificationis: quia non accepit iniustè rem mutuatam, nec in alio damnificauit iniustè mutuantem, nec ratione rei acceptæ, seu habitæ: quia quamuis mutuans, priuetur dicta vtilitate, & valore ad impediendum propriũ damnum, nihilominus mutuatarius nihil accipit, nec habet à mutuante nisi sortem ipsam, seu rem mutuatam secundum se, nudè consideratam, & non illam vtilitatem, & valorem, quo priuatur mutuans. Et quamuis mutuatario aliquando ratione alicuius circunstantiæ ad ipsum attinentis, etiam valeat ad impediendum damnum aliquod proprium, valor tamen hic, seu vtilitas, non est rei, vt est, vel erat mutuantis, sed est rei vt facta est mutuatarij, vt ergo mutuans ratione damni sibi emergentis ex mutuo, possit aliquid supra sortem exigere, requiritur pactum cum mutuatario, quia absque eo pacto non erit titulus aliquis ad illud exigẽdum. Dictum autem pactum est licitum mutuanti, quia quamuis satisfactio dicti damni, non sit ex se debita mutuanti, quia damnum ipsum non ei infertur iniustè, est tamen maximè conformis rationi, & ideo capax, vt possit cadere sub pactum, non tamen tanquã propriè pretium rei mutuatę, nec dicti damni, sed tanquam compensatio damni assumpti in gratiam mutuatarij, quia æquum est, & rationi conforme, quòd mutuanti qui exponitur damno in gratiam mutuatarij, mutuatarius ei satisfaciat pro damno in gratiam ipsius admisso.

Tener-

Tenebitur autem mutuatarius absque pacto aliquo, ad satisfactionem damni, quando sit causa libera iniusta illius, quia tunc tenebitur ratione iniustæ damnificationis quæ absque pacto, sufficit ad eam obligationem, erit autem causa iniusta illius. In primis, quãdo coactione aliqua, aut deceptione extorquet mutuum, aduertens damnum euenturum mutuanti, quia mutuat. Et secundò, erit causa iniusta illius damni, quando mutuante non aduertente, damnum aduertit mutuatarius, & eum non admonet de eo damno, quia tunc quasi decipit mutuantem. Tertiò, erit causa iniusta illius, quando est in mora solutionis mutui, & ob id mutuans patitur aliquod damnum. Addidimus in principio, *quãdo sit causa libera*, quia qui nõ est causa libera, seu culpabilis damni, non tenetur ad satisfactionem illius, vt generaliter diximus tract. de iustit. disp. 4. diffic. 1.

Ita tamen, quando nulla adest iniusta damnificatio, requiritur pactum tempore contractus, vt mutuans possit vltra sortem aliquid pro damno sibi emergente exigere, vt non sufficiat pactũ exigendi, v. g. decem vltra sortem quamuis mutuans sciat sibi emergendum damnum vt decem, si mutuatarius non admoneatur pactum eorum decem fieri pro damno, sed existimet fieri pro mutuo ipso, quamuis etiam admissurus esset illud pactum eorum decem pro damno, si sibi proponeretur (quidquid dicant Lessius. num. 47. & Bonacin. n. 7.) quia mutuatarius tunc non tenetur ratione iniustæ damnificationis, quia ei non fuit libera, vtpote ignorata; nec ratione rei acceptæ, vt patet: nec ratione pacti, seu contractus, quia pactum ex parte mutuatarij non fuit eorum decem pro damno, sed pro mutuo, pro quo non possunt accipi. Vndè, tunc re ipsa fiet mutuatario iniustitia à mutuante, si accipiat ea decem sicut ei fieret, si ea acciperet, nullo facto pacto; quod etiam efficeret si ei proponeretur.

Sicut autem mutuans, potest ex pacto inito pro damno sibi emergente, si aliquod emergat exigere licitè vltra sortem satisfactionem pro damno, ita etiam potest pro timore, aut periculo damni, iuxta proportionem periculi, & timoris: minus tamen, quam pro damno ipso quod timetur, (nisi quando damnum certo timetur) quia timor, seu periculũ damni non est tantũ malum, quantum est ipsum damnũ, (nisi quando certò timetur) nihilominus si mutuatarius offerat satisfactionem damni, quod emerserit, nequit loco satisfactionis pro damno cogi ad aliquid pro pericu

riculo, quia determinatè, tantum potest cogi ad satisfactionem damni quod emerserit, si aliquod emergat, quia eo solo relinquit mutuantem indemnem, ad quod solum potest cogi: si tamen mutuatarius absque coactione vellit, poterit fieri pactum, pro periculo damni loco pacti pro damno ipso.

Difficul. IX. Vtrùm licitum sit mutuanti aliquid supra sortem exigere ratione lucri sibi cessantis?

LVCRVM Cessans, dicitur illud lucrum non debitum, quod quis erat percepturus, & non percepit, quia mutuauit; vt contingit quando quis mutuat pecuniam, qua erat negotiaturus, & aliquid lucraturus.

Supponimus, eum qui fraude, vel coactione aliqua facta à mutuatario, aduertente cessationem aliquam lucri mutuanti futuram, quia mutuans compulsus est mutuare, & ob mutuum factum ei cessat lucrum, posse illud à mutuatario exigere, etiam secluso omni pacto, in quo Doctores conueniunt, quia tunc mutuatarius est causa iniusta, & libera illius damni, seu cessationis lucri: ergo ab eo potest exigi ratione iniustæ damnificationis, ac proinde, quamuis nullum præcedat pactum cum eo. Et idem est ob eandē rationem, quando mutuanti cessat aliquod lucrum, id timēte mutuatario, ex eo quòd præfixo termino non soluit, nulla causa eum excusante: & idem est, quando alia aliqua actione, vel omissione iniusta, est causa iniusta, & libera cessationis lucri mutuanti, ea proportione qua diximus circa damnum emergens mutuanti, ob iniustitiam aliquam mutuatarij.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an seclusa omni alia iniustitia ex parte mutuatarij erga mutuantem, licitum sit mutuanti pacisci cum mutuatario de lucro cessante, & illud ab eo exigere vltra sortem.

Durand. in 3. dis. 17. q. 2. Sotus 6. iustitia, q. 1. art. 3. Ioann. Andreas, & Innoc. quartus *in cap. nauiganti*, de vsuris, & alij Canonistæ in cap. *salubriter*, de vsuris, docent, id esse illicitum, seu peccatum contra iustitiam commutatiuā, (& id insinuat Sanctus Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.) quia mutuum debet fieri gratis, ergo nihil exigi potest ex pacto pro illo.

Moli-

Molina verò disp. 315. Couar. 3. variar. cap. 4. Lessius cap. 20. dub. 11. Turrian. disp. 61. dub 3. Bonac. disp. 3. q. 3. punct. 4. & communiter DD. docent, id non esse illicitũ: & meritò, quia pecunia, v.g. quæ mutuanti est necessaria ad lucrum, non solum ei valet quanti ipsa secundum se nude considerata valet, sed etiam quanti valet lucrum illud, ad quod acquirendum est necessaria: ergo totum illud potest ex pacto exigi à mutuatario, in cuius gratiam fit mutuum, quia æquitas non postulat, quod quis amittat lucrum, absque compensatione ob beneficiũ quòd ex obiecto cedit in gratiam alterius, vt cedit mutuũ in gratiam mutuatarij.

Vt tamen mutuans id possit ex pacto exigere, requiritur primò, quòd ipsum mutuum sit causa cessationis lucri, vt contingit, quando ob mutuum pecuniæ desistit mutuans à negotiando, & lucrando, nisi quando, quia desistit à negotiando, alia via compensat lucrum, quia tunc mutuum non est causa cessationis lucri; & ideo tunc non poterit, ex pacto exigere lucrum ex negotiatione, cessans: poterit tamen exigere aliquid supra sortem, si hæc noua via lucrandi sit molestior, quàm negotiatio cessans, ex cuius cessatione cessat illud lucrum, & debebit detrahere aliquid, si sit suauior, & hanc maiorem suauitatem optaret.

Secundò requiritur, quòd tempore mutui fiat dictum pactum, quia eo pacto omisso, nullo titulo poterit mutuans id exigere, quia eo pacto omisso, id non poterit exigere ex pacto, quia vt supponimus, non sit pactum de compensatione lucri cessantis; nec ratione iniustæ damnificationis, seu acceptionis, quia supponimus mutuatarium, nullam in eo iniuriam irrogare mutuanti, nec ratione rei acceptæ, seu habitæ, quia mutuatarius vltra sortem, nihil habet mutuantis, vt diximus difficultat. præcedente.

Quod autem mutuans mutuet rogatus, vel requisitus à mutuatario, non requiritur, vt possit ab eo ex pacto exigere aliquid supra sortem, ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, vt contra Couar. q. 20. & contra alios aduertunt Lessius num. 101. Filliuc. tract. 34. 2. p. cap 4. & Barthol. à S. Fausto, disput. 16. q. 76. quia vt mutuatarius obligetur ex pacto ad compensationem dicti damni, & dictæ cessationis lucri ex mutuo, sufficit quòd mutuum cedat in fauorem, seu gratiam illius, vt verè ex suo obiecto

cedit,

cedit, quamuis mutuans se offerat, imò & roget mutuatarium, quia conforme est rationi, quod ille in cuius fauorem cedit, aut fit contractus, ex pacto obligetur ad satisfactionem damni emergentis, & lucri cessantis alteri contrahenti, siue contractus ex suo obiecto cedat in fauorem illius, vt cedit mutuum in fauorem mutuatarij, siue tantum cedat, quia id peculiariter desiderat.

Sicut autem mutuans potest ex pacto inito pro cessatione lucri cessantis, si aliquid cesset, satisfactionem exigere, ita etiã potest pro spe lucri futuri, quæ non valet tanti quanti lucrum ipsum speratum (nisi quando certo speratur futurũ) sed minoris iuxta maiorem vel minorem probabilitatem futuritionis lucri, nihilominus si mutuatarius offerat satisfactionem lucri cessantis, si aliquod cessauerit, nequid cogi ad aliquid pro spe, ea proportione qua diff. præcedente in fine id diximus, de satisfactione pro damno emergente, si aliquod emergat, & de satisfactione pro periculo damni. A satisfactione tamen lucri cessantis, non solum deducendæ sunt expensæ, quas mutuans fecisset ad acquirendum lucrũ cessans, sed etiam id, quo mutuans vellet redimere laborem exhibendum, & molestias perferendas in acquirendo lucrum illud, si optaret ea redimere, secus si non optaret.

Obseruandum tamen est, lucrum cessans non posse statim facto mutuo, adhuc ex pacto exigi ex ipsa re mutuata, nec ex simili, v.g. mutuantem centum aureos, qui ratione lucri cessantis poterat exigere decem, non posse statim dato mutuo, illos exigere, vt contra Palac. & contra alios docent Molina, disp. 316. Less. num. 99. Bonac. & communiter DD. quia tunc moraliter non cẽsentur mutuari nisi nonaginta, ob mutuum autem nonaginta non cessat lucrũ decem, vt supponimus, quia si etiam ob mutuũ nonaginta cessaret illud lucrum decem aureorum, posset mutuãs etiam ex centum illis exigere statim decem, quamuis non censerentur mutuati nisi nonaginta. Addidimus non posse exigi ex ipsa re mutuata, nec ex simili, quia ex alia re secundum speciem distincta potest statim exigere valorem eorum decem, nempè, ex oleo, aut ex vino, aut ex auibus, vt aduertunt Molina, & Azor 3. part. lib. 5. cap. 5. quia ex vna parte tunc etiam moraliter censentur mutuati centum aurei, & ex alia parte ex tunc mutuans priuatur iure ad lucrum cessans, ac proinde pro eo iure potest tunc ex alijs rebus satisfactionem exigere.

Ad rationem ergo aduersariorũ concedimus mutuũ deberi

fieri

fieri gratis in eo tantum sensu, vt pro eo præcisse nihil possit, adhuc ex pacto exigi, non tamen in eo sensu, nẽpè, quod nec ratione damni emergentis, nec ratione lucri cessantis possit aliquid ex pacto exigi.

S. T. verò vbi sup. tantum voluit non posse pro cessatione lucri valde contingentis exigi tantum lucrum, quantum est possibile, quod non tollit pro spe lucri posse ex pacto exigi aliquid iuxta contingentiam lucri.

Difficul. X. Vtrùm licitum sit mutuanti aliquid supra sortem exigere ratione periculi non recuperãdi illam, vel non nisi cum molestijs, vel cum expensis?

NAVAR. Cap. 23. n. 81. Sot. 6. de iust. q. 4. art. 1. Conrr. de contractib. q. 59. Ioann. de la Cruz in direct. consc. p. 1. præcep. 7. q. 5. dub. 6. & Reginal. lib. 25. n. 246. docent, id non esse licitum, quod definitũ videtur in c. *in ciuitate*, & in c. *nauigãti*, de vsuris, & ratione probatur, quia mutuatarius plene satisfacit mutuãti quoad sortẽ, & quoad periculũ, si integre soluat sortẽ, ergo vltra eam non potest ab ipso aliquid exigi, adhuc ex pacto.

Mol. verò disp. 318. Medin. C. de restit. q. 38. Les. dub. 13. Turrian. disp. 61. dub. 3. & Bonac. disp. 3. q. 3. pun. 5. docent, id esse licitum, & meritò, quia dictũ periculum, quando adest, est pretio redimibile, quia mutuãs prudẽter procedens, posset tunc aliquid dare pro assecuratione capitalis, & carẽtiæ molestiarum; & expẽsarum: ergo totum id poterit supra sortẽ exigere à mutuatario. Nihilominus iuxta ea quæ difficultatibus præcedẽtibus diximus circa dãnum emergens, & lucrum cessans, vt mutuãs id possit licitè exigere: requiritur primò, quod sit verum periculum. Secundò, quòd quãdo fit mutuum, fiat pactum de eo supra sortem. Tertiò, quod mutuatarius nõ cogatur ad tale pactũ, si ille aliter velit prospicere indemnitati mutuantis dãdo, videlicet ei pignus, vel fide iussorem fidelem, vel aliter, & id tãtũ definitur in dicto c. *nauigãti*, in c. verò *in ciuitate*, solũ definitur non esse licitum pluris vendere merces præcisse ob dilatam solutionem.

Ad rationẽ cõcedimus mutuatariũ, etiã si adsit periculũ, plenè satisfacere mutuãti solutione solius sortis, efficere tamẽ iniuriã inchoatã, & quasi in via ipsi mutuãti ignoranti dictum periculũ, si

non assecuret solutionem ei faciendam absque molestijs, & ex ps sis mutuantis, cui vtpote inchoatæ, & non perfe[illegible]æ, non tenetur postea ei satisfacere, vt tamen ab ea iniuria, & peccato excusetur, tenetur solutionem quoad substantiam, & quoad molestias, & expensas assecurare, vel aliquid pro periculo tempore mutui conferre, vel postea soluendum in pactum deducere.

Difficul. XI. Vtrùm sit licitum, aliquid exigere supra sortem ratione carentiæ pecuniæ, seu obligationis non repetendi pecuniam ante tempus præscriptum?

DIFFICVLTAS Hæc procedit de sola, seu mera carentia pecuniæ, seu obligatione non repetendi ante certum tēpus præfixum, secluso alio quocumque incōmodo & damno, an scilicet, præcisse ratione dictæ carentiæ, seu obligationis posit aliquid exigi supra sortem?

Medina de restit. q. 32. docet, id esse licitum (quod alij existimant esse methaphysice probabile.) Primò, quia obligatio non repetendi rem mutuatā est onus quoddam non minus quam obligatio mutuandi, sed pro hac licitum est aliquid exigere supra sortē, ergo etiam pro ea priori. Secundò, quia carentia pecuniæ est causa priuationis, qua quis delectatur pecuniā posſidendo: ergo ratione huius priuationis delectationis, seu dāni potest aliquid supra sortem exigere: opinionē hāc approbant Ledesm. in sum. p. 2. tract. 8. c. 55. & Diana p. 1. tract. 8. de cōtract. resol. 48. quādo mutuatarius obligatur ad non repetēdum intra multū tēpus, vt intra duos annos.

Molin. verò disp. 308. Turrian. disp. 61. dub. 3. Les. dub. 14. Bonac. punct. 6. & communiter DD. docent, id esse illicitum contra iustitiam, & meritò, quia ea mera carentia pecuniæ, seu mera obligatio non repetendi est intrinseca ipsi mutuo (vt distincto à præcario) quod debet gratis fieri, quia ei sufficienter satisfit solutione sortis, ergo pro ea carētia, seu obligatione nihil potest exigi supra sortē, sicut nec pro mutuo, quāuis dicta obligatio sit ad non repetendum intra multum tempus, quia obligatio non repetendi intra aliquod tempus ex cōuentione assignatum, siue multum, siue parum est de intrinseca ratione mutui, aliàs pro obligatione non repetendi intra vnam horam, posset aliquid vltra sortem

accipi,

accipi, quia ad intrinsecam rationem mutui sufficit obligari ad non repetendum intra dimidiam horam. Addimus tamen, quod possit exigi aliquid supra sortem ratione carentiæ rei mutuatæ, quando mutuans habet peculiarem affectionem ad rem, quã mutuat, vt si mutuet aureos à Rege sibi in signum beneuolentiæ datos, sicut ratione peculiaris affectionis ad rem potest res pluris vendi, vt diximus disp. 2. diff. 5.

Ad priorem ergo rationem aduersariorũ concedimus pro obligatione mutuandi, posse aliquid supra sortem exigi, quia est onus distinctum à mutuo, & æstimabile pretiò, carentia verò pecuniæ ad tempus, seu obligatio non repetendi illam ante tempus conditum, non est onus distinctum ab ipso mutuo, quia est ipsi intrinsecum, & ideo pro ea obligatione nihil potest exigi vltra sortem.

Et ad posteriorem rationem respondemus, priuationi delectationis prouenienti ex carẽtia pecuniæ æquari delectationem prouenientem ex acquisitione iuris, quod mutuans acquirit ad solutionem sortis, & spẽ solutionis securæ postea faciẽdæ, ac proinde eã priuationẽ nõ esse æstimabilẽ pretio aliquo superaddito sorti.

Diffi. XII. Vtrùm licitum sit pacisci, vt mutuatarius soluat pœnam ex conuentione adiectam, si non soluat tempore præfixo, secluso alio quocumque incommodo?

SOTVS In 4. dis. 15 q. 2. art. 2. & Aragon 2 2. q. 78. art. 1. docent, id non esse licitum, quia nemo potest alteri pœnam imponere, quam subire teneatur, nisi superior.

Molin. verò disp. 317. Turrian. dub. 3. Les. dub. 15. Bona. pũ. 7. & communiter DD. docent, id esse licitum, & meritò, quia mutuatarius non soluens culpabiliter tempore præfixo, peccat contra iustitiam, & fit dignus pœna, ergo tenetur eam soluere, non solum quando imponitur à superiori, qui potest ad eam etiam inuitum obligare, sed etiam quando imponitur ex pacto inter priuatos, paciscente, & consentiente eo cui imponitur, sicut ex pacto potest ad alia obligari.

Ex quo ad rationẽ aduersariorũ respõdemus, quòd quãuis solus superior possit inuitũ obligare ad pœnã, cõsentiẽtẽ, verò potest priuatus ex pacto obligare, in quo casu vterq; cõcurrit medio

pacto ad eam obligationem inducendam, sicut contingit in alijs contractibus mutuis de futuro.

Vndè quando mutuans accipit pignus pro mutuo, eo pacto vt si mutuatarius nō soluat intra terminū præfixū, fiat ipsius mutuantis, tale pactum est licitum, si fiat in pœnā, & seruatis requisitis ad pœnam.

Vt autem pœna hæc conuentionalis licitè imponatur, & exigatur, requiritur. Primò, quod sit proportianata culpæ, idest, quod pro omissione solutionis parui mutui non imponatur, nec exigatur grauis pœna, & quod si mutuatarius soluat partem mutui, nō exigatur ab eo tota pœna. Secunò, vt licitè exigatur, requiritur, quòd mutuatarius sit in culpa nō soluēdo, quia pœna nō infligitur nisi ob verā culpā, ac proinde ab eo, qui inculpabiliter factus est impotens ad soluendum, non potest licitè exigi, nec ab eo, cui à mutuante concessa est prorogatio termini, & ante hunc terminum finitum soluit, quia qui absque his duobus requisitis exigit pœnā conuentionalem, potius eam exigit, vt lucrum mutui, in quo est vsura palliata, quam vt pœnam.

Addimus primò, quod mutuatarius, eo ipso, quod termino trāsacto non soluat, fit dignus pœna, non tota, nisi dilatio solutionis sit notabilis ad arbitrium viri prudentis, sed tantum parte pœnæ maiori, vel minori pro maioritate, vel minoritate dilationis, quia pro leui dilatione non fit dignus tota pœna, sed tantum pro graui, quamuis pœna imposita sit leuis.

Addimus secundò, eam pœnam soluendam esse, quamuis non petatur, dum ex circunstantijs non credatur prudenter mutuantem illam remittere, vt potest credi, quando facile potest petere, & non petit.

Addimus tertiò, vt optimè Couar. in epitome, p. 2. c. 6. §. 8. n. 11. Turrian Filliuc. Bonac. & alij contra Sanciū primo, de matrim. disp. 37. & contra plures alios, hanc pœnam conuentionalē deberi solui ante iudicis sententiam, quamuis pœna iudicialis regulariter non debeat ante sententiam iudicis solui, quia pœna illa debita est ex conuentione & pacto, quæ autem sic sunt debita soluenda sunt ante iudicis sententiam, & absque dubio ea est intentio contrahentium, præsertim illius, in cuius fauorem imponitur, cui alter dum syncere procedit, & absque deceptione conformari debet.

Disp.

Difficul. XIII. Vtrùm mutuans poſsit vltra ſortem ſibi ſine vſura retinere fructus pignoris pro mutuo accepti?

DIFFICVLTAS Eſt, an mutuans id licitè poſsit ex vi ſolius pacti, quo accepit pignus pro mutuo, ſecluſis alijs titulis, nēpè, damni emergentis, & lucri ceſſantis, & periculi ſortis, & moleſtiarum, & expenſarum, & pœnæ conuentionalis.

Circa quam conueniunt DD. quòd ſi pignus tantū ſit datum ad ſecuritatem ſortis mutuatæ, non poſsit mutuans fructus pignoris ſibi retinere, ſed tenetur eos reddere mutuatario, deductis expenſis, vel eos in ſortem computare. Ita ſtatuitur in capit. 1. & 2. de vſuris, & meritò, quia fructus illi verè pertinent ad mutuatarium, quia pignus eſt illius, & non mutuantis, nec ei eſt debitum ex iuſtitia, ergo mutuans eos fructus ſibi retinens acciperet aliquid à mutuatario vltra ſortem abſque titulo aliquo, quod eſt cōtra iuſtitiam commutatiuam, & idem ob eamdem rationem docent Doctores de creditore ſic accipiente pignus à debitore pro debito.

Addimus, *ſi pignus tantum ſit datum ad ſecuritatem*, quia etiā ſi ſit datum, vt creditor eo fruatur interim dum debitum ei non ſoluitur, quo modo mutuans poteſt illud accipere ratione lucri ceſſantis, aut ratione alius tituli, & quomodo gener dum aliud nō conſtat accipit à ſocro pignus pro dote, tunc creditor, v. g. gener poteſt ſibi fructus pignoris retinere, eos non computando in debitum, v. g. in dotem, vt contra nonnullos docent communiter DD. & ſupponi videtur in cap. *ſalubriter*, de vſuris, quia dū aliud non cōſtat, ſic datur liberaliter à ſocero, vt gener interim eo fruatur loco dotis ad ſuſtentanda onera matrimonij, ſeu ad ſuſtentationem vxoris. Vndè, etiam mortuo genero, vidua ipſius poteſt frui loco dotis nondum ſibi traditæ eos non computando in dotem, ſicut poterat eius maritus, & in eo etiam tenentur conſentire hæredes ſoceri defuncti, ſi pignus potuit ſic ab ipſo conferri. ul

Nihilominus, proprietarius, ſeu dominus directus poteſt ſibi retinere fructus fundi ſibi dati in pignus à fœudatario, & fruct[illegible] rei emphyteuticæ ſibi in pignus datæ ab emphyteuta, quib[illegible]us [illegible]dam interuenientibus conditionibus, eos non computādo in c[illegible]apitale,

or[illegible]

quia contractus feudi, & emphyteusis fiunt sub ea conditione, de quo dicemus, disp. 6. à dif. 11. & legi possunt Mol. disp. 323. Less. lib. 2. c. 20. dub 16. & Bonac. disp. 3. quæst. 3. punct. 9.

Et Princeps, qui ab alio Principe accepit ciuitatem in pignus mutui, potest etiam frui redditibus ciuitatis vltra sortem, vt contra Caietanum docent Mercado opusculo de vsuris, cap. 7. in fine, & Turrian. disput. 61. dub. 6. quia redditus, seu vectigalia ciuitatis dantur Principi, quia curam illius habet, ergo cum Princeps, cui data est in pignus habeat curam illius, ad ipsum pertinent tamquam fructus purè industriales, ac proinde eos non recipit ob mutuum, sed ob suam curam, in quo nulla fit iniuria Principi domino ciuitatis.

Difficul. XIIII. Vtrùm mutuans possit absque vsura obligare mutuatarium ad soluendam sortē in eadem mensura, vel pondere, vel numero, quando tempore solutionis pretium illius futurum est maius?

VERBI Gratia valētē si quis mutuet vnū modiū tritici decem argenteis tempore mutui, possit obligare mutuatarium ad solutionem sortis valituræ viginti tempore solutionis?

Supponimus, quòd quando est æquale dubium, an res mutuata sit pluris, an minoris valitura tempore solutionis, possit mutuator obligare mutuatarium ad solutionem rei in eadem mensura, quia mutuans non accipit determinatè lucrum ex mutuo, quia tunc vterque est æqualiter expositus lucro, & perditioni, non tamen est obligandus determinatè ad id, si manere vellit expositus euentui fortuito.

Hoc ergo supposito, difficultas procedit, quando est certum, vel multò probabilius rem pluris valituram tempore præfixo ad solutionem, an tunc mutuans possit obligare mutuatarium ad solutionem sortis in eadem mensura.

Sotus 6. de iust. q. 1. art. 3. Panorm. in c. in *ciuitate*, n. 2. & Turrecrem. in c. *si quis Clericus* 14. q. 4. docent, id posse fieri absque vsura, quia in mutuo non spectatur proportio, seu æqualitas pretiorum, quæ verè spectatur in emptione & venditione, sed æqualitas

litas corporum in specie, & in qualitate, & in quantitate: ergo pro vno modio rei mutuatæ debetur alter modius rei similis quã nis pluris valiturus, & pro vna libra altera libra, ergo nõ exigitur vltra sortem quamuis pluris valeat tempore solutionis, quam valet tempore mutui.

Scotus verò, in 4. dis. 15. q. 2. art. 2. Mol. disp. 311. Less. dub. 17. Bonac. q. 3. pun. 3. & cõmuniter DD. docent, id non posse fieri absq; vsura, & iniustitia, & meritò, quia tunc mutuans pro mutuo obligat ad illud lucrũ, nempè, ad excessum pretij, & valoris, quo res, quæ redditur pro solutione excedit rem mutuatã. Excusabitur tamen ab vsura, & iniustitia, si mutuans aliàs erat rẽ illam seruaturus vsq; ad tempus solutionis, ratione lucri sibi cessantis ob mutuum, seruatis tamen conditionibus ad id requisitis.

In casu ergo nostræ difficultatis, mutuans tantũ potest obligare mutuátariũ, vel ad minorẽ mensurã in valore æquiualentẽ maiori à se illi mutuatæ, vel ad receptionẽ excessus pretij (pro optione mutuatarij) quo mutuans seruabit æqualitatẽ quoad pretiũ, & valorẽ, & tunc non solũ erit cõtractus mutui, cũ interueniat solutio sortis, siue totius, siue partis, sed etiam erit cõtrãctus emptionis, & venditionis: vel quasi expressæ, quando mutuãs pretio supplet defectũ pretij sortis à se mutuatæ, vel virtualis, quando contẽtus est minori mẽsura, quia tunc virtualiter pretio sortis mutuatæ emit minorẽ mensuram rei similis datæ in solutionem mutui.

Vndè quamuis in mutuo, vt sit mutuũ non spectetur æqualitas rerũ quoad pretiũ, sed quoad speciẽ, qualitatẽ, & quãtitatẽ, in eo tamẽ vt sit iustum, spectanda est æqualitas rerũ quoad pretium.

Et eadem proportione mutuãs rẽ postea tẽpore solutionis minoris valiturã potest obligare mutuatariũ, vel ad vt sibi soluat rẽ in maiori mẽsura in valore æquiualẽtẽ minori mensuræ mutuatæ, vel vt pretio suppleat minorem valorem rei soluendæ prout mutuatarius eligerit, quod est verum, etiam si aliàs mutuãs esset seruaturus rem, quam mutuauit.

In vtroq; tamẽ casu dicto, nẽpè, & quando res mutuata tẽpore solutionis est pluris valitura, & quãdo est minoris valitura, si non sit factũ aliquod pactũ circa augmẽtũ, vel decrementũ valoris rei mutuatæ, non est alia obligatio quam mutuandi rem similem soluendæ in specie, & in qualitate, & in quantitate, & soluendi rem eodem modo similem mutuatæ, quia vsu receptum est: vt in mutuo quando aliud non exprimitur, solum spectetur æqualitas

quoad speciem qualitatem,& quantitatem rerum, & non quoad pretium,& valorem earum,quia quoad pretium fit condonatio, vel à mutuante,si res tempore solutionis sit minoris valitura, vel à mutuatario si sit pluris valitura.

Difficul. XV. Vtrùm chirographa, seu credita in posterum soluenda possint absque vsura minoris emi anticipato pretio?

SVPPONIMVS Iura,seu chirographa,seu credita immatura, id est,in posterum soluenda,si periculosa sint, id est, si solutio eorum sit ambigua,vel obtinenda cum molestijs,vel alio incommodo posse minoris emi iuxta maiorem, vel minoré ambiguitatem, aut difficultatem obtinendi solutionem,vt patet.

Est tamen difficultas,an dicta iura secundum se,seclusis ambiguitate,& alijs incommodis,& titulis,possint sine vsura minoris emi anticipato pretio.

Panormitanus & Innocent.in capit. *in ciuitate*, de vsuris, Caietanus & Armilla,verbo vsura,Nauarr.capit. 17.num. 231. docent,dicta iura secundum se posse minoris emi,v.g. ius ad decem possè emi pretio vt octo,& non solum à tertia persona, sed etiam ab ipso debitore cõtra quem est ius,quia pecunia præsens magis æstimatur,quam futura,quia melius est habere rem,quam actionem,seu ius ad illam:ergo iura ad pecuniam futuram possunt emi minoris.anticipata,seu præsenti pecunia.

Sotus verò 6. de iustitia,quæst. 2. art. 1. Molina disput. 361. Lessius cap. 21.dub.8. Toletus lib. 5.cap. 31. & Bonacina disput. 3. quæst. 3. punct. 10. docent,dicta iura non posse absque vsura minoris emi anticipato pretio,& meritò,quia pecunia præsẽs non pluris valet,quam futura, quia pecuniæ præsenti valoris vt decem,postea satisfit pecunia futura simili,vno enim nummo aureo præsenti postea satisfit,altero nummo aureo, ergo ius ad futuram pecuniam non valet minoris, quam pecunia præsens, patet consequentia,quia ius ad pecuniam futuram non minus valet, quam ipsa pecunia futura,quia iuri ad pecuniam valoris, vt decem non satisfit nisi pecunia eiusdem valoris vt decem: ergo si pecunia futura non minoris valet quam præsens, nec ius ad pecuniam futuram, seu postea soluendam minoris,valebit quam

pecunia

pecunia præsens, ergo iura ad pecuniam postea soluendam, si secundum se considerentur, non possunt absque vsura, & iniustitia minoris emi anticipato pretio, quia tunc ob mutuum virtuale pecuniæ anticipatæ accipitur lucrum, nempè, excessus pecuniæ postea soluendæ supra pecuniam præsentem, qua ius illud emitur.

Ex quo constat antecedens rationis aduersariorum esse falsum, nempè, pecuniam præsentem secundum se magis æstimari quam futuram, & melius esse habere rem, quam ius ad illam. Addimus *secundum se*, quia quando adest periculum recuperãdi rem, aut non recuperãdi nisi cum molestia, aut cum alio incommodo, vt aliquando adest, tunc magis æstimatur res, quam ius ad illam, & tunc ius ad illam potest minoris emi, quam valeat res, & etiam minoris redimi à debitore, dum hic non sit causa culpabilis dicti periculi.

Difficul. XVI. Vtrùm emptio & venditio cum pacto de retrouendendo, aut de retroemendo sit vsuraria?

EMPTIO Fit cũ pacto retrouendendi, quando emptioni in fauorem emptoris apponitur pactum, quod emptor posſit, si vellit reuendere suo venditori rem, quam ipse emit ab illo, & venditio fit cum pacto retroemendi, seu redimendi, quando venditioni in fauorem venditoris apponitur pactũ, quod venditor possit, si vellit, a suo emptore emere, seu redimere rem, quam ipse vẽdidit illi, & emptio, & venditio fit cum pacto retrouendendi, & retroemendi in fauorem vtriusque, quando contractui emptionis & venditionis apponitur pactum in fauorẽ vtriusque, quod emptor posſit si vellit reuendere suo venditori rem, quã ab ipso emit, & quod venditor, si vellit, posſit emere à suo emptore rem, quam illi vendidit.

Conueniunt ergo DD. cõtractũ emptionis, & venditionis, quãuis factũ cũ pactis reuẽditionis & redẽptionis, nõ esse vsurarium, sed posse licitè fieri, & in primis nõ esse vsurariũ probatur, quia in eo cõtractu nõ interuenit mutuũ, sed tantũ vera emptio, & vẽditio, quia tantũ interueniunt merx & pretiũ. Deinde posse absq; omni alia malitia fieri probatur, quia ex vna parte nõ est l. aliqua prohibitus, imò l. Castellæ 42. tit. 5. p. 5. approbatur, imò approbatione census redimibilis approbatus cẽsetur, & ex altera parte

obligatio, qua emptor obligatur ad reuendendum, & venditor ad redimendũ, potest iusto aliquo pretio cõpensari, ita vt quãdo venditor ex vi dicti pacti appositi in fauorẽ emptoris, obligatur ad redimendam rẽ, quando emptor vellit, possit res pluris vendi, quã secundũ se valeat, tertia, videlicet, parte plus, minusvè ad arbitriũ prudentis, quia onus illud venditori appositum in fauorẽ emptoris, est aliquo pretio æstimabile supra valorẽ rei secundũ se, quod compensandum est additione pretij. Et quando ècontra emptor ex vi dicti pacti appositi, obligatur ad reuendendum rẽ, quando venditor vellit, possit ea res minoris emi, quã secundũ se valeat quarta, videlicet, parte: quia onus hoc emptori appositũ in fauorem venditoris, etiam est aliquo pretio æstimabile, quod compensandum est diminutione pretij. Magis tamen debet crescere pretium, quando dictũ pretium fit in fauorẽ emptoris, quã decrescere quando fit in fauorem venditoris, quia onus impositũ venditori in fauorẽ emptoris, est grauius, & minori pretio æstimabile, (excessu videlicet quartę partis plus, minusvè ad arbitriũ viri prudentis) quã onus impositũ emptori in fauorẽ venditoris, quia rem redimere pretiũ restituẽdo, quòd imponitur venditori est difficilius, quã rẽ, v.g. domũ reuendere, quòd imponitur emptori, quia difficilius est habere paratam pecuniã ad redimendũ rem, quã habere paratam rem, v.g. domum ad eam reuendendam.

Vndè, quando contractui emptionis, & venditionis apponitur dictum pactum in fauorem vtriusque emptoris, videlicet, & venditoris, res debet pluris emi, quam secundum se valeat, quia, scilicet, eo pacto vt facto in fauorem emptoris, magis crescit pretium, quàm decrescat eo pacto, vt facto in fauorem venditoris: ac proinde, tunc venditor potest vendere rem, non solum eo pretio quo res secundum se valet, sed etiam eo excessu quo dictum onus venditoris excedit, dictum onus emptoris.

Res ergo quæ secundum se valet quinquaginta, apposito dicto pacto in fauorẽ emptoris, potest pluris vendi, v.g. septuaginta: & apposito dicto pacto in fauorem venditoris, potest emi triginta, & quinque; & apposito dicto pacto in fauorem vtriusque, potest vendi quinquaginta, & quinque.

Dicta tamen doctrina, non tollit quin emptio, & venditio possit fieri cũ pacto dissolutionis, seu restitutionis eodẽ pretio faciẽda, quo fit dicta emptio, & venditio: quia si hoc pactũ fiat in fauorem emptoris, (in quo casu res potest pluris vendi, quàm valeat secun-

secundum se) poterit fieri dissolutio eodem pretio, quando probabilius est quòd tempore dissolutionis curret maius pretium rei: & quando dictum pactum fit in fauorem venditoris, (in quo casu debet res minoris vendi, quàm secundum se valeat) poterit fieri dissolutio eodem pretio, quando probabilius sit quòd tempore dissolutionis curret minus pretium rei. De hac re legi possunt Lessius cap. 21. dub. 14. Turrianus disput. 61. dub. 11. & Bonacina disput. 3. quæst. 2. puncto 3. qui circa hanc difficultatem nonnulla addunt, quæ constant ex dictis à nobis in alijs difficultatibus.

Difficult. XVII. Vtrùm licitum sit pro centum quotannis aliquid, v.g. octo supra centum exigere?

SVPPONIMVS In mutuo, id non posse licitè fieri præcisè ex vi contractus mutui, quamuis posit fieri ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, aut ratione periculi sortis, aut ratione alius tituli, vt constat ex supra dictis. Imò id posse fieri ex vi contractus emptionis census personalis vtrimque redimibilis, constabit ex dicendis disp. 4. diffic. 9.

Est tamen difficultas, an id posit fieri ex vi contractus trium, seu ex vi contractus complectentis tres, nempè, contractum societatis, & contractum assecurationis capitalis, & contractũ vẽditionis lucri incerti maioris, pro lucro certo minori? Vt quando Petrus init cum mercatore contractum societatis ad lucrum tribuens ei centum ad negotiandum, & mercator init cum ipso Petro contractum assecurationis, quo assecurat Petro capitale, nempè, illa centum, nempè, pro quatuor: & contractũ emptionis, quo à Petro vendente lucrum incertũ maius, quòd sperat, quòd forsan erit viginti, emit pro duodecim certis, ac proinde mercator ex vi istius triplicis contractus, pro illis centum tribuit quotannis Petro octo.

Est ergo difficultas, an hic triplex contractus quo Petrus contrahit cum mercatore societatem ad negotiandum, & quo mercator assecurat Petro capitale, & quo emit à Petro lucrum incertum maius pro lucro certo minori, sit licitus?

Sotus

Sotus 6. de iustitia, q. 6. art. 2. Rodriguez in Summ. cap. 46. Rebellus lib. 15. q. 4. Aragon 22. q. 78. artic. 2. & Panormitan in cap. *nauiganti*, de vsuris, num. 11. docent, absolutè, & absque limitatione eum contractum trium, quamuis cum socio successiue fiat, esse illicitum & iniustum: quod videtur definisse Sixtus Quintus in Bulla quæ incipit, *Detestabilis auaritiæ*, dum in ea dãnat societatem, in qua periculum capitalis non remanet apud illud apponentem: & ratione probatur. Primò, quia tunc socius, nempè, mercator ex vi contractus societatis supra eius naturam obligatur, & grauatur ad ineundum contractum assecurationis capitalis, & emptionis lucri incerti pro lucro certo. Secundò, quia eo ipso quòd mercator, v.g. assecurat capitale apponenti illud, transfert virtualiter dominium capitalis in ipsum mercatorem, ex quo appositio illa capitalis fit mutuum virtualiter, seu palliatum, Ergo apponens illud, nequit absque vsura pro eo aliquid vltra ipsum capitale exigere.

Doctrinam hanc Caietanus tom. 1. opusc. vltim. respons. 11. existimat veram, quando dictus triplex contractus fit cum eodem socio, & simul: quia tunc videatur mutuum palliatum, non verò quando fit cum eodem successiue: & multo minus quando fit cum pluribus, quamuis simul.

Nauar. cap. 17. num. 255. Couar. 3. variar. cap. 2. Molin. disp. 417. Lessius cap. 25. dub. 3. & Bonac. disp. 3. q. 3. punct. 11. docent absolutè, & absque limitatione, hunc contractum trium quãuis cum eodem socio, & simul celebratum, esse licitum, & meritò. Quia hi tres contractus possunt fieri absque vsura, & absque alia iniquitate, si fiant cum tribus distinctis personis, quia possunt cũ eis fieri absque inæqualitate inter ea quæ commutantur, & absque alia iniquitate, vt patet, Ergo etiam possunt fieri absque vsura, & absque alia iniquitate, quamuis fiant cum eodem socio, & simul. Consequentia probatur: Quia ex eo quòd cum eodem socio, & simul fiant, non est necessarium quòd in aliquo eorum reperiatur aliqua inæqualitas, nec alia iniquitas. Quia in primis, hic contractus societatis potest fieri absque eo, quòd ex vi ipsius alter socius obligetur ab altero, & è contra ad alios duos, nec ad aliquem eorum, quia reliqui duo possunt ab vtroque socio communi desiderio, & consensu omnino liberè celebrari: quia mercator, v.g. supposito contractu societatis, potest omnino liberè absque coactione aliqua inire contractum assecurationis, seu obli-

obligari ad assecurandum capitale pretio aliquo iusto, quia ea obligatio æstimabilis est pretio aliquo, & etiam potest omnino liberè inire contractum emptionis lucri incerti maioris, pro lucro certo minore, vt patet.

Nec ex eo, quòd socius mercator assecuret alteri capitale, traditio capitalis ipsi facta, fit mutuum, adhuc virtuale. Quia mercator ex eo non fit dominus, adhuc virtualiter, ipsius capitalis, quia eo contractu assecurationis, id non intenditur à contrahentibus, sed tantum quòd illud assecuret domino, quod non est fieri dominum illius: & sanè, si mercator assecurans capitale, fieret dominus illius, posset eo licitè vti ad emendum prædium, quod est falsum; quia in rigore tantum potest eo vti ad negotiandum: & si fieret impotens ad soluendum omnibus suis creditoribus, non posset, qui apposuit capitale, quamuis extaret illud sibi extrahere ante omnes alios creditores, quod etiam est falsum. Qui ergo apposuit capitale, manet dominus illius, & ipsi tamquam domino perit, si pereat: mercatori verò solum perit quoad damnum tamquam assecuratori, quia ipse quia est assecurator, tenetur illud soluere domino. Quando verò contingit, vt regulariter fit, capitale misceri cum pecunia mercatoris, tunc vterque fit dominus totalis totius mixti, & vteruis dominus partialis: & quando tunc perit, vtrique perit tamquam domino totali, & vtriuis tamquam partiali, & mercatori, etiam tamquam assecuratori summæ correspondētis capitali. Ex quibus patet ad duas rationes aduersariorum.

In dicta autem Bulla Sixti Quinti, solum damnatur societas in qua ex vi ipsius exigitur assecuratio, non verò quando nō exigitur, vt potest contingere in dicto contractu trium.

Obseruandum est, quòd vt contractus iste trium licitè fiat, non est necessarium quòd explicitè fiat, sed sufficit quòd fiat implicitè, vt regulariter fit dando, videlicet, mercatori, v.g. centum, vt quotannis soluat octo, saluo capitali, intendens id efficere, eo modo quo licitè fieri posit, aut credēs id posse licitè fieri.

Dif. XVIII. Vtrùm montes pietatis sint vsurarij?

MONS Pietatis dicitur summa quædam pecuniæ, vel frumenti, vel alterius rei, deputatæ ad subueniendum pauperibus, medio mutuo ad certum tempus, pignore ab eis accepto, ea

ea conditione, vt aliquid moderatum vltra sortem soluat pro stipendio ministrorum, & pro alijs necessarijs ad conseruationẽ dictæ summæ; & ea conditione, quòd si tẽpore præfixo nõ soluant, pignus sub hasta vendatur, & quòd supersit sorte detracta, & summa debita pro conseruatione Montis, illis restituatur.

Est ergo difficultas, an hi montes pietatis, & hæ rationes mutuandi, sint absque vsura?

Caiet. tom. 2. opusc. 6. & Sotus 6. de iustitia, q. 1. art. 6. docent, hos montes pietatis esse illicitos & vsurarios, in quod inclinat Syluest. vsura 5. q. 4. quia in eis aliquid exigitur vltra sortem ob mutuũ, seu dilationẽ solutionis, quòd est illicitũ, seu vsurariũ.

Nauar. verò, tract. de vsuris, nu. 59. Rebell. lib. 8. q. 13. Turrian. disp. 61. dub. 12. Bonac. disp. 3. q. 3. punct. 12. & communiter DD. meritò docent, non esse vsurarios, nec aliter illicitos, sed pios, quos vt tales approbauit Leo X. in Concilio Lateranensi Sessione 10. vbi etiam ipso facto excommunicat eos, qui contra suam approbationẽ prædicauerint, vel verbo, vel scripto disputauerint. Et ratione constat, Quia in his montibus quòd vltra sortẽ mutui exigitur, non exigitur ob mutuũ ipsum, seu ob dilationem solutionis, sed tantum ob expensas necessarias ad administrationem, & conseruationem eorum, seu ratione damni emergentis, quòd emergit ipsis montibus, ob dictas expensas necessarias. Ergo montes pietatis non sunt vsurarij, nec aliter illiciti, sed potius pij, & misericordes; vt pote deputati ad subuentionem pauperum: & ob hanc rationem etiam erunt pij, & misericordes, quamuis instituantur à priuatis personis. Ex quo constat ad rationem pro Caietano, & Soto adductam.

Difficul. XIX. Vtrùm vsurarius acquirat dominium vsurarum?

SCot. in 4. distinct. 15. q. 3. Palud. q. 2. artic. 3. Nauarr. cap. 17. num. 265. Armil. verbo, vsura, num. 59. & Glos. in cap. *si quis*, 16. q. 4. partem affirmatiuam tuentur. Quia mutuatarius eas confert voluntariè efficaciter, etiam si inefficaciter, & secundum quid nollet conferre, Ergo dominium earum transfert in mutuantem, quia dominus rei sua voluntate efficaci transfert dominium illius.

Caiet.

Caiet. verò tom. 2. opuscul. 8. Sotus lib. 6. q. 1. art. 4. Couarr. lib. 3. variar. cap. 3. num. 6. Less. cap. 20. dub. 18. & Bonacin. disp. 3. quæst. 3. pun. 14. partem negatiuam tradunt, & meritò. Quia mutuatarius non intendit dominium vsurarum conferre mutuanti, quamuis voluntate efficaci illas conferat, & soluat, quia non intendit illas liberaliter donare, nec plus iuris mutuãti conferre, quàm ei debeatur ex vi mutui. Ex vi autem mutui nihil ei debetur, nisi sors mutuata, sed tantum intendit eam externam solutionem, seu traditionem facere, vt fidem quam dedit soluendi seruet. Ergo mutuatarius solutione vsurarum non efficit mutuantẽ, seu vsurarium dominum vsurarum. Consequentia patet: Quia sola, seu nuda traditione externa, absque voluntate conferendi dominium, (vt adest quando liberaliter donatur) vel absque voluntate conferendi rem iusto aliquo titulo, v. g. venditionis, vel alio, non confertur dominium rei, vt constat ex lege *nunquã*, ff. de acquirendo rerum dominio, dum dicitur: *Nudam traditionem non sufficere ad transferendum dominium, nisi præcesserit venditio, aut iusta causa*, id est, iustus titulus.

In Instituta autem de rerum diuisione, §. *per traditionem*, vbi dicitur: *Per traditionem rei conferri dominium*, nomine traditionis, non intelligitur nuda traditio absque iusto titulo, siue liberalis donationis, siue aliquo alio facta.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, collationem rei factam ex voluntate efficaci domini rei, non sufficere ad transferendum dominium illius, nisi quando fit liberaliter, aut alio iusto titulo.

Addimus, quòd quamuis vsurarius non fiat dominus rei per vsuram acquisitæ, fit tamen dominus pretij accepti pro re, per vsuram acquisita, quando emptor bona fide eam emit: fit autem dominus pretij non iure naturali, sed iure Cæsareo, vt constat ex lege *si in emptione*, ff. de contrahenda emptione, de quo etiam diximus disp. 2. diffic. 17.

Addimus tamen, quòd quamuis vsurarius non fiat dominus vsurarum traditione sibi facta, fit tamen mixtione earum, cum alijs suis rebus, quando nequeunt ab eis discerni, facta absque voluntate mutuatarij, vt mixtione vini per vsuram accepti cum suo vino, & pecuniæ per vsuram acceptæ cum sua pecunia, vt aduertunt Molina disp. 326. & Lessius cap. 20. dubio 18. addimus *facta absque voluntate mutuatarij*, quia quãdo

mix-

mixtio fit ex ea, tunc summa resultans fit vtrique communis, de quo latius tract. de iust. disp. 1. diff. 39.

Sed an sit licitum deponere pecunias apud vsurarium, & petere mutuum ab eo, qui exacturus est vsuras: imò & illud petere expresse sub vsuris? dicimus tract. de charitate disput. 10. diff. 3. & 7. & 8.

Difficul. XX. Quæ possimus ab vsurario accipere?

CONVENIVNT DD. nos non posse, adhuc valide, ab vsurario (cuius nomine etiam compræhendimus furem) accipere, nec titulo gratuito, nec oneroso res alienas vsurarias (cuius nomine compræhendimus res furtim ablatas) quamuis vsurarius eas conferendo, non fiat impotens ad satisfaciendum domino earum, nec alijs creditoribus: Quia vsurarius non habet dominium earum, ac proinde nequit illud in alterum transferre.

Nihilominus, vt contra Petrum Nauarr. & contra alios, aduertunt Medina, de restitutione, quæst. 11. & de vsuris quæst. 3. Valenc. tom. 3. disp. 5. quæst. 21 punct. 3. & Bonac. disp. 3. quæst. 3. punct. 14. possumus ab vsurario validè accipere, non solum res proprias ipsius, vt patet, sed etiam res vsurarias vsu consumptibiles, seu functionem recipiẽtes, vt pecuniam, oleum, & frumentum, dum habeat aliàs res eiusdem speciei æquiualentes, vt aliã pecuniam, & aliud oleum, & aliud frumentum, quia res istæ ita moraliter censentur ædem cum dictis rebus quas extorsit à mutuatario, vt si mutuatarius non acquiescat, sit irrationabiliter inuitus, ac proinde si habeat aliàs res eiusdem speciei, æquiualentes rebus vsurarijs, possumus has vsurarias ab eo validè accipere (sicut & aliàs res proprias ipsius) quia tunc ipse potest eas validè alienare, quia tunc virtualiter, seu æquiualenter, & moraliter habet earum dominium. Imò non solum validè, sed etiam licitè poterimus eas ab vsurario accipere, sicut etiam ipse potest eas nobis licitè conferre, dum non fiat impotens ad soluendum suis creditoribus.

Addimus, *dum non fiat impotens*, quia si fiat, non potest licitè res vsurarias, quamuis habeat aliàs æquiualẽtes nobis licite, conferre: imò nec aliàs res proprias, vt patet, nos tamẽ possumus licitè vtrasque ab eo accipere, si ipse propria sponte, absque inductione

ductione à nobis facta, eas nobis quamuis illicitè conferat. Quia ex vna parte æquitas non exigit, vt contemnamus commodum nostrum nobis oblatum, quamuis alius inde per accidens tantum damnum patiatur, & ex altera parte eas accipiendo non cooperamur eius iniustitiæ, & peccato, quia nostra acceptio non est inductio ad id, nec est intra collationem earum, vt ab ipso facta, etiam si sit comitanter necessaria, vt ille conferat.

Addidimus *absque inductione à nobis facta*, quia si vsurarius inducatur à nobis, eum illicitè inducimus, quia inducimus ad id, quod ipsi est illicitum, & iniustum, & illicitè accipimus, quia nō oblatum, sed quasi extortum accipimus in damnum mutuatarij, & ad restitutionem tenemur, si ea impotentia ad soluendū creditoribus causata ex nostra inductione, & acceptione, sit causa non soluendi, quia sic erimus causa iniusta damni omissionis soluendi. Si verò ea impotentia non sit causa damni omissionis solutionis, non accipimus illicitè, nec tenemur ad restitutionem, quia tunc impotentia, cuius nos sumus causa, non erit causa dictæ omissionis soluendi. Tunc autem dicta impotentia non erit causa omissionis soluendi, quando vsurarius etiam non solueret, quamuis eas res non conferret, vt patet, imò & quando vsurarius posset sua industria commode lucrifacere ad soluendum, & non lucri facit, quia tunc sua negligentia esset causa non soluendi.

Ea autem quæ circa hanc materiam pertinent ad forum exterius, legi possunt apud Couarr. capit. 3. & apud Molinam disput. 328.

Difficul. XXI. Vtrùm vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem?

SVPPONIMVS Vsurarium realem, id est, qui ex pacto accipit aliquid vltra sortem intuitu mutui, teneri ad restitutionem vsurarum, seu lucri vsurarij accepti intuitu mutui, quia accipitur ab ipso, & ipsi confertur absque titulo. Est ergo difficultas, an vsurarius mentalis, id est, qui animo vsurario absque pacto aliquo externo, adhuc implicito, aliquid vltra sortem accipit intuitu mutui, teneatur ad restitutionem illius sic accepti.

Conueniunt Doctores vsurarium mentalem teneri ad restitutionem accepti vltra sortem mutui animo vsurario, id est, intuitu mutui, si etiam mutuatarius illud dedit, vt pretium mutui. Quia tunc vsurarius illud accepit, & ipsi collatum est absque titulo, quia non fuit illi datum liberaliter, sed tantum intuitu mutui, tamquam pretium illius, & ob eamdem rationem ad restitutionem teneri, quando mutuatarius illud dedit, vt pretium mutui, quamuis mutuans illud acceperit bona fide existimans sibi liberaliter ex beneuolentia, aut ex gratitudine donari. Quia tunc illud sibi collatum est, & ipse illud accepit absque titulo, omissio tamen restitutionis illius non imputabitur ad culpam, dum perseueret dicta bona fides.

Est tamen difficultas, an quando mutuatarius illud dedit liberaliter, mutuans tamen accepit illud animo vsurario, seu tamquam pretium mutui, existimans sic sibi dari à mutuatario, teneatur ad restitutionem sic accepti.

Panormitanus, & Innocent. in capit. *consuluit*, de vsuris, Ioann. Andræas regula peccatum de regulis iuris in 6. Nauarr. capit. 23. numer. 162. & Almain. in 4. distinct. 15. quæst. 2. docent teneri. Quod videtur definitum in dict. cap. *consuluit*, & ratione videtur probari: Quia tunc mutuator non acceptat illud vt donum, sed vt pretium mutui. Ergo ea donatio est nulla, cum non sit acceptata, Ergo tenetur ad restitutionem illius.

Couarr. verò regula peccatum 2. parte, numer. 4. Sotus 6. de iustitia quæst. 1. art. 4. Molina disput. 306. Valenc. quæst. 21. punct. 3. Lessius capit. 20. dub. 6. & Bonacin. disput. 3. quæst. 3. puncto 15. docent, & meritò, non teneri. Quod satis significatur lege 46. *inter omnes*, §. rect. ff. de furtis, & ratione probatur. Quia tunc mutuator, dum oppositum non constat, non solum illud acceptat vt pretium, sed etiam implicitè, & virtualiter illud acceptat vt donum, quia cum non intendat, nec quærat aliud quam lucrum, acceptat illud omnimodo quo potest: Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Addimus, quòd quamuis tunc non acceptasset illud vt donum, posset postea, dum mutuatarius non reuocauerit donationem.

In dicto autem capit. *consuluit*, adducto pro aduersarijs

Pon-

Pontifex, tantum vult mutuantem inducendum esse ad restitutionem, quando mutuatarius non dedit liberaliter, sed coacte, seu vt pretium mutui.

Addimus iuxta principia generalia, dictum vsurarium mentalem, dum ei non constet saltem probabiliter lucrum illud sibi fuisse liberaliter donatum, peccare non restituendo ratione conscientiæ erroneæ, qua existimat sibi datum fuisse vt pretium mutui, & si illud accepit dubitans, an sibi detur liberaliter, an vt pretium mutui, peccare accipiendo, & retinendo quousque ei saltem probabiliter constet sibi fuisse liberaliter donatum: si tamen illud accep[illegible] bona fide existimans sibi liberaliter donari, quamuis postea dubitet, an sibi collatum fuerit liberaliter, an vt pretium mutui? potest illud licitè retinere: si verò postea constet non fuisse sibi liberaliter donatum, tenetur restituer[illegible]em si extet, & si non extet, tenetur restituere id, in quo factus est ditior, si in aliquo factus sit ditior.

Difficultas XXII. Qui ex cooperantibus ad vsuras teneantur ad restitutionem?

CONVENIVNT Doctores eos omnes, qui efficaciter, seu cum effectu cooperantur ad contractum ipsum vsurarium, vel ad exactionem vsurarum, vel ad retentionem earum agendo partes solius vsurarij, non tantum peccare, vt patet, sed etiam in solidum teneri ad restitutionem, quia prædicti efficaciter cooperantur damno mutuatarij: tenentur autem secundò loco in defectum ipsius vsurarij non restituentis: & quilibet tenetur insolidum, in defectum aliorum cooperantium non restituentium, iuxta generalia principia de restitutione. Eos verò, qui non cooperantur efficaciter, vel si sic cooperantur, agendo tamen etiam partes mutuatarij, quales sunt notarij, & testes scripturæ, & aliquando proxenetæ, & alij non tenetur ad restitutionem. Quia vel non sunt causa efficax dicti damni, vel si sunt, agendo tamen partes,

etiam mutuatarij, nullam ei inferunt iniuriam. Illi autem dicuntur cooperari efficaciter ad contractum vsurarium, vel ad exactionem vsurarum, vel ad retentionem earum, qui sua cooperatione sunt causa vt id fiat, & si eorum cooperatio, vel aliorum loco eorum deficeret, non fieret: & illi dicuntur agere partes mutuatarij, qui ad eius instātiam cooperātur, siue expressam, siue implicitam, vt contingit quando in eius fauorē cooperātur, & ipsum mutuatarium nullatenus pœnitet cooperationis eorum.

Ex dictis constat, Principes, & iudices, & alios officiales iuridicos, qui suis statutis, vel sententijs, vel alijs actibus compellūt ad soluendas vsuras, vel decreto, vel aliter iuuant, vt iam solutæ non restituantur, quando repetuntur à mutuatarijs, teneri ad restitutionem earum. Quia moraliter cooperantur efficaciter ad solutionem earum, vel ad earum retentionem; imò Principes, & iudices excommunicationem, ipso facto incurrunt, vt constat ex Clementina vnica de vsuris: eam tamen non incurrunt, quando mutuatarijs repetentibus vsuras iam solutas denegāt actionem, seu eos non audiunt, quamuis in eo peccent contra iustitiam, vt verè peccant, & tenentur ad restitutionem, quia ex officio tenentur eos in ipsorum fauorum audire, nisi quando alicubi ex decreto Principis permittuntur vsuræ ob bonum Reipublicæ.

Circa consulentes & suadentes vsurarijs, vt mutuent sub vsuris, vel vt eas exigant, conueniunt Doctores eos peccare, quia quantum est ex ipsis inducunt ad illicitum.

Est tamen difficultas, an etiam teneantur ad restitutionem vsurarum, & procedit quando absque eorum, vel aliorum consensu, vel suasione non fieret damnum vsurarum ab ipsis vsurarijs suasis, vel consultis, quia si aliàs fieret ab ipsis nō tenerentur ad restitutionem.

Circa difficultatem ergo, Angel. verò restitutio 1. num. 4. Syluester, verbo, vsura, 7. parte 2. Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 11. artic. 2. & Medina de vsura, quæst. 4. existimant, non teneri ad restitutionem, quia non videntur causa efficax damni vsurarum, quia post eorum consilium, & suasionem potest mutuator desistere ab exigenda vsura, & mutuatarius se defendere.

Nauar. verò, cap. 17. nu. 265. Molin. disput. 331. Rebel. lib. 8.

quæst.

quæst. 16. sect. 5. Lefs. cap. 20. dub. 21. & Bonac. disp. 3. quæst. 3. punct. 15. docent teneri ad restitutionem, & meritò. Quia verè sunt causa moralis efficax illius damni, quia absque eorum consilio, aut suasione non fieret dictum damnum à dictis vsurarijs, vt potest, & supponimus contingere, quamuis non sint causa efficax physica, vt probatur ratione aduersariorum, quia ad obligationem restitutionis sufficit causalitas moralis damni.

Circa famulos vsurariorum supponimus factores eorum, qui eorum nomine, seu auctoritate, vel celebrant contractus ipsos vsuararios, vel iuridice compellunt ipsos mutuatarios ad soluendas vsuras, non solum peccare, vt patet, sed etiam teneri ad restitutione vsurarũ. Quia vere sunt causa moralis, & efficax vsurarũ, quia eorum cooperatio conducit ad damnum vsurarum, & ita vt absque ea cooperatione ab ipsis, vel alijs, vel ab vsurario facta, non fieret damnum illud à suo domino vsurario.

Circa reliquos famulos minus principales vsurariorum, quales sunt, qui mutuatarijs deferunt mutuum, & qui ab eis vsuras non iuridice petunt, & qui ab eis illas recipiunt, vel eas seruant, & qui ab eis recipiunt pignora, vel ea seruant, & qui numerant pecunias ipsius mutui, vel vsurarum, & qui referunt in libro rationum dati & accepti, est difficultas, an peccẽt, & teneãtur ad restitionẽ.

Sotus 6. de iust. q. 1. art. 4. Arag. 22. q. 68. art. 3. Lefs. cap. 20. dub. 21. Barthol. à S. Faust. disp. 16. q. 118. & alij, docent, eos nõ peccare, nec ad restitutionem teneri, quia non cooperantur actiuè iniustitiæ vsurarij, sed tantum materialiter, respectu contractus vsurarij, & exactionis vsurarum.

Nauarr. cap. 17. num. 267. Molina disput. 331. Salas tract. de vsuris, dub. 44. num 13. & Angles in Floribus 4. sent. in materia de vsuris docent, prædictos peccare, & ad restitutionem teneri, quia vere iuuant ad damnum iniustum vsurarum.

Nos verò existimamus prædictos famulos agentes, tantum partes vsurarij peccare, quia quantum est ex se aliquo modo iuuant, seu cooperantur ad damnum vsurarum contra mutuatariũ, & rationabiliter inuitum, non tamen teneri ad restitutionem, nisi quando eorum cooperatio est efficax ad dictũ damnum: erit autem efficax, ad id, quando absque ea cooperatione, siue ab ipsis, siue ab alijs facta non fieret dicta iniustitia, quod iudicio prudentis discernendum est.

Addimus agentes tantum partes vsurarij, quia quando etiam

agant partes mutuatarij, possunt absque peccato cooperari, quādo ipse mutuatarius potest illud idem licitè agere. Quomodo verò mutuatarius se debeat gerere circa vsurarium mutuantem, vt licitè procedat, diximus tract. de charitate disp. 10. diff. 8.

Difficult. XXIII. Vtrùm hæredes vsurarij teneantur ad restitutionem.

CONVENIVNT DD. hæredes ipsius vsurarij teneri pro viribus hæreditatis ad restitutionem vsurarum, quas vsurarius non restituit, & id constat ex cap. *tua nos*, de vsuris, & ratio est, quia obligatio personalis, seu debitum personale defuncti transmittitur ad hæredes, quia succedunt in bonis illius.

Est tamen diff. primò, an quando sunt plures hæredes singuli teneantur insolidum, seu in totum alijs non restituentibus.

Nauarr. cap. 17. n. 278. & Glossa in dictum cap *tua nos*, docent teneri in solidum, quod significari videtur in eo cap. dum dicitur, *quod filij ad restituendas vsuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viuerent cogerentur*, sed parentes tenebantur in solidum, ergo etiam quilibet filius hæres. Et ratione probatur: Quia vsurarius tenebatur ad restitutionē totius, ex qualibet parte suorum bonorum, ergo etiam quilibet hæres ex quibusuis bonis vsurarij tenetur ad restitutionē totius, alijs non restituentibus.

Caiet. verò tom. 2. opusc. 8. Couar. 3. var. c. 3. Sot. 6 de iust. quæst. 1. art. 4. Les. dub. 20. Bonac. disp. 3. q. 3. pun. 15. & cōmuniter DD. docent, singulos hæredes non teneri in solidum, sed tā tum ad partem habita proportione ad hæreditatem (ita vt qui, v.g. tertiam partem hæreditatis accepit, teneatur restituere tertiam partem vsurarum) & meritò, quia rationi consonū est, quod ea proportione, & ratione, qua bona defuncti diuiduntur inter hæredes, ita etiam eius debita personalia (qualia sunt debita vsurarum) diuidantur.

In cap. autem *tua nos*, pro aduersarijs adducto, tantū significatur obligationem personalem defuncti transire ad hæredes simul sumptos, non ad singulos in totum, & ad eorum rationem concedimus vsurarium, dum viuit teneri ad restitutionem ex quibusuis bonis suis, etiam ex non vsurarijs, quia obligatio personalis illius

ius refunditur in omnia bona illius, post mortem veró, sicut bona illius diuisa sunt inter hæredes, etiam illius obligatio diuisa est inter eosdem, habita proportione ad hæreditatem, res tamen vsuraria extans, ad quemcumque hæredem venerit, restituenda est, iuxta regulas restitucionis ratione rei acceptæ, seu habitæ, quia ea res est mutuatarij, ipsi veró hæredi satisfaciendum est pro rata ab alijs hæredibus, si eam accepit in partitione hæreditatis, & tamquam propriam vsurarij defuncti, quia tunc hæres ille defraudatus fuit in appropriatione illius ipsi facta.

Addidimus hæredes vsurarij teneri ad restitutionem vsurarum pro viribus *hæreditatis*, quia si hæreditas non sufficiat ad restitutionem, non tenetur ad eam ex alijs suis bonis, quia hæredes solum obligantur ad debita personalia defuncti, ratione bonorũ, quæ hæreditate accipiunt, ergo solum tenentur ad restitutionem ex bonis defuncti, & non ex proprijs, quod est verum, non solum in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori, seu iudiciali quando factum fuit inuentarium.

Est tamen 2. difficultas, an quando non fuit factum inuentarium, etiam teneatur in foro conscientiæ supra vires hæreditatis, seu ex proprijs bonis, & non tantum in foro exteriori?

Molin disput. 317. Toler. Salas, Filliuc & Bonac. punct. 15. docent, tunc non teneri in foro conscientię, sed tantum in exteriori, quia in foro conscientiæ non est locus falsæ præsumptioni, sed veritati.

Couarr. veró 3. variar. cap. 3. num 8 & alij docent, etiam teneri in foro conscientiæ, & meritó. Quia lex soluendi, seu restituendi vltra vires hæreditatis, quando non fit inuentarium, fundatur in præsumptione, qua regulariter præsumitur hæredes non facientes inuentarium committere fraudes contra creditores defuncti, & non in præsumptione pro aliquo casu particulari: lex autem quæ fundatur in priori præsumptione, etiam tenet & obligat in foro conscientiæ, quamuis præsumptio deficiat in aliquibus casibus, dum regulariter non deficiat, vt aduertit Vazquez 12. disput. 163. numer. 15. Quia tunc præsumptio in qua fundatur, non est falsa, sed vera, quia verum est, quod regulariter sunt fraudes, quando non est inuentarium, quamuis in eo casu particulari non fuerit commissa fraus.

Tertió, est difficultas, an deficiẽtib⁹ omib⁹ heredibus vsurarij,

vel quia non possunt, vel quia nollunt restituere, teneantur in eorũ defectum legatarij, aut donatarij ad restitntionem vsurarum.

Conueniunt DD. eos non teneri, si relicta hæredibus ab vsurario sufficiant ad restitutionem vsurarum, & ad legitimam ipsis iure debitam, quia sicut hæres succedit in omnia lucra defuncti, vt constat ex lege *hæreditas*, ff. de regulis iuris, ita etiam in onera & debita ipsius, quia repræsentat personam defuncti.

Si verò relicta hæredi non sufficiant ad restitutionem, nec ad portionẽ ipsi iure debitã, tũc legatarij, & donatarij causa mortis instituti tenẽtur seruata proportione legatorũ ad supplendũ quod hæredibus defficit ad restitutionẽ, & ad dictam legitimam, quia tunc legatarij, & donatarij illicitè, imò inualidè accipiũt, & retinent sibi legata, & donata, *iuxta legem, quod autem*, §. *& si*, C. de iure deliberandi, & satis conformiter rationi, quia persona defuncti post mortem, nec potest manere obligata, nec aliquid lucrari, sicut potest persona debitoris viui: ergo meritò statuitur, ne viuus disponat de suis bonis pro tempore mortis cum damno suorum creditorum.

Difficul. XXIIII. Quæ sint pœnæ vsurariorum?

VSVRARII Manifesti, seu notorij nõnullis pœnis iure ipso, tàm canonico, quàm ciuili afficiuntur: ille autem vsurarius dicitur manifestus, seu notorius, qui de crimine vsuræ condemnatus est sententia irreuocabili, & ille qui in iudicio illud cõfessus est, & etiam ille cuius crimen ita euidens est maiori parti viciniæ, aut communitatis, in qua ad minus habitant decem, vt illud nulla posit tergiuersatione celari.

Vsurarij ergo notorij, in primis afficiuntur infamia, vt patet ex canone *infames* 3. quæst. 7. & ex lege *improbum*, C. ex quibus causis irrogatur infamia.

Secundò, dicti vsurarij non admittuntur ad Eucharistiam, vt constat ex cap. *quia in omnibus*, de vsuris.

Tertiò, oblationes eorum non admittuntur, vt constat ex dicto capit. *quia in omnibus*, imò in eodem contra admittentes illos statuitur pœna suspensionis ab officio donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciant, & compelluntur oblationes acceptas reddere ipsis vsurarijs.

Quartò,

Quartò, non admittuntur ad Ecclesiasticam sepulturam, vt constat ex dict.cap.& ex Clementina 1.de supulturis:imò in hac Clementina ipso facto excommunicatur minister, qui eos sepelire præsumpserit,& non est absoluendus quo vsque ad arbitrium sui Episcopi satisfaciat,& in dicto cap.etiam suspenditur.

Quintò,non admittuntur ad confessionem Sacramentalem peccatorum,nisi prius re ipsa restituãt quatenus possint,vel præstent cautionem idoneam,quod satisfacient pro viribus suarum facultatum,vt constat ex cap.*quamquam*,de vsuris, in 6. quod si mors eorum adeò vrgeat,vt absolutio non patiatur moram absoluendi sunt,& postea est ab illis exigenda cautio si fieri possit.

Sextò,testamentum eorum est nullum,nisi ante mortem soluerint,vel cautionem idoneam præstiterint, vt constat ex dicto cap.*quamquam*,erit tamen validum si ante mortem non erant notorij aliquo modo ex prædictis, quamuis post mortem fiant tales. Donatio autem vsurarij notorij causa mortis facta, erit valida,vt contra Molinam disput. 137. & contra Iulium Clarum, §.donatio,& contra Bonacin.disput.3.quæst. 3. puncto vltimo aduertunt Couarr.ad rubricam de testamentis,part.3.Saa verbo,testamentum,num. 1.& Turrian.disput.36.dub. 3. quia etiã si in dicto cap.annulletur testamentum,non tamen dicta donatio, quæ distincta est à testamento.

Septimò puniuntur in eo,quòd domini terrarum nequeant vsurarijs alienigenis,(id est qui in ea terra nati non sunt, nec eorum parentes)quamuis non baptizatis locare domum ad exercendas vsuras,imò tenẽtur intra tres menses eos expellere, ex suis terris, alioquin ipso facto incurrunt pœnam suspensionis, si sint Episcopi,& pœnam excommunicationis si sint minores Episcopis,& interdicti si sit collegiũ,vel alia communitas Ecclesiasticorum,vt constat ex cap. 1.de vsuris in 6.

Obseruandum est, Iudæos vsurarios, & alios non baptizatos non compræhendi pœnis impositis solo iure Ecclesiastico, quia non sunt Ecclesiæ subditi, compræhendi, tamen pœnis iure ciuili impositis obligante in terris,in quibus habitant, quia verè sunt Principibus sæcularibus subditi.

DISPVTATIO IIII. de censibus.

NOMEN Census, quòd à censendo sumitur, secundum eius primæuam significationem, sumitur primò pro æstimatione bonorum cuiusque: quæ fit, vt sciatur quantumquisque soluere debeat Principi in tributum, quia censere idem est, quod æstimare, & exinde nomen census translatum est, & sumitur secundo pro tributo ipso, seu pensione, quo modo sumitur Matt. 22. quando dicitur: *Licet censum dare Cæsari, an non?* Tertiò sumitur pro iure ad annuos reditus ex re alterius percipiendos, & de censu sic sumpto procedit tota hæc disputatio.

Diffic. I. Quid & quotuplex sit census?

CIRCA Prius, census est *ius exigendi annuam pensionem ex re fructifera alterius*. Vndè census nõ est pensio ipsa annua, nec res ipsa ei iuri, seu censui subiecta, nec contractus, quo acquiritur dictum ius ad eam annuam pensionẽ; sed est ius ipsum in acquirẽte illud, qui dicitur *censualista*, seu *cẽsitor*, & huic iuri in altero cõtra quem acqiritur, qui dicitur *censuarius*, correspondet obligatio soluendi dictã pensionẽ. Additur in adducta definitione, *ex re fructifera*: nomine autem rei, etiã comprehenditur persona, & nomine fructiferæ, intelligitur res vtilis, vt vinea, aut pecunia, aut persona, potens lucrari bona, aut sperans bona, aut illa habens, aut potens vendi, aut in seruitutẽ trahi. Tandẽ additur *alterius*, quia nemo dicitur habere ius ad pensionem ex re sua, sed ex re aliena.

Et quamuis dictum ius ad annuam pensionem posſit esse materia diuersorum contractuum, nempè, emptionis, & venditionis, & donationis, & locationis, & commutationis est tamen, & dicitur census, quatenus est materia emptionis, & venditionis.

Circa posterius, census varie diuiditur, quia in primis, census ratione modi, diuiditur in reseruatiuum, & in consignatiuum. Reseruatiuus contingit, quando quis transfert in alterum rem suam quoad dominium directum, & vtile, vel donando, vel vendendo, vel cõmutando, reseruato sibi iure ad annuã pensiõnẽ super eadẽ re: census ergo reseruatiuus, est ius hoc reseruatum. Census verò consignatiuus contingit, quando quis super bonis suis, quorum habet dominium directum, & vtile, consignat *alij* ius ad annuam pen-

pensionem: census ergo consignatiuus, est hoc ius consignatiuum.

Census autem cõsignatiuus ratione rei super qua fundatur, seu imponitur subdiuiditur in realem, & in personalẽ, & in mixtum. Realis est, qui fundatur super re prout cõdistincta à persona, vt super vinea, vel super agro, ac proinde pereunte ea re, super qua fundatus est, perit ipse census. Personalis est, qui fundatur super sola persona se obligante ad pensionem, etiam si ex vi alterius cõtractus, qui regulariter superadditur contractui censualitio, res alia subijciatur tamquam hypotheca ad securitatem solutionis cẽsus, vel dum durat census, vel etiã post cessationẽ census destructione rei, prout conuẽtum fuerit inter emptorem, & venditorẽ census: ac proinde ex ea nõ est soluenda pensio census, nisi quando aliter nequeat obtineri solutio; bene tamen ex re, super qua census fundatur. Mixtus est, qui fundatur immediatè super re, & immediatè super persona, ita vt quamuis res pereat, nõ pereat census, sed persona obligata maneat ad solutionem pensionis ex alijs rebus, seu bonis habitis, vel habendis, vel ex ipsa persona secundum se, vt conuentum fuerit inter emptorem, & venditorem census.

Secundò, census ratione pensionis, diuiditur in fructuarium, & pecuniarium. Fructuarius dicitur, qui est ius ad fructus, vt ad vinum, vel ad oleum. Pecuniarius dicitur, qui est ius ad pecuniam.

Tertiò, census ratione durationis, diuiditur in perpetuũ, & in temporalem. Perpetuus dicitur, qui est ad perpetuam pẽsionem, qui subdiuiditur in redimibilem, & in irredimibilem. Redimibilis dicitur, qui fit cum pacto de reemendo, ratione cuius censuarius potest restituto pretio accepto à censualista, illũ redimere, quãuis censualista repugnet. Irredimibilis dicitur, cui nullum pactũ redemptionis adijcitur. Census temporalis dicitur, qui tantũ durat finito tempore, siue certo, v.g. decem, vel viginti annis, (qui dicitur non vitalitius) siue tempore incerto, vt tempore vitæ vnius, vel duorum, vel trium, qui dicitur vitalitius.

Diffi. II. Vtrùm emptio census Realis sit licita?

SVPPONIMVS Primò, in quo DD. conueniunt, emptionem census Realis reseruatiui esse licitũ. Quia nec prohibetur iure positiuo, quia nullum tale taxat, nec iure naturali, quia est emptio qua quis transfert dominium rei sui in alterum, reseruata sibi pensione aliqua, in quo nulla iniustitia, nec alia deformitas reperitur.

Suppo-

Supponimus secundò, in quo etiam DD. conueniunt, emptionem census Realis consignatiui antiqui, seu antea impositi, vt quando quis emit ius donatum alicui à Principe ad annuos reditus, ex reditibus ipsius Principis, etiam esse licitam. Quia nec prohibetur iure positiuo, quia nullum tale extat, nec iure naturali: quia in emptione illius nulla iniustitia, nec alia malitia reperitur, vt ex dicendis constabit.

His ergo præsuppositis, difficultas est, an emptio census Realis consignatiui nouiter emptione ipsa instituti sit licita, & procedit de censu Reali, siue temporali, etiam vitalitio, siue perpetuo, etiam irredimibili.

Henr. Gandau quodlibet. 8. q. 24. Innoc. & Ioann. Andr. in cap. *in ciuitate*. de vsuris, Salicet. Greg. Arimin. & alij, quos refert Couar. lib. 3. variar. cap. 7. docent, emptionem illius esse iniustam, si pensiones futuræ superaturæ sint pretium, quo census ille emitur. Quia tunc pretio minore emitur ius ad id quòd pluris valet; quia tunc emendo, v. g. centum aureis censum pecuniarium, emitur ius ad ducentos: & emendo censum fructuarium, emitur ius ad fructus valentes ducentis aureis: ius autem ad ducentos aureos pluris valet quam centum aurei, aliàs contractus vsuræ quo exigitur aliquid vltra sortem in posterum dandum, nō esset iniustus.

Sotus verò lib. 6. q. 5. art. 1. Molina disp. 385. Couar. vbi supra, Lessius cap. 22. dub. 3. & communiter DD. docent, & meritò, emptionem dicti census Realis esse licitam & iustam, quamuis pensiones superaturæ, sint pretium quo census emitur. Quod supponunt Martin. V. Calixtus III. Nicolaus V. & Pius V. in suis Extrauagantibus, dum absque distinctione inter census Reales, & inter antiquos, & nouos, declarant, emptionem, & venditionem censuum, esse iustam & licitam. Et ratione probatur: Quia emptio dicti census non est prohibita iure aliquo positiuo, quia nullum tale extat, nec iure naturali, seu ex natura rei, quia non est iniustus, quamuis pensiones futuræ, superaturæ sint pretiū quo emitur, quia quamuis ius secundum se, ad rem futuram non minoris valeat, quàm res ipsa ad quam est ius; quia iuri, v. g. ad pecuniam vt octo, non satisfit, nisi pecunia vt octo. Nihilominus ius ad rem futuram expositum, seu obnoxium periculis, & incommodis, minus valet quam res ipsa ad quàm est ius. Sed census Realis consignatiuus, qui est ius ad annuas pensiones, obnoxius

xius est mille incommodis, quia potest perire, aut litigiosum fieri: & quamuis nec pereat, nec litigiosum fiat; pensio tamen ipsa ad quam est ius, etiam manet exposita varijs incommodis, quia sæpè obtinetur cum difficultatibus, & molestijs, & alijs incommodis, Ergo census Realis consignatiuus, potest emi pretio minori quam valitura sint pensiones, ad quas est ipsum ius, absque iniustitia contra venditorem illius.

Solutio verò sortis mutuatæ, aut non est exposita periculo, & incommodis considerabilibus, quia mutuum non fit, quando id timetur, & tunc non potest aliquid exigi vltra sortem: aut si est exposita, vt aliquando contingit, quamuis multo paucioribus, quàm census; tunc potest exigi aliquid vltra sortem, ad arbitriũ viri prudentis, eadem proportione, qua dictum est de annuis pensionibus census Realis consignatiui.

Difficul. III. Vtrùm emptio census personalis sit iure naturali licita?

NAVAR. De vsuris, num. 81. Antonin. p. 2. titul. 1. cap. 8. §. 16. Molina disp. 383. Lopez lib. 1. cap. 54. & Rebell. docent, esse iure naturali illicitam, & vsurariam, & vt talem eam reprobasse videntur Martin. V. & Calixt. III. in suis Extrauagantibus, dum hi Pontifices solum declarant, census Reales esse licitos. Et ratione videtur probari: Quia ex vna parte emptio census personalis, videtur mutuum palliatum, quia non est emptio alicuius: & ex altera parte, ea emptione intenditur lucrum vltra sortem, quia ea intendũtur pensiones, vel quæ supperaturæ sunt capitale, vel quæ dandæ sunt vltra sortem, si census est redimendus, Ergo emptio census personalis est illicita & vsuraria.

Sotus verò 6. de iustitia, q. 5. art. 1. Medin. de vsuris, quæst. 11. Lessius cap. 22. dub. 4. Couarr. tertio variar. cap. 7. & Bonac. disput. 3. q. 4. docent, & meritò esse iure naturali licitam, & eam approbauit Nicolaus Quintus in Bulla ordin. 4. dum attendens tantum ad naturam census, & docens in quibus possint fundari, ait: posse in personis, in redditibus, in iurisdictionibus, in iuribus, in proprietatibus, & in quibuscumque bonis, siue mobilib⁹, siue immobilibus. Et ratione probatur: Quia obligatio, qua quis obligatur ad aliquam pensionem annuam, soluendam

ex bonis habitis, vel habendis, siue proprio labore, & industria, siue donatione, aut aliter, est sua natura pretio redimibilis: & ius ad eam pensionem ei obligationi correspondens, in quo census personalis consistit, est sua natura pretio æstimabile. Ergo emptio census personalis est ex natura rei, seu iure naturali licita.

Et ob hanc rationem, non solum emptio census personalis, vt fundati in persona censuarij, vt fructifera ratione bonorum, est licita, sed etiam vt fundati in ipsa persona secundum se, ita vt si censuarius nequeat pensionem soluere, possit ex natura rei censualista illum vendere, vel in seruitutem trahere, (si iure aliquo positiuo id non impediatur ratione qualitatis personæ censuarij) quia scilicet obligatio qua quis obligatur ad annuam pensionem, ex venditione sui, aut extractione sui in seruitutem, etiam est sua natura pretio redimibilis, & ius ad eam pensionem ei obligationi correspondens, etiam ex sua natura pretio æstimabile.

Addimus, *emptori census personalis, etiam illius qui fundatur in persona censuarij secũdum se*, licitũ esse exigere hypothecã, ad securitatẽ solutionis pensionis, sicut potest exigi in mutuo, & in alijs contractibus, quia in exactione illius nulla apparet iniustitia, nec alia deformitas: est tamen tunc maiori pretio emendus, ob maioritatem securitatem solutionis pensionis.

Ad rationem ergo aduersariorum, negamus emptionem census personalis esse mutuum, sed esse veram emptionem iuris ad annuas pensiones, vt conijci potest, ex eo quòd mutuans potest repetere sortem eiusdem speciei, & valoris, quam mutuauit: emens verò censum personalem, nequit sortem exigere ex vi contractus censualitij; bene tamen ex vi pacti superadditi redimibilitatis facti in fauorem emptoris. Addimus, quòd quamuis gratis admittamus emptionem census personalis esse mutuum palliatum, & eo intendi lucrum vltra sortem, potest esse licita, & non vsuraria, ratione dicti periculi, & molestiarum, quibus census ipse, & solutiones pensionum exponuntur, iuxta ea quæ diximus dis. præcedenti, in fine.

Ex dictis constat, emptionem census mixti, nempè, simul realis, & personalis, esse iure naturali, seu ex natura rei licitam. Quia emptio, cuiuslibet seorsim est licita, Ergo etiam con-

coniunctim, quia in eorum coniunctione, nulla apparet deformitas.

Addidimus *emptionem census personalis & etiam mixti, esse iure naturali licitam*, quia iure positiuo Pij Quinti in Bulla, quæ incipit, *Cũ onus* (quæ nec in Hispania, nec in pluribus alijs prouinciis recepta est) prohibetur emptio census personalis: imò & realis fundati in alio, quã in re immobili, de quo dicemus dif. 5. iure verò positiuo Martini V. & Calixti III. in dictis Extrauagantibus non reprobatur, nec prohibetur emptio census personalis, quamuis in eis tantum approbetur emptio census realis, quia de eo tantum fuerunt interrogati. Emptio verò census personalis super persona secũdum se fundati, est alio iure humano, tàm ciuili, quàm Ecclesiastico prohibitus, dum eis prohibitum est personam liberam emi, & in seruitutem redigi, quia id super quo fundatur census debet esse tale, vt censualista posit illud vendere, aut sibi sumere, quando censuarius nequit, aut non vult pensionẽ soluere.

Difficul. IIII. Quæ requirantur iure naturali, seu ex natura rei, vt contractus census sit licitus?

CONVENIVNT primò DD. ad valorẽ contractus emptionis, & vẽditionis cẽsus, tã realis, quã personalis, seu vt sit validus requiri iure naturali, seu ex natura rei consensum, seu intentionem ipsorum contrahentium ementis, videlicet, & vendentis censum, sicut ad valorem, cuiuscumque alius contractus.

Conueniunt secundò DD. vt contractus census sit licitus, & iustus, requiri iure naturali, seu ex natura rei pretium iustum, quia res tanti debet emi quanti valet, & nequit pluris vendi. Illud autem pretium est iustum, vel quod lege taxatum est, vel lege deficiente, quod communi prudentum æstimatione præfixum est.

Pretium autem census potest esse, & de facto est iustum, quãuis sit minus, quam sint pensiones speratæ simul sumptę ob rationem à nobis adductam difficultate 2.

Secundò, quia scilicet ius ad annuas pensiones, in quo census consistit, expositum est mille incommodis: imò pẽsiones ipsæ ad quas est ipsum ius, etiam sunt expositæ mille incommodis, & mole-

molestijs, Ergo pretium dicti iuris, quamuis sit minus, & multò quam sint omnes pensiones speratæ, simul sumptæ, potest esse, & erit iustum, & pretium census perpetui, cæteris paribus, debet esse maius, & multò quā temporalis, quia ex eo plures multò sperantur pensiones, quam ex temporali, & ob eamdem rationem pretium census perpetui irredimibilis debet esse maius, quam perpetui redimibilis. Ad taxandum autem pretium census habēda est ratio oneris, seu grauaminis impositi, siue censualistæ, siue censuario, siue vtrique, vt postea dicemus.

Conueniunt 3. DD. nullum posse subijcere censui rem, nisi habeat liberam facultatem disponendi de illa, ac proinde nō posse subijcere rem alienam absque consensu domini, vt patet, nec propriam si habeat impeditum ius ad illam, quia nemo potest tradere alteri ius quòd non habet, nec ius quòd est ipsi impeditum. Vndè, maritus non potest subijcere censui rem dotis vxoris absque consensu illius, quia non habet dominium illius, quamuis habeat administrationem, nec vxor poterit eam subijcere, quia quāuis habeat dominium illius, est tamen illi impeditum, quia administratio illius pertinet ad maritum, & qui habet rem subiectam vni censui, non potest eam alteri subijcere, nisi res possit vtrumque censum sustinere, & si possit vtrumq; sustinere, & vtrique subijciatur, si res postea fiat impotens ad sustinendum onus vtriusque, prior censualista præferendus est posteriori, quia res censui subiecta, quamuis sit persona, habet quandam rationem hypothecæ, & obligatio, qua obligata manet, est realis, non minus, imò melius, quam strictè hypotheca, in obligatione autem reali, qui prior est tempore potior est iure.

Difficult. V. Vtrùm emptio & venditio census redimibilis sit iure naturali licita?

DIFFICVLTAS Hæc procedit de omni censu, nempè, reali, & personali, & mixto.

Supponimus, in quo DD. contractum census approbantes conueniunt, emptionem, & venditionem cēsus irredimibilis esse licitas iure naturali, quia in eo nulla apparet iniustitia, nec alia deformitas.

Hoc ergo supposito, circa propositam difficultatem, etiam con-

conueniunt DD. venditionem censûs redimibilis, seu cum pacto redemptionis ex parte venditoris, ratione cuius venditor possit, si velit, illum redimere, quamuis nolit emptor, esse ex natura rei licitam. Quod supponunt Pontifex in supra adductis Extrauagātibus, & ratione constat. Quia omnes venditiones aliarum rerum cum pacto redemptionis in fauorem venditoris sunt licitè. Ergo etiam venditio censûs, quia in censu non est aliqua peculiaris ratio, ob quam eius venditio sub eo pacto non sit licita.

Est ergo difficultas, an emptio cēsus possit fieri licitè cū pacto reuēditionis ex parte ipsius emptoris, ratione cuius emptor possit, si velit, illū reuēdere ipsi primo vēditori, quāuis hic nolit.

Sotus lib. 6. q. 5. art. 3. Couar. 3. var. c. 9. & Rebell. p. 2. lib. 10. q. vltima, docent, esse vsurariam, si facienda sit eodem pretio. Quia vsurarium est dare pecuniam cum pacto recipiendi postea tantam, & aliquid aliud supra sortem, id autem contingit, quando emitur census cum eo pactu, quia tunc emptor recipit aliquas pensiones, & postea quando fit reuenditio, recipit tantam pecuniam quantam ipse dedit.

Molin. verò, q. 15. de vsuris, dub. 5. Tolet lib. 5, c. 45. Valenc. disp. 18. q. 22 pun. 6. Less. dub. 12. & Laym. docent, esse iustam, & absque vsura, & meritò. Quia emens censum, tàm realem, quā personalem cum dicto pacto, non dat immediatè pecuniam pro pecunia postea reddenda, si ipse velit, in quo consistit mutuū, sed pro iure, sed dominio vtili ad annuam pensionem fundato in re, aut in persona fructifera pensionis, postea reuendendo eidē primo venditori illius pretio iusto, in quo non reperitur mutuū, nec vsura. Ergo emptio censûs, tàm realis, quàm personalis superaddito dicto pacto licita est absque vsura.

Quod autem dicta emptio non sit mutuum ex eo confirmatur, quod obligatio censûs cessat eo ipso quod res, aut persona, in qua fundatur sit inutilis, aut infructifera pensionis, etiam si possit manere alia obligatio orta ex annexione hypothecæ facta ad securitatem solutionis, & tamen si dicta emptio haberet rationē mutui, non cessaret obligatio ex eo orta. Si ergo emptio censûs tam realis, quam personalis cum dicto pacto nō est mutuū, in ea non reperietur iniustitia vsuræ, ac proinde erit licita, quia nulla alia deformitas in ea emptione reperitur.

Si ergo contractus censûs redimibilis, tam realis, quàm personalis in fauorem venditoris seorsim, est licitus, & etiā cōtractus

census redimibilis in fauorem emptoris seorsim est licitus, etiam erit licitus contractus census redimibilis in fauorem vtriusque, quia in coniunctione redimibilitatis in fauorem vtriusque, nulla apparet iniustitia, nec alia deformitas.

Vndè, qui pro centum postea reddendis pro voluntate cuiuslibet, creditoris, videlicet, aut debitoris aliquid accipit quolibet anno, v.g. octo, quamuis non à mercatore, potest excusari ab vsura, si eos centum det, & alter accipiat in censum personalẽ vtriusque redimibilem, & sic cẽsendi sunt efficere in docti, qui id vidẽt sine scandalo fieri, & id volunt titulo, quo id fieri possit accipere, quamuis dando fortẽ vtãtur nomine mutui, vt aduertũt Lessius, Laym. & Becanus circa quæstionem 78. Sancti Thomæ, q. 6.

Et si vt iam diximus, emptio census irredimibilis à venditore, ita vt numquam possit ab eo redimi, nolente emptore, licita est; facile constat posse licitè emi censum addito pacto, vt non possit redimi à venditore ante certum tempus, v.g. ante decem annos, & si epmtio census redimibilis, & etiam irredimibilis est licita, vt iam diximus, etiam facilè constat posse licitè emi censum, addito pacto, vt post certum tẽpus, v.g. post decẽ annos, possit redimi, & ante eos nõ possit, quia si licitè potest emi census , qui nunquã possit redimi, etiam poterit licitè emi, qui nequeat ante certum tempus redimi, & si licitè potest emi census, qui semper possit redimi, etiam licitè poterit emi census , qui post certum tempus possit redimi.

Iuxta ea autem quæ diximus tract. de contract. disp. 2. diff. 15. diuersimode appretiandus est census redimibilis , quia si venditur cum pacto redemptionis in fauorem solius venditoris, vendendus est, minori pretio, quam secũdum se valeat, quia onus eo pacto impositum emptori cõpensandum est diminuitione pretij, & si census emitur cum pacto reuenditionis in fauorẽ solius emptoris maiori pretio emendus est, quam secundum se valeat, quia onus tunc impositum venditori, compensandũ est augmento pretij, & si census ematur, & vendatur cum pacto redemptionis in fauorem venditoris, & cum pacto reuenditionis in fauorem emptoris pluris emendus est, quam secundum se valeat (quamuis nõ tanto excessu, quanto si pactũ fuisset in fauorem solius emptoris) quia onus, quod imponitur venditori, est maius, quã quod imponitur emptori, & ob id quando pactũ fit in fauorẽ solius venditoris, minus decrescit pretiũ census secundũ se, quã crescat quando

pactum

pactum sit in fauorem solius emptoris. Quantum autem crescat, aut diminuatur pretium census in dictis casibus redimibilitatis illius, & quando possit fieri eodem pretio, cōstat ex dictis tract. de contractibus disp. illa 2. diff. 2. pretium verò census irredimibilis, à venditore ante certum tempus debet esse maius quā pretium census, semper redimibilis, & eo debet esse maius, quo tēpus, quo redimi non potest sit longius, & eo minus, quo id tempus sit breuius, & pretium census redimibilis ante certum tēpus, & post illud irredimibilis debet esse minus, quam pretium cēsus semper irredimibilis, & eo minus, quo tempus, quo potest redimi sit longius, iuxta prædicta.

Difficul. VI. Vtrùm pactum, quo censuarius obligatur ad pensionem, quamuis res, aut persona census subiecta casu pereat, aut fiat inutilis ad pensionem sit licitum iure naturali?

NON Defuere, qui existiment tale pactum iure naturali esse iniustum, quia sit contra naturam contractus census, quia hic exigit, vt pereunte eo, in quo fundatur, aut facto inutili, etiā pereat census ipse.

Lessius verò, dub. 11. Filliuc. tract. 35. cap. 10. & alij, docēt, dictum pactum esse iure naturali iustum, si onus venditori cēsus impositum augmento pretij census compensetur, quia quamuis ex vi contractus census nequeat censuarius ad id obligari, potest tamen ex vi alterius contractus superadditi, vel assecurationis, vel census personalis, sicut posset alia tertia persona obligari, facta compensatione oneris, à censuario suscepti, quia dictum pactum superadditum, quamuis sit supra, vel vltra naturam contractus census non tamen est contra eam, eum destruens. Vndè quā uis pereunte eo in quo census fundatur pereat obligatio census, manet tamen obligatio orta ex pacto, seu contractu assecurationis, vel alterius census superadditi. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Dictū ergo pactum superadditum censui, aut reali, aut personali, aut mixto, quo censuarius obligatur ad annuam pensionem

pereunte, vel facta inutili re aut persona, aut vtraque censui subiecta, potest fieri subijciendo rem aliquam tamquam hypothecam, & etiam superaddendo censui reali alterum censum realem, aut personalem, aut vtrumque, & cēsui personali alterum realem, aut alterum personalem, nempè, censui fundato in persona secundum se, superaddendo censum personalem fundatum in eadem persona, vt fructifera, ratione bonorum in re, vel in spe, aut è contra censui fundato in persona vt fructifera, ratione bonorum superaddendo censum fundatum in persona secundum se.

Difficultas VII. Vtrùm pactum ad amissionem rei censui subiectæ, vel ad subeundum aliud malum, si non soluat pensionem tempore statuto, sit iure naturali licitum?

CIRCA Hanc difficultatem Lessius dub. 11. Filliucius c. 1. in fine, & Bartholom. à Sancto Fausto disput. 18. quæst. 66. docent, dictum pactum esse iure naturali licitum, & meritò. Quia in eo nulla apparet iniustitia, dum onus amittendi rem censui subiectam, aut subeundi aliud malum censuario impositum, iusto pretio compensetur augmento, videlicet, pretij proportionato ipsi oneri censuario imposito, aut aliquo alio, quia hoc onus est contractui census superadditum, & aliquo pretio dignum.

Obseruandum tamē est, quòd si dicta amissio, aut aliud malū cadens sub dictum pactum, imponatur tamquam vera pœna, non incurritur, nisi omissio solutionis fuerit verè culpabilis, quia vera pœna non incurritur, nisi ob veram culpam: tamen tunc minore augmento pretij compensabitur hoc onus cēsuario impositū, quia est minus.

Quod si iure naturali dictum pactum est licitum, multò melius erit licitum pactum soluendi lucrum cessans, & damnū emergens, aut alterum eorum, quia ad id tenetur censuarius iure naturali absque pacto, ratione delicti damnificationis, quando omissio solutionis est culpabilis.

Pactum etiam, quo censuarius obligatur ad non vendendā rē cēsui subiectā, nisi id prius manifestet cēsualistæ, est iure naturali licitum,

licitum, quia in eo nulla reperitur iniustitia, dum dictum onus impositum censuario augmento pretij, vel alio recompésetur, quia ex vna parte hoc onus est contractui census supperaditum, quia eo pacto secluso, censuarius ex natura rei liber est ad vendendam eam rem, quia est vere dominus illius, & nullo impeditus ad id, dum venditione rei solutio pensionis non fiat difficilior, ac erat, quando venditus fuit cẽsus, & ex altera parte dictũ onus est recompensatione dignum.

Pactum quoque, quo censuarius obligatur ad dandam aliquam partem pretij censualistæ, si rem censui subiectam vendat, est iure naturali licitum, quia etiam in eo nulla reperitur iniustitia dum dictum onus cẽsuario impositum aliquo recõpensetur, quia hoc onus est cõtractui cẽsus supperaditũ, & aliquo pretio dignũ.

Pactum etiam, quo censuario conceditur licentia redimendi censum per partes, licitum est iure naturali, quia in eo nulla reperitur iniustitia, dum ea licentia cedens in commodum censuarij recompensetur diminutione pretij, vel aliquo alio.

Ex dictis in hac, & in præcedentibus difficultatibus constat, quod vt contractus census sit iure naturali, seu ex natura rei licitus, non amplius requiritur, quam quod sit æqualitas inter cẽsum & pretium, & quod si superaddatur aliquod onus, seu grauamen ipsi contractui census cõpensetur, aut diminutione pretij, aut aliquo alio, si imponatur emptori in fauorẽ vẽditoris, aut augmẽto pretij, vel aliquo alio, si imponatur venditori in fauorẽ emptoris.

Difficul. VIII. Quæ requirantur iure positiuo canonico, vt contractus census sit licitus?

CIRCA Contractum census æditæ sunt tres Bullæ Pontificię, prima est Martini Quinti pro Germania, quæ approbata fuit à Calixto Tertio, vt constat ex Extrauagantibus prima, & secunda de emptione & venditione. Secunda est Nicolai Quinti ordine quarta pro Regno Neapolitano, & Siciliæ, & eam pro Regno Siciliæ vltra Pharum approbauit Gregor. XIII. Tertia Bulla est Pij Quinti ordine 80. quæ in Castella, & in alijs nonnullis Prouincijs non est recepta.

Martinus V. ergo, & Calixtus III. in dicta Bulla quinque tradunt circa contractum cẽsus. Primò, quod census constituatur super re aliqua expresse assignata, & ea sola maneat solutioni pensionis obligata, & non aliàs res, nec ipsa persona censuarij. Se-

cundò tradunt, quod emptor census soluat iustum pretium, & illud statim numeret. Tertiò, quòd venditori sit liberum redimere cēsum eodem pretio quando voluerit, & siue totum, siue per partes. Quartò, quòd venditor non obligetur ad redemptionem census. Quintò, quòd si res censui subiecta casu pereat, etiam pereat cēsus ipse. Sextò, quòd pensiones soluendæ non superent valorem fructus rei, super qua constitutus sit census.

Circa hæc sex est difficultas, an ea sint necessaria ex vi dictæ Bullæ, vt census sit licitus.

Miranda in summa Concil. post Florentinum, & Lopez, lib. de contractib. cap. 55. partem affirmatiuam tuentur, quia census aliter impositus videtur à dictis Pontificibus prohibitus.

Sotus verò, lib. 6. quæst. 5. art. 1. & 3. Couarr. 3. variar. cap. 7. numer. 5. Molin. disput. 389. Lessius cap. 22. dub. 12. & Bartholom. à Sancto Fausto, disput. 18. quæst. 8. partem negatiuam tradunt, & meritò. Quia dicti Pontifices in Bulla nihil prohibēt, nec præcipiunt, sed consulti an census sic institutus, sicut in Germania fiebat, sit licitus, eum sic institutum approbant, solum ergo ex eis sex, sunt necessaria vt sit licitus, ea quæ iure naturali, vel alio iure positiuo sic requiruntur.

Nicolaus Quintus in prædicta Bulla quatuor assignat in instituendo, censu cum quibus ait licitè contrahi. Primum est, quòd census possit institui, vel specialiter super re aliqua expresse assignata, vel generaliter super omnibus bonis. Secundum est, quòd apponatur pactum de retrouendendo eodem pretio. Tertium, quòd annua pensio non excedat decimam partem pretij, id est, quod non sit vltra decem pro centum. Quartum est, quòd pro securitate possint apponi pacta, & pœnæ.

Hæc quatuor non assignat Pontifex tamquam necessaria, vt contractus census fiat licitè, vt aduertit Bartholom. à Sancto Fausto, vbi supra, sed declarat, quòd factus cum illis est licitus: in ea enim Bulla Pontifex tantum approbat censum solitum institui in Regno Neapolitano, & Siciliæ, qui cum prædictis quatuor solitus erat ibi institui.

Pius Quintus in dicta sua Bulla plura assignat, statuens contractum census, absque illis celebratum esse vsurarium, & nullum, ac proinde in Prouincijs, in quibus ea Bulla recepta est, contractus census absque illis celebratus habendus est talis, saltem

saltem in foro exteriori, sed an etiam in foro interiori conscientiæ? dicimus ad finem difficultatis.

Primum ergo, quod à Pio Quinto, ad honestatem, & valorem contractus census, saltem in foro exteriori, requiritur est, quòd census non instituatur nisi super re immobili, aut quæ pro immobili habeatur de sui natura fructifera, & nominatim certis finibus designata.

Circa eam particulam *super re*, quæ primo ponitur in dicto primo requisito, est difficultas, an per eam excludatur, & reprobetur census personalis?

Nauarr. de vsuris, num. 128. & Lopez, lib. 1. cap. 15. partē negatiuam tuentur, quia in ea Bulla Pius Quintus tantum loquatur de censu reali, & de eo statuit, quod nō instituatur super quacumque re, sed tantum super immobili. Quod confirmatur ex eo quod post dictam Bullam, census vitalitius personalis fuerit cōmuniter in vsu, etiam Romæ, qui non fuisset, saltem Romæ, si per eam Bullam excluderetur.

Molina verò, Rebell. Lessius, Filliucius, & Bonacina, disp. 2. q. 4. n. 16. partem affirmatiuam tradunt, & meritò. Quia ex vna parte in ea Bulla quando assignatur primum requisitum, sermo est de censu in communi prout abstrahit à reali, & à personali, vt nomine census significatur, quia nomine census nullo ei superaddito, census in communi significatur, & ex altera parte nomine *rei*, absque dubio, intelligitur res, prout destinguitur à persona, cum iure naturali etiā possit institui super persona prout cōdistincta à re. Ex quo constat ad rationem aduersariorum falsum esse quod Pius Quintus in ea Bulla tantum loquatur de censu reali.

Et ad confirmationem respondemus, vt optimè Rebellus, Filliucius, & Bonacina, numer. 19. contractum illum vitalitium fuisse, etiam Romæ, in vsu post dictam Bullam, non vt censum fundatum super persona, vt fructifera ratione industriæ, aut aliter, sed vt contractum innominatus, quo persona pro pecunia sibi data obligabatur ad aliquam summam quolibet anno pro sua vita, non tamquam ad pensionem aliquam ex persona tamquam fructum ipsius personæ, sed tamquam ad partem solutionis summæ acceptæ, attento periculo soluendi plusquam accepit, vel minus ob incertitudinem vitæ personæ assignatæ.

Secundò, in dicto requisito primo, dicitur & additur *immobili*, vt agro, & domo, *aut quæ pro immobili habeatur*, vt vectigalia perpetua, & officia perpetua, si aliàs fructus reddant, & cēsus perpetuus irredimibilis, quia hic pro immobili habetur, vt constat ex Clementina *exiuit*, §. cumque annui redditus, de verborum significatione.

Est tamen difficultas, an sit contra Bullam fundari in censu perpetuo redimibili?

Circa quam contra Molin. disput. 189. & contra Azorium, cap. 7. de censibus, quæst. 1. existimamus posse, vt aduertunt Rebell. lib. 10. quæst. 6. & Bonac. disp. 3. quæst. 4. Quia census perpetuus, quamuis redimibilis, habetur pro immobili, vt satis significatur in dicta Clementina *exiuit*, dum absolutè, & absque limitatione dicitur annuos redditus inter immobilia censeri, & satis congruenter, quia census perpetuus, quamuis redimibilis, & adueniente extrinseca redemptione extinguatur, ex se tamen, & quasi ab intrinseco est perpetuus, quia potest perpetuò durare, sicut domus dicitur immobilis, quia ex se est humano modo perpetua, quamuis ab extrinseco igne, aut aliter possit destrui, & sicut census perpetuus, irredimibilis etiam, censentur immobilis, quamuis condonatione, seu remissione censualistæ possit extingui, quia potest perpetuo durare.

Tertiò, in dicto requisito dicitur, & additur, *de sui natura fructifera*, quòd Pontifex statuit ad tollendā occasionē vsurarū, ne recipiatur aliquid quasi ex mutuo, quia si emptio census fundatur super re non fructificante valorem pensionis soluendæ, aut esset mutuum, aut proxima mutuo, non est autem necessarium quod ea res censita ferat quolibet anno fructus, dum fructus plurium annorum adæquent pensiones solutas, & in posterum soluēdas, & rem esse fructiferam, etiam conuenit censibus saltem mediatè ratione rei fructiferæ, in qua fundantur.

Quartò, in eo dicitur & additur, *& nominatim certis finibus designata*, id est, super re, aut super rebus, quamuis pluribus, speciatim nominatis, vt excludantur census instituti super omnibus bonis præsentibus, & futuris, quod non tollit præter rem, aut res, super quibus instituitur census posse etiam addi, *& super omnibus alijs bonis præsentibus & futuris*, ea addendo tamquam hypothecas ad securitatem solutionis pensionis dum duret census, qui durat dum durat res, super qua sit institutus.

Se-

Secundum, quod à Pio Quinto in dicta Bulla requiritur ad honestatem, & valorem contractus census, saltem in foro exteriori, est quod ematur recepto integro iusto pretio in pecunia numerata, præsentibus testibus, & notario, & tempore celebrationis instrumenti, quo celebratur, & perficitur contractus.

Circa hoc secundum requisitum obseruandum est, contractum census absque eo requisito celebratum esse illicitum, quamuis iusto pretio ematur, ob prohibitionem Bullæ factam ob periculum vsuræ, & etiam esse nullum, saltem in foro exteriori, quando pretium de quo fuit conuentum non soluitur, & totum numerata pecunia. Est autem nullus ex vi dictæ Bullæ vbi recepta est, siue totus, quando nihil pretij soluitur modo in ea requisito, siue tantum quoad partem, quando non soluitur totum modo dicto, sed tantum aliquid quoad eam, videlicet, partem, quæ correspondet defectui solutionis in pecunia numerata, ac proinde tunc non debentur pensiones quoad partem, cui correspondet dictus defectus, est tamen validus quoad omnes suas partes, quamuis pretium, quo emitur, sit diminutũ, dum soluatur totum pretium, de quo conuentum est, tamquam iustum, & soluatur modo requisito in dicta Bulla.

Est tamen difficultas, an quando census ob defectum pretij re ipsa iusti est illicitus, & non annullatur iure aliquo positiuo (sicut nec annullatur iure positiuo dictæ Bullæ) an scilicet tunc censualista possit integram pensionem percipere, an verò tantũ partem pensionis correspondentem parti census, cui correspondet pretium iustum, quo emptus fuit totus census, v.g. an quando cẽsus valens quindecim, emitur decem, tunc censualista possit percipere integram pensionem, an verò solum pensionem correspondentẽ duabus partibus, quibus correspondet iustum pretiũ, & nõ correspondentem tertiæ parti, cui nullum pretium correspondet.

Supponimus, tunc censualistam teneri supplere, seu restituere defunctum iusti prætij, & lucrum cessans, & damnum emergens censuario ex defectu iusti pretij, si aliquod ei euenit.

Hoc ergo supposito circa difficulatem, Molin. disp. 390. Salas dub. 23. & Mantica de tacit. & ambig. conuent. lib. 8. tit. 22. num. 8. docent, non posse integram pensionem percipere, sed tantum partem correspondentem parti, cui correspondet iustũ pre-

precium, quia tunc censualista nō videtur factus dñs totius cēsus, sed tantū illius partis, cui correspondet iustum pretium datum.

Medina verò, quæst. 15. dub. 4. Lessius dub. 15. Bonacin. q. 4. n. 23. & Bartholom. à S. Fausto disp. 18. q. 34 docēt, posse integram pensionem percipere, & meritò. Quia tunc censualista fit dominus totius census, quia pro toto eo pretium quamuis diminutum, dedit, sicut qui pretio diminuto emit agrum, fit dominus totius agri, & potest omnes fructus illius percipere. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Tertium, quòd à Pio V. requiritur est, ne pensiones anticipatæ in pactum deducantur, id est, ne venditor census cogatur soluere pensionem ante tempus elapsum, (quod iure etiam naturali requiritur ad iustitiam contractus, nisi tale onus censuario impositum aliquo compensetur) ac proinde emptor census nequit tempore contractus exigere pensionem primi anni.

Quartum, quòd à Pio V. requiritur est, ne vēditor census obligetur ad casus fortuitos, id est, ne obligetur ad pensionem, si res censui subiecta pereat, vel fiat infructifera.

Quintum, quòd à Pio V. requiritur est, ne venditor census obligetur ad non alienandam rem, quam censui subijcit, nec ad soluendum censualistæ laudemium, id est, quinquagesimam, vel aliā partem pro facultate illam alienandi ab ipso obtenta.

Sextum, quòd à Pio V. requiritur est, quòd censuarius volēs vendere rem censui suppositam, id indicet censualistæ, & pretiū, & conditiones quibus vendenda est, & eum alijs præferat, & per mensem eum expectet, vt eam emat, si velit.

Septimum, quod à Pio V. requiritur est, quôd non fiat pactū quo censuarius, si non soluat pēsionem tempore assignato, teneatur ad aliquam pœnam, aut ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquas expensas, aut salaria. Sed quamuis id nequeat iure positiuo huius Bullæ in pactum deduci, ne fortè sit fraus aliqua vsuraria: iure tamen naturali censuarius, tenetur ad expensas factas in adipiscēda solutione pensionis, & ad interesse lucri cessantis ex mora culpabili censuarij, & etiā ad interesse dāni emergētis: imò pactum solutionis huius damni non prohibetur iure dictæ Bullæ.

Octauum, quod à Pio V. requiritur est, quòd census antea constitutus non augeatur, nec nouus constituatur ex pensionibus tàm debitis, nec ex soluendis in futurum, quod non tollit posse augeri, & de nouo constitui pensionibus iam solutis, & de nouo à cēsualista enumeratis cēsuario, modo supradicto. No-

Nonũ,quod à Pio V. requiritur eſt,quod ad ſolutiones,onerũ ſi quæ ſunt,non obligetur is, ad quem ex natura contractus, & de iure non pertinet, v.g.ſi ex conſuetudine pertineat ad emptorem cenſus aliquid Fiſco ſoluere,nequeat venditor ad id obligari.

Decimum,quod requiritur eſt, quòd re cenſui ſubiecta in totum,vel in partem in perpetuum pereunte,vel facta infructuoſa, pereat cenſus pro rata,nempè,in totum,vel in partem,& in maiorem,vel minorem pro rata. Vndè ex vi huius Bullæ cẽſualiſta nequit exigere fideiuſſorem pro aſſecuratione ſolutionis penſionis, ſi res pereat,vel fiat infructuoſa,quamuis ex vi iuris naturalis cũ poſsit exigere.

Sed ad quando res cenſui ſubiecta diuiditur inter plures hæredes,vel inter plures emptores illius,poſsit cenſualiſta à ſingulis totam penſionem exigere, eſt ſub controuerſia, ſuppoſito hoc decimo requiſito.

Circa quam Nauar.de vſur.n. 118. & Leſs.dub. 12.n. 89.exiſtimãt poſſe,quia aliàs conditio cenſualiſtæ fieret peioris conditionis ex multiplicatione hæredum,aut emptorũm.

Couar.verò, 3.var.c. 7.n.8.& alij exiſtimant non poſſe, ſed tantũ partẽ ſolutionis, pro rata & meritò.Quia ſuppoſito eo iure huius Bullæ,res quo ad omnes ſuas partes eſt ſubiecta cenſui pro rata,& ob id ea re pereunte in partem, perit cenſus in partem. Ergo quando ea res diuiditur inter plures,ſiue hæredes, ſiue emptores,ſiue donatarios,nequit à ſingulis tota penſio exigi,ſed in partem pro rata,quod autem cenſualiſta ſit expoſitus ei incommodo,eſt conforme dicto contractui,ſuppoſito dicto iure,ob periculum autem incommodi cenſus minoris eſt vendendus,quam valeat ſecundum ſe.

Addidimus, *ſuppoſito eo iure huius Bullæ*, quia eo ceſſante poteſt cenſualiſta à quolibet ex illis exigere totam penſionem, cuius pars rei, quam habet, ſit fructifera, ac proinde totam cenſus, ſi pars rei ab eo poſſeſa ſit fructifera totius, quia eo iure Bullæ non exiſtente, dum aliud in contractu cenſus non exprimitur, quælibet pars rei cenſui ſubiectæ eſt ſubiecta toti penſioni,cuius ſit fructifera,& ob id quamuis pars aliqua rei pereat,vel fiat infructifera,quod ex ea re ſupereſt,manet toti penſioni ſubiectum,ſi ſit fructiferum totius.

Vndecimũ requiſitũ à Pio V, eſt,quod cẽſuarius poſsit redimere cenſum eodem pretio, quo fuit venditus, non obſtante quocumque pacto,quo directè,vel indirectè talis facultas adimatur

cenſua-

censuario; & quod vt censuarius possit redimere censum, debet id censualistæ denuntiare ante bimestre, vt censualista cogitare possit, in quo possit collocare pretium census sibi dandum à censuario, & quod si censuarius intra bimestre post denuntiationem non redimat, possit ad id cogi intra annum à censualista, non tamen eo anno transacto, hoc tamen vndecimum requisitum non tollit censuarium posse censum redimere minore pretio, si censualista annuat, & census iam valeat minoris absque culpa censuarij, ex hoc requisito constat iure huius Bullæ, vbi recepta est census irredimibiles excludi.

Circa dicta requisita à Pio Quinto obseruandum est, vt optimè Molin. disp. 392. Salas, Lessius, Filliucius, & Bonac. in fine, ea tantum à Pontifice requiri ad censum, qui ex conuentione partium emptione & venditione constituitur, nõ verò ad cẽsum, qui sententia iudicis, aut testamento, aut donatione, aut constitutione dotis, aut aliter fundatur.

Superest tamen circa prædicta requisita difficultas, primo an contractus census, & reliqui ipsi additi, seu adiecti, de quibus fit mentio in Bulla; absque eis requisitis facti habendi sint tamquam nulli & vsurarij, seu fœneratitij? Quia Pontifex in ea Bulla postquam eos retulit, *addit contractus sub alia forma post hac celebrandos fœneratitios iudicamus.*

Circa quam contra nonnullos existimamus, non solum contractus censui adiectos esse nullos, & iudicandos vsurarios, sed etiam ipsum contractum census cui adijciuntur. Quia Pontifex generaliter loquitur absque limitatione, ad aliquos tantum contractus ex relatis ab ipso.

Secundò est difficultas, an dicti contractus absque dictis à Pontifice requisitis celebrati, quamuis non requisitis iure naturali, sint habendi nulli & vsurarij in foro tantum exteriori iudiciali, & quoad præsumptionem, an etiam re ipsa in foro conscientiæ.

Circa quam sunt, qui probabiliter existiment esse tantum nullos, & fœneratitios in foro exteriori, & sunt, qui etiam probabiliter existiment etiam re ipsa, & in foro conscientiæ esse tales.

Nos tamen existimamus esse re ipsa, & in foro conscientiæ nullos, quia id potuit fieri à Pontifice, & in ipso sufficienter significatur, non tamen esse re ipsa vsurarios, seu fœneratitios, quia re ipsa non sunt iniusti, ac proinde non sunt vsurarij materialiter re

ipsa,

ipſa, & in foro conſcientiæ eſſe iure vſurarios, ſeu iniuſtos formaliter, ſeu quoad malitiam, quia ſunt contra prohibitionem qua prohibentur ob periculum vſuræ, & iniuſtitiæ, quia eſt in eis aliqua ſpecies, & ſimilitudo, & periculum vſuræ.

DISPVTATIO I.
De Cambio.

Difficultas I. Quid ſit cambium?

CAMBIVM Generaliter, & latè ſumptum, nihil aliud eſt quã permutatio rei pro re: cambire enim idem eſt, quod commutare, ſeu permutare.

Cambium verò ſpecialiter, & ſtricte ſumptum, de quo diſputamus, *eſt permutatio lucroſa pecuniæ pro pecunia diuerſa*, ſiue ſit diuerſa in ſpecie, vt quando eſt diuerſa, vel quo ad materiam, vel quo ad figuram, vel quo ad pondus, ſiue ſit diuerſa quo ad locum. In qua definitione *permutatio* eſt genus, vel quaſi genus, reliquæ verò particulæ ponuntur pro differentia, quia per illas particulas, *pecuniæ pro pecunia diuerſa*, cambium differt à permutatione aliarum rerum: & per illam particulam, *lucroſa*, diſtinguitur à ſimplici permutatione pecuniæ pro pecunia diuerſa, quia cambium conſiſtit in dicta permutatione ob lucrum facta.

Cambium ergo diſtinguitur à mutuo, quia mutuum non eſt commutatio, ſed eſt traditio rei, aut pecuniæ, poſt aliquod tẽpus in eadem ſpecie reſtituendæ. Cambium verò eſt permutatio pecuniæ pro pecunia, aliquo modo ex prædictis diuerſa, & non neceſſario poſt aliquod tempus reſtituendæ: imò non eſt completum quouſque ſecunda traditio pecuniæ diuerſæ correſpondens primæ facta ſit ab eo, qui prius accepit pecuniam: (imò per primam traditionem non transfertur dominium abſolutè, quamuis abſolute permittatur, ſed tantum transfertur ſub conditione exiſtentiæ ſecundæ traditionis) quia vſque ad illam non eſt facta perfectè permutatio. Ille autem qui in gratiam alterius permutat pecuniam, ſeu eam cambit, dicitur *campſor*, & ille in cuius gratiam permutatur, dicitur *campſarius*.

Obſeruandum eſt officium campſoris eſſe iure naturali cuilibet licitum. Iure tamen poſitiuo canonico, prohibitum eſt Cleri-

Clericis, quia est prohibita generaliter negotiatio, & iure positiuo ciuili in Hispania prohibitum est officium campsoris, custodiæ, seu depositarij eis, qui non depuntantur à Republica: & in aliquibus Prouincijs, officium campsoris diuersarum pecuniarum; nulli tamen prohibitum est semel, aut iterum cambire, quòd non exercetur per modum officij.

Difficul. II. Quotuplex sit cambium?

CAMBIVM Est duplex, alterum Reale, & alterum siccum. Cambium Reale est permutatio lucrosa, pecuniæ pro pecunia diuersa, facta iusto titulo ad lucrum: hoc autem cambiũ est duplex, alterum minutum, alterum locale. Cambium minutum contingit, quando fit permutatio pecuniæ pro pecunia diuersa in specie, vel quasi specie, vt pecuniæ aureæ pro argentea, & argenteæ pro ærea; & pecuniæ patri pro extera. Et dicitur minutum, quia campsor regulariter dat pecunias grandiores pro minutioribus, vt auream pro argentea. Et etiam dicitur manuale, quia solet perfici de manu ad manum, in eodem loco & tempore.

Cambium locale est, permutatio pecuniæ præsentis cum absente, seu existente in loco distante: quòd etiam dicitur, cambium per literas, quia regulariter dantur literæ quibus mandatur correspondenti, vt restituat pecuniam in eo loco distante. Cambium autem locale, est duplex; alterum, in quo campsor prior accipit pecunias à campsario, vt ei illas restituat in loco distante; alterum, in quo & è contra, campsarius prior accipit pecunias à campsore, vt ei illas recipiat in loco distante.

Cambium siccum præcipuè contingit, quando quis indigens pecunijs eas petit à campsore, qui ei illas tribuit sub conditione, quòd sibi restituantur in alio loco distante, in quo campsarius nullas habet pecunias, nec correspondentem, & quod sibi restituantur in eo cum lucro consueto. Cambium autem istud dicitur siccum, quia caret titulo ad lucrum, & sic caret humore ad fructificandum.

Prædictis cambijs potest addi cambium custodiæ, quòd est impropriè cambium, de quo in fine non nihil dicemus.

Diffic.

Diffic. III. Quibus titulis, seu causis licitum fiat, cambium minutum?

CONVENIVNT Doctores, cambium minutum illud, videlicet, in quo regulariter dantur pecuniæ grandiores pro minutioribus, & aliquando è contra minutiores pro grandioribus exigendo aliquid, vltra valorem legalem pro ea permutatione posse licitè fieri. Est tamen difficultas, quibus titulis, seu causis fiat licitum?

Primus ergo titulus, & sufficiens ob quem campsor potest lucrum exigere ob cambium minutum, est officium si ex officio cambit, quia occupatio, & opera in congregando pecunias, & in expectando, & in paratum se exhibendo ad eas permutandas in gratiam, & ad petitionem campsariorum digna est aliqua compensatione, & aliquo lucro.

Secundus titulus ad id sufficiens, est obligatio ad cambiendũ, si campsor verè est obligatus ad id, quia obligatio illa contracta in gratiam campsariorum est alicuius æstimationis.

Tertius titulus ad dictum lucrum, sufficiens in cambio minuto pecuniæ grandioris, pro minutiore est cessatio alicuius commoditatis, quæ cessat campsori, permutando pecuniam grandiorem, v. g. auream pro minutiore, verbi gratia, ærea, quia pecunia grandior est commodior ad negotiandum, quia commodius numeratur, & transfertur, & etiam est diuturnior, seu magis durat: & etiam est pulchior, & visui gratior.

Quod si contra hunc titulum obijcias, quòd Princeps in taxatione pretij pecuniæ grandioris attenderit ad omnem vtilitatem, & commoditatem illius, aliàs non iuxtè taxaret, quia omnis vtilitas illius ad eius valorem conducit: ergo ob dictum titulum non est pro cambio pecuniæ vtilioris exigendum aliquid vltra valorem Regalem à Principe taxatum. Respondemus, quòd quamuis Princeps ad prædicta attenderit ad taxandum pretium pecuniæ, quatenus pecunia est mensura ad emptionem, & venditionem rerum, & ad solutionem debitorum, non tamen vt pecunia est res quædã, quæ potest emi, & vendi, & cambiri, & locari: & quãuis Princeps augeret pretiũ pecuniæ grãdioris, vt est mẽsura rerũ venaliũ, & solutionũ debitorũ addendo

supra

supra pretium legale taxatum in ordine ad emptionem, venditionem, & solutionem, pretium taxatum in ordine ad permutationem, nihilominus semper commoditas, & vtilitas monetæ grā dioris esset sufficiens, vt totum illud pretium in ea moneta esset maioris æstimationis, quàm idem pretium in moneta minutiore, pretium enim vt duo admissum, & currens in moneta aurea maioris æstimationis est, quàm in ærea ob dictas commoditates pecuniæ grandioris.

Ex dictis constat, quòd si quis tradat, v.g. famulo suo, pecuniam auream, vt soluat creditori ipsius domini tradentis nō curantis, qua specie pecuniæ fiat solutio, quamuis famulus eā permutet pro ærea cum lucro, & hac pecunia ærea soluat creditori domini sui retento sibi lucro non teneri ad restitutionem illius lucri, vt aduertunt Les. cap. 23. dub. 2. & Bonacin. q. 5. quia non tenetur suo domino, & pecuniæ, quia lucrum illud fuit fructus industriæ, & negotiationis famuli, & non valoris illius pecuniæ in ordine ad solutionem, quæ sola fuit commendata famulo, nec tenetur lucrum illud restituere creditori, quia ei nō erat debita pecunia aurea, & ipsi integre satisfit pecunia illa ærea: si tamen voluntas domini erat, quod eam pecuniam auream traderet creditori si cum non tradat, quamuis venialiter peccet contra iustitiā in creditorem: imò etiam in suum dominum non soluendo pecunia illa aurea, ad nullam tamen restitutionem tenetur, si creditor ea non erat lucraturus, sed eam erat pretio legali expositurus, quia tunc nihil damni fecit: si tamen ea erat lucraturus non solum peccat mortaliter, aut venialiter, iuxta quantitatem lucri ipsi creditori cessantis, sed etiam tenetur ad restituendum creditori tātum quanti spes illa lucri æstimetur, quia non soluendo pecunia illa aurea fuit causa iniusta cessationis lucri.

Quod si campsor det pecunias minutiores pro grandioribus, in gratiam campsarij non poterit ob dictum tertium titulum aliquid exigere, vt patet, sed tantum ob alios: imò tunc lucrū quod ob alios titulos potest exigere diminuendum, aut extinguendum est ad arbitrium viri prudentis ob dictum tertium titulum tenentem se, tunc ex parte campsarij.

Quartus titulus, & sufficiens, ob quem dictus contractus potest licitè fieri, est generalis multis contractibus, nēpè, lucrū cessans, aut damnum emergens, quando alterum eorum, & multò melius quando vtrumque contingit: quia si campsor, vt cambiat

in

in gratiam campſarij non transfert pecunias aureas ad locum in quo pluris valent, vel non emit merces, quos empturus eſt, & ea alia moneta non poſſunt niſi carius emi, poteſt abſque dubio lucrari, ſeu vltra pretium legale exigere tantum quanti æſtimetur ſpes illa lucri, aut exponi periculo damni in gratiam campſarij

Obſeruandum eſt pro hoc, & omnibus alijs cambijs, quòd quando in cambio aliquo fuerint plures, & maiores tituli ad exigendum lucrum eo ipſo poterit pro eo exigi maius.

Difficul. IIII. Quibus titulis, ſeu cauſis licitum fiat cambium locale, in quo campſor prior accipit pecunias.

CIRCA Cambium reale, locale, ſeu per literas in quo campſor prior accipit pecunias, vt in alio diſtante eas reſtituat campſario ab eo exigendo aliquod lucrum, conueniunt DD. poſſe licitè fieri (quod credimus verum, quamuis fiat intra eandem Prouinciam) & merito. Primò, ratione officij, ſi ex officio cābit. Secundò ratione obligationis, ſi ex obligatione cambit, ob eaſdē rationes, ob quas id etiam diximus de cambio minuto.

Tertiò, id poteſt licitè fieri ratione translationis pecuniæ cāpſarij ex vno loco in alterum diſtantem, v. g. ex Curia Matritenſi, in Curiam Romanam, factæ in gratiam campſarij: quia ea translatio in gratiam illius facta, digna eſt aliqua compenſatione, nō ſolum quando translatio pecuniæ fit formaliter eamdem transferendo, ſed etiam quando fit virtualiter, ſeu æquiualenter, quia, ſcilicet, alius campſori correſpondens habet illas in illo alio loco diſtante, qui nomine campſoris eas dat campſario in eo loco, quia hæc translatio non eſt minus vtilis campſario, quam formalis, & fit induſtria, aut fortuna, aut vtraque campſoris in vtilitatem, & gratiam campſarij, ſicut quando nuntius iam conductus ad transferendum pecuniam aliquam in locum diſtantem, inuenit hominem, qui accepta ea pecunia in loco, ex quo nūtius erat eā tranſlaturus, offert, & gratis illam dare, & dat in loco illo remoto, poteſt licitè pretium translationis accipere, quia ſua induſtria, aut fortuna, aut vtraque, quamuis ſine incommodo, & labore fecit,

quod æquiualet translationi formali, & obsequium, quod homo ille præstat nuntio, dignum est pretio illo, vt contingit in locatione operæ ad reducendum equum ad propria si locans operam, inuenit qui eum reducat.

Quartò, id potest licitè fieri ratione assecurationis pecuniæ transferendæ factæ à campsore, quamuis tantum virtualiter efficiat, obligando se ad pecuniam illam saluam repræsentando in loco assignato, quia id est dignum stipendio aliquo sicut nuntius transferens pecunias, non solum est dignus stipendio, quia eas transfert, sed etiam, quia subit periculum earum eas assecurans, si illud subire vult, & de eo paciscitur. Vndè quo longius distat locus assignatus, & condictus, potest campsor maius lucrum exigere, quia tunc translatio pecuniarum est laboriosior, & assecuratio earum periculosior.

Quintò, dictum cambium potest licitè fieri, si pecunia quam accipit campsor, sit maioris pretij, in loco distante, in quo eam tribuit campsario, quam vbi eam accipit ab illo, iuxta ea quæ dicemus diff. 5.

Ex dictis cõstat campsariũ, quãuis prior tribuat pecunias cãpsori, vt eas in loco distante à campsore, vel ab ipsius correspondente accipiat, absque titulo, & contra rationem lucrari à campsore aliquid, quo minuatur lucrum campsori, ei tribuendo pecunias præsentes ex eo quod illa locatio pecuniæ sit commoda cãpsori alia commoditate distincta ab ea, quam affert præsentia pecuniæ, quia quãuis ei sit cõmoda, tamen id suę industrię, aut fortunæ dandum est, & ideo virtualis translatio, & assecuratio pecuniæ campsarij facta à campsore, non desinit esse digna lucro aliquo in ipso campsore, potest tamen campsarius aliquid lucrari à campsore, quo minuatur lucrum campsori, ex eo quod ei tribuit pecuniam præsentem pro absente, quia præsens est commodior, & facilior ad negotiandum.

Difficult. V. Quibus titulis licitum fiat cambium locale in quo campsor prior dat pecunias?

CIRCA Cambium reale locale, in quo campsor prior dat pecunias campsario, vt eas in loco distante ab eo recipiat ab

eo

eo lucrum aliquod exigendo, conueniunt cōmuniter DD. contra nonnullos quos refert Salas dub. 9. posse licitè fieri (quod contra Sotū credimus verum, quamuis fiat intra eamdem Prouinciam, (vt aduertunt Lessius dub. 4. Bonac. q. 5. num. 6. & plures alij) & meritò, ob aliquos titulos & rationes.

In primis, potest licitè fieri ratione officij. Secundo ratione obligationis, sicut etiam diximus de duobus prædictis cambijs, ob eamdem omnino rationem.

Tertiò, ratione anticipatæ adductionis virtualis pecuniæ absentis campsarij ad locum præsentem, in quo eam accipit à campsore, quia campsor dans pecuniam præsentem pro absente, virtualiter, seu æquiualenter affert ad præsentem locum pecuniam absentem campsarij accipientis præsentem pro sua absente, quam afferre indigebat, ad hunc locum, in quo ea eget.

Quartò, ratione virtualis assecurationis pecuniæ campsarij, quę fuit ad hunc locum virtualiter adducta, factę in gratiā campsarij: & quamuis campsarius, etiam virtualiter, transferat in locum distantem pecuniam campsoris, & eam assecuret, quod est vtile campsori, non obstat vt campsor ob dictam adductionem, & assecurationem virtualem pecuniæ campsarij possit, lucrum à campsario exigere, quia campsorius non efficit translationem, & assecurationem illam pecuniæ campsarij in gratiam illius, sed sui: & quod campsarius id efficiat tribuendum est fortunæ, aut industriæ, aut vtrique campsoris: sicut etiam qui reducturus est suum equum in patriam propriam, potest ab altero eunte ad eamdem patriam petente equum exigere pretium locationis equi, quia quod ille alter illum reducat tribuendum est fortunæ, aut industriæ, aut vtrique domini equi id desiderantis: & sicut è contra, qui iturus in patriam domini equi volentis eum in eam reduci potest exigere à domino equi pretium reductionis, si id faciat in gratiam domini equi quasi eflagitatus ab eo.

Quintò, dictum cambium potest licitè fieri ratione maioris æstimationis pecuniæ præsentis, quam tribuit campsor, quia pecunia præsens ex natura rei est facilior, & commodior ad contrahendum, quam absens. Vndè quando è contra campsor accipit præsentem pecuniam pro absente, ratione huius lucrum quod ob alios titulos potest exigere, decrescit aliquantulum.

Sextò, potest licitè fieri ratione maioris æstimationis pecuniæ in loco præsenti, in quo campsor illam dat, si verè magis æstimatur, vt potest contingere, siue maior æstimatio proueniat, ratione inopiæ pecuniæ, siue ratione necessitatis pecuniæ, siue ratione alius. Vndè si pecunia aurea eiusdē ponderis pluris æstimetur in loco præsenti, in quo campsor illā tribuit, potest ob id exigere maius lucrū: si vero è contra pluris æstimetur in loco absente, in quo cāpsarius illam dat, decrescet campsori lucrum, quod ob alios titulos potest exigere: & etiā decrescet si pecunia eiusdē ponderis pluris æstimetur, & valeat, quo ad pretium legale in loco præsente, in quo campsor illam dat, nisi permutatio fiat ponderis pro pondere, quia idem pondus pecuniæ habens in vno loco, v.g. in præsenti minus pretium, quam in alio, verbi gratia, in absente magis æstimatur in illo loco præsenti, quam in absente.

Septimò, dictū cābiū potest licitè fieri ratione incōmodorū, quæ ipsi carētię pecuniæ traditæ campsario annectuntur, nempè, ratione periculi non recipiendi pecuniam traditam, & pribationis cōmoditatis aliter negotiandi media illa pecunia, & ratione huius tituli potest plus lucri exigi, quo longius est tempus, in quod pecunia traditur campsario.

Octauò, ratione lucri cessantis, vt si pecunia, quā campsor dat campsario erat destinata maiori lucro, quod cessat, quia illam dat ad cambium in gratiam campsarij cognoscentis cessationem lucri, & idem est ratione damni emergentis.

Obseruandum est campsorem, cui campsarius soluit, posse non acceptare solutionem illius in sortem ipsam, nisi & soluat lucrum, & si non soluat totum sufficiens ad sortem, & ad lucrum, posse non acceptare in sortem, nisi quod superest post solutionem lucri, vt contra nonnullos aduertit Lessius dub. 10. qui debitum lucri est fructus debiti sortis ex sorte pendens, sicut etiam contingit in debito censuum, & in debito ex contractu societatis.

Circa cambium locale, in quo campsarius priùs accipit pecunias Pius Quintus in Bulla ordine 148 quæ incipit: *In eam*. Primò prohibet ne campsor ratione dilationis solutionis vltra tempus assignatum aliquid exigat, quia id exigere est manifesta vsura, nisi inde cesset lucrū aliquod, aut aliquod damnū emergat. Secūdò, prohibet ne ratione lucri cessantis, aut dāni emergentis

ali quid

aliquid certum, seu determinatum in principio definiatur, seu deducatur in pactum, soluendum, poterit tamen fieri pactum, quod satisfiet cessationi lucri, quod ex effectu ipso depræhensum fuerit cessasse, & damno emergenti, quod etiam ex ipso effectu fuerit depræhensum emersisse. Tertiò, prohibet ne cābium hoc fiat, nisi ad proximas nundinas, si agantur, & si non agantur, ne fiat nisi ad proximos terminos iuxta vsum locorum, in quibus fit dictū cambium, ac proinde non poterit fieri ad lōgiores terminos exigendo maius lucrum, quam ad dictos terminos, adhuc ratione lucri cessantis, nec damni emergentis, bene tamen maius non exigendo. Quartò, prohibet ne vbi ex vsu locorum non est constitutus terminus solutionis ad nundinas, constituantur longiores termini, quam exigit distantia loci, in quo facienda est solutio.

Hæ prohibitiones etiam tres posteriores, etiam obligant in foro conscientiæ vbi dicta Bulla fuerit recepta, quamuis non adsit fraus, & vsura, quia quāuis tres posteriores prohibitiones fundentur in præsumptione fraudis, & vsuræ, non tamen in præsumptione qua in casu aliquo particulari præsumatur, sed qua regulariter præsumitur, ac proinde, nisi regulariter cessent, nō cessant dictæ prohibitiones, quia non cessat id in quo fundantur.

Difficultas VI. Vtrùm Cambium siccum possit licitè fieri?

CAMBIVM Siccum præcipuè contingit in cambio locali, & in eo, in quo campsor prior dedit pecunias campsorio, qui offert soluere, aut dat literas campsario ad locum distantem, in quo nullas habet pecunias, nec formaliter, nec virtualiter, seu in correspondente, ac proinde campsor non transfert, adhuc virtualiter, pecunias campsarij ex illo loco distante ad locum præsentem, in quo eas dedit ipsi campsario, in quo campsarius eis indiguit, & ad quem eas transferre indigebat, quia campsor eum non liberat ab onere aliquo afferendi pecunias, quia nullas habet quas afferre posset, nec permutat suam pecuniam præsentem cū absente aliqua campsarij, quia iste nullas habet, in quo casu facilè etiam potest contingere recambium siccum, si campsor tunc quando prior dat formaliter pecunias campsario, aut postea paciscatur cum illo quod si tempore præfixo non soluat illas in illo loco distante, ad quem datæ illi fuerunt, accipiet eamdem sum-

mam pecuniæ,ad recambiũ cũ iterato lucro ex illo loco distante, in quo faciẽda erat solutio ad præsentẽ locũ,in quo tãdẽ cãpsari• soluit pecunias, quas tempore præfixo nõ potuit in loco pr. fixo.

Hoc ergo supposito,conueniunt DD.cambium siccum(nisi bo na fide campsoris factum sit)esse iniustum,& vsurarium,& vt talè damnauit Pius V.in dicta Bulla,quia tunc campsor accipit lucrũ pro sola temporis dilatione,quia tunc nullus alius titulus ad lucrũ exigendum interuenit,quia tunc nec fit permutatio pecuniæ præsentis campsoris pro absente aliqua campsarij , quia iste verè nullam habet,adhuc virtualiter,nec interuenit translatio aliqua, adhuc virtualis alicuis pecuniæ campsarij facta à campsore,vt supra dicimus. Et ob eãdẽ:imò & ob maiorẽ rationem , quæ etiam currit in dicto recambio sicco dicendum est de eo,quod,scilicet, sit iniustum,& vsurarium ex parte campsoris. Dictũ autẽ cãbiũ,& dictum recambium dicuntur sicca,quia carent titulo ad lucrum.

Addidimus dictũ cambiũ siccũ,*nisi bona fide cãpsoris factũ*,esse iniustũ,& vsurarium,quia si cãpsor bona fide processit credẽs cãpsariũ in loco distante habere pecunias formaliter,aut virtuali ter,tunc iuste potest cogere campsariũ,vt illũ contractum ex se licitum quẽ ipse campsor ex sua parte bona fide celebrauit,& im pleuit,etiã ille impleat,vel soluẽdo in loco,ad quẽ accepit soluẽ dũ,vel si in eo non possit,quod soluat vbi accepit pecunias à cã- psore cũ lucro,cũ quo ex loco illo distãte cãpsor medio suo correspondẽte dat alijs ad locum priorẽ,aut quod soluat aliomodo.

Addit Less.cap.23.dub.7.& non absque probabilitate, quod quamuis campsarius non habeat correspondentem in eo loco distante,ad quem accepit pecunias, medio quo possit correspondenti campsoris illas in eo loco soluere,& obtineat à campsore, vt ipse campsor,vel eius correspondens det ipsi campsario in eo loco distante pecunias,quibus campsarius ipse soluat in eo loco, siue det illas formaliter,siue virtualiter tantũ,dum ipse campsor, vel eius correspondens est contentus pro pecunijs datis in cambio in priori loco,tunc campsor in eo cãbio locali nõ committit iniustitiã,seu vsurã contra campsarium, quia tunc campsarius verè soluit campsori in eo loco,quo cõtractus ille cãbij cõpletur & literæ campsarij, quas dedit cãpsori nõ mittuntur inaniter, quia campsarius vi illarũ,se ostendit debitorẽ cãpsoris, & efficit solutionẽ,acceptis pecunijs,& lucro dicti cambij à campsore , vel à correspondente ipsius. Vndè non est iniustitia contra cãpsarium

in recambio, quod fit cum ipso campsario, quod eas pecunias ad soluendum acceptas, soluet cum itarato lucro in priori loco, ad quod etiam iterum dat literas.

Quod autem ea solutio, adhuc virtualis, facta à campsario me dio ipso campsore possit esse vera, & serio facta absque fictione, patet ex eo quod si apposita esset pœna aliqua cōuentionalis cāpsario, si nō solueret in loco illo distāte, ad quā factū fuit cābiū, aut imposita esset cēsura aliqua, neutrā incurreret cāpsarius, & nō minus prodest ea solutio campsario, ac si fieret per aliū amicum sui.

Diffi. VII. Vtrùm cābiū custodiæ possit licitè fieri?

CAMBIVM Custodiæ (quod improprie est tale) in eo consistit, quod cāpsor, seu numularius, seu bancarius, seu depositari9, custodiat pecunias apud se ab alijs depositas, & habeat rationem dati, & accepti, & paratus sit eas reddere cū petātur, & quod pro eo exigat lucrum, seu stipendium aliquod.

Circa hanc difficultatem, an scilicet dictum cambium, seu dictum officium possit exercere exigendo stipendium aliquod? cōueniunt DD. posse licitè fieri, quia depositarius est verè operarius custodiens pecunias depositas, & habens rationem dati, & accepti, & se obligans ad illas reddendas quando petantur, operarius autem dignus est mercede sua.

Est tamen difficultas à quo exigēdū est stipendium illud debitum campsori, seu depositario, an à deponentibus pecunias, an à creditoribus ipsorum quibus per depositarium sit solutio.

Sotus 6. de iust. q. 11. ar. 1. docet, dictū stipendiū, & totū exigēdū esse à dictis creditoribus, quia ea sit cōsuetudo in Republica.

Valenc. verò, disp. 23. pun. 3. Tole. lib. 5. c. 54. & Adam. disp. 4. q. 7. dub. 5. docēt, dictum stipēdium, & totum exigendum esse à deponentibus pecunias, seu à campsarijs, & nihil à creditoribus deponentium quibus fit solutio per depositarium. Quia totum, quod efficit depositarius ob quod illi debetur stipendium illud, efficit in gratiā deponentium, & nihil in gratiā creditorum quibus fit solutio, quia si aliquid efficeret in gratiā creditorū maxime eis numerare pecunias, id autē potius efficit in gratiā sui, sicut id etiā efficeret debitor deponens, ne plus soluat, quam in gratiam creditorum, quia hi potius vellent se ipsos, & solos numerare pecunias sibi dandas.

Nec verum est quod in Republica sit consuetudo, quam affirmat Sotus saltē approbata à Principe, quia est manifesta iniustitia contra creditores deponentium.

Obseruandum est circa lucrum omnium cambiorum, illud cēseri iustū in quolibet cambio, quod lege vigente, fuerit taxatum, & ea deficiente, id erit iustum, quod visum fuerit peritis in eo officio: hi autem ad taxationem illius attendere debent, ad ea quæ peculiariter pertinent ad iustitiam cuiuscumque cambij, nempè, ad peculiares titulos, & causas, ob quas, in quolibet cambio, licitum est dictum lucrum, & ad ea quæ ad eos titulos, & causas pertinent, seu conducunt, v.g. in cambio locali attendendum est ad translationem, & assecurationem pecuniæ, & ad distantiam localem, & ad viam per quam fit translatio pertinentes ad eam translationem, & assecurationem, & in quolibet cambio etiam attendendum est ad copiam, & inopiam campsorum, & campsariorū, qu a quando est copia cāpsorū, & inopia cāpsariorū minus debet esse lucrū, & quando ècōtra contingit, lucrum debet esse maius.

Ex prædictis circa dicta cambia, philosophari potest circa ea quādo in eis variæ sunt, aut apponuntur circūstātiæ, & circa alia cambia distincta à prædictis si fortè aliqua alia celebrentur.

DISPVTATIO. VI.

De locatione, cōductione emphyteusi, & fœudo.

Difficult. I. Quid sit locatio, & conductio?

CIRCA Prius locatio est *cōtractus, quo persona, vel res ad vsū vel fructū pretio cōceditur*. Primò dicitur *cōtract⁹* loco generis, quia in eo conuenit locatio cū venditione, mutuo, & reliquis cōtractibus. Secūdò dicitur *persona*, quia potest quis se ipsū, vel suū mācipiū alteri locare. Tertiò dicitur *res*, quia potest quis etiā rē suā, siue mobilē, siue immobilem alteri locare. Quartò dicitur, *ad vsū*, quia quædā tātū ad vsū locātur, vt mācipium, domus, & æquus. Quintò dicitur *ad fructū*, quia quædā alia tātū locātur ad fructū, vt ager, & ius ad reditus, & in his quarto & quintò distinguitur locatio à vēditione, mutuo, donatione, & ab alijs, quibus nō solū conceditur vsus, vel fructus rei, sed etiā trāsfertur domin ū rei, & etiā distinguitur à deposito, quia eo nō cōceditur vsus nec fructus. Sextò dicitur *pretio*, id est, pecunia, sicut fit vēditio, quia

quia si fiat pro alia re, vel pro obsequio personali, erit contractus innominatus, nẽpè, do, vt des, vel do, vt facias, & in eo locatio distinguitur à cõmodato, & præcario, quia his conceditur res liberaliter absque pretio.

Circa posterius, conductio est *cõtractus quo persona, vel res ad vsũ, vel fructũ pretio accipitur*, sunt autẽ locatio, & cõductio vnũ tãtũ contractus reciprocus (sicut vẽditio, & emptio) quia ex parte cõcedentis rẽ, vel personã (qui dicitur locator) dicitur locatio quæ est similis venditioni, quia locator quasi vendit vsum, vel fructum, & ex parte accipientis rem, vel personam (qui dicitur conductor) dicitur conductio, quia est similis emptioni, quia conductor quasi emit vsum, vel fructum.

Diffi. II. Quæ possint locari, & conduci?

CONVENIVNT DD. omnes res, quę possunt vẽdi, & emi, posse etiam locari, & conduci, nisi iure aliquo id impediatur, quia non plus requiritur ad locandum, & conducendum, quã ad vendendum, & emendum.

Addidimus *nisi iure aliquo id impediatur*, quia iure prohibitũ est aliqua locare, & conducere, quæ non sunt prohibita vendi, & emi, & ècontra prohibitum est aliqua vendere, & emere, quæ nõ sunt prohibita locari, & cõduci, quia seruitutes reales, vt prædiales, non possunt locari, & tamen possunt vendi, vt constat ex lege *locare*, ff. locati, & res, quæ primario vsu consumuntur, vt pecunia, panis, vinum, oleum, & similia, possunt excepta pecunia vendi, & iure naturali non possunt locari ad eum primarium vsum, quia dominium earum nequit ab eo vsu separari, qui autem locat rem, non transfert dominium illius, sed solum vsum, possunt tamen ad alium vsum secundarium, & quasi extrinsecum locari, vt ad pompam, vel ad pignus, vel ad lætificandum conductorem, ita significatur lege *sed mihi videtur*, §. vltimo, ff. commodati, & è contra, res pupilli, & minoris possunt locari, & non possunt vendi, & bona dotalia possunt à marito locari, & non possunt vẽdi, & bona Ecclesiæ possũt locari, & non possunt vẽdi, & res aliena conducta non potest à conductore vendi, & tamen potest alteri æque idoneo, & ad eumdem finem sublocare, vt constat ex lege *nemo*, C. *locati*, quod est verum, dum ex sublocatione non eueniat

niat primo locatori aliquod damnum, vt eueniret damnum opprobrij, si primus conductor sublocaret domum conductam meretrici, aut dum suis socijs in conductione non adsit rationabilis causa ad non admittendum subconductorem, vnde Scholasticus conducens cum alijs socijs domū, aut cubiculū, non poterit in sui locū substituere alterū socijs, ex rationabili causa dissentiētibus.

Subconductor autem, seu secundus conductor, tenetur pensionem soluere sublocatori, seu secundo locatori, quia subconductor cum solo sublocatore subijt contractum: iure tamē ciuili lege *si lege*, ff. locati, bona subconductoris manent obligata, seu hypothecata domino rei locatæ in ea quantitate, qua subductor, est obligatus primo conductori, qui fuit sublocator.

Diffi. III. Qui possint locare, & conducere?

DIFFICVLTAS Hæc valdè affinis est præcedenti, circa prius ergo quòd in ea quæritur DD. conueniunt omnes, qui possunt vendere, posse etiā locare, (etiā si res aliquæ possint vendi, & non locari, vt diximus difficult. præcedēte) quia ex vna parte non plus requiritur ad locandum, quam ad vendendum: & ex altera, nullus qui potest vendere est prohibitus locare: imò sunt aliqui, qui prohibiti sunt aliqua vendere, nō tamen ea locare, quia tutor, & curator, non possunt bona pupilli, & minoris, vendere, & tamen possunt ea locare: & maritus non potest bona dotalia vendere, & potest ea locare; & conductor potest rē conductā sublocare, modo dicto difficultate præcedēte, & nō potest eā vēdere.

Et etiam Clerici, & monachi, non possunt fundos Ecclesiasticos vendere, & tamen possunt eos locare, quāuis non vltra triennium, vt constat ex Clementina, *ambitiosa*, de rebus Ecclesiæ nō alienandis. Et quia in hac Clementina tantū est sermo de fundis, qui quotannis fructificant, ideo, si alternis tantū fructificent, possunt ad sexennium locari: & si tertio quoque anno fructificent, poterunt ad nouennium locari. Hæc autem Clemētina in paucis Prouincijs habet vim, vel quia in reliquis non fuit recepta, vel si fuit in aliquibus, tamen contraria consuetudine fuit antiquata: & in Ordinibus mendicantibus, non habet vim ob ipsorum priuilegia.

Et quando plures habent rem ipsis communem, ad eius validam locationem, requiritur omnium consensus, quod est verū, vt contra

contra non paucos aduertit Filliucius tract. 36. nu. 16. quamuis aliquis eorum habeat maius ius in eam rem, & quamuis habeat ius in maiorem partem illius, vt significatur in lege *per fundum*, C. de seruitut. rustic. præd. quia res illa est omnium eorum, ac proinde ad eos omnes pertinet de ea disponere: eis tamen dissentientibus mittendæ sunt sortes, si tamen aliquis eorum velit ea re vti, v. g. in domo communi habitare. id est ei concedendum quia vsus rei propriæ non est domino denegandus, dum alijs socijs satisfaciat ad arbitrium iudicis, si reliqui nō acquiescant satisfactioni oblatæ à volente vti re illa sua, & aliorum.

Circa posterius etiam Doctores conueniunt omnes, qui possunt emere, posse etiam conducere, nisi qui iure positiuo impediuntur conducere, quia ad conducendum non plus requiritur, quam ad emendum.

Addidimus, *nisi qui iure positiuo impediuntur conducere*, quia sunt aliqui, qui iure positiuo impediuntur nonnulla conducere, quamuis posſint ea emere, quia imprimis *milites* impediti sunt prædia conducere iure legis *milites*, C. de locato, & curiales (id est, qui obligati sunt curiæ; quales sunt administratores rerum Fiscalium) impediti sunt prædia conducere, dum suæ administrationis non reddiderint rationem, iure legis *curiales*, C. de locato, & tutores, & curatores nequeunt vectigalia conducere, dum suæ administrationis non reddiderint rationem iure legis 1. C. ne tutor. vel curator. & Clerici, & Monachi impediti sunt prædia laicorum extra necesſitatem lucri causa conducere, quamuis posſint succedere alteri, qui ea conduxit, iure capit. 1. *ne Clerici, vel Monachi*, de vita, & honestate Cleric. sicut etiam possunt tutores, & curatores, iure leg. *decurio*, ff. de decurion.

Difficult. IIII. ad quæ teneatur locator.

CONVENIVNT Primo DD. locatorem teneri aperire cōductori vitium, seu defectum occultum rei locatæ eadem proportione quā venditor tenetur aperire emptori vitium occultum rei venditæ, vt diximus disput. 2. diffic. 9 & consequenter, locatorem teneri ad restituendum conductori damna ipsi ex omisſione manifestationis dicti defectus emergentia, dum in ea omisſione sit in locatore negligentia, seu

ſeu culpa Theologica,& lata,iuxta ea quæ diximus tract.de iuſt. diſp.5.diffic.6.

Conueniunt ſecundò DD. locatorem teneri ſoluere conductori expenſas neceſſarias, vt conductor poſsit commodè vti re locata eo vſu,ad quem illam conduxit, vt patet: & vt conſtat ex lege *dominus*, & ex lege *colonus*, ff.locati, & etiam teneri ſoluere expenſas vtiles ad illum: imò etiam expenſas,quibus res melioratur ad vſum,melioratione etiam durante poſt tempus locationis,& cōductionis,dum ea melioratio nequeat ſeparari à re,abſque detrimento illius,quia ſi poſsit,non poteſt conductor ad eas cogere locatorem, cùm eam meliorationem poſsit auferre, quæ etiam habentur lege 24. titul. 8. part. 5. cui etiam conſentit lex 1.C.mandati.

Conueniunt tertiò,locatorem teneri ad onera,& tributa annexa ipſi rei locatæ, ſeu impoſita pro ea re,vt patet. Addimus, *onera, & tributa annexa rei locatæ*, quia ad ea annexa fructibus rei, ſeu pro eis impoſita, & etiam ad expenſas factas ad arandum,& ad ſeminandum,& ad metēdum,tenetur conductor.

Conueniunt quartò, locatorem non poſſe petere rem locatam ante tempus præfixum: nec poſſe expellere conductorem, niſi ex iuſta cauſa,vt conſtat ex lege *æde*, C.de locato, & ex cap. *propter ſterilitatem*,de locato,in quibus quadruplex cauſa aſsignatur, ob quarum quamlibet conductor expelli poſsit.

Prima cauſa eſt, ſi non ſoluat penſionem tempore præfixo conuentione,aut conſuetudine,quia frangenti fidem, non eſt neceſſario fides ſeruanda, nihilominus ſi rem conduxit vltra biennium, nequit expelli ob dilationem ſolutionis, niſi eam differat per illud biennium: & id ex benignitate iuris canonici,cap.*propter ſterilitatem*, quia iure naturali expelli poterat, ſi non ſolueret tempore præfixo,ob rationem dictam.

Secunda cauſa,ob quam conductor poteſt expelli, eſt, quando euenit aliquid non præuiſum, ob quod domus locata eſt locatori neceſſaria ad habitationem, vt ſi domus quam inhabitat corruat, vel comburatur, & nequeat commodè aliam inuenire: hæc autem cauſa tantum habet locum in domibus, quia tantum de eis dicta iura loquuntur.

Tertia cauſa eſt, quando conductor abutitur re conducta, ſiue ei damnum inferendo,ſiue ea ſcandaloſe vtendo, ſiue aliter: in caſu autem damni reſtituendum eſt locatori.

Quar-

Quarta causa est, quando res conducta indiget post conductionem reparatione, quæ fieri nequit, nisi conductor expellatur.

Extra has tamen causas, expelli non potest à locatore, nec ab eius hærede, seu successore vniuersali, quia hic cēsetur eadē persona cum locatore: quauis verò causa earum existente expelli potest, nisi in ipso contractu locationis conuentum fuerit, quòd non expellatur, quia ea conuentione, quamuis tàntum generali, locator censetur cessisse iuri suo.

Addidimus, *neque ab eius hærede, seu successore vniuersali*, quia ab eius hærede, seu successore particulari, vt ab emptore, à donatario, à legatario rei locatæ, expelli potest iure positiuo, leg. *qui fundum*, ff. locati, & leg. *emptorem*, C. de locato, & leg. Castellæ 19. titul. 8. part. 5. imò & à successore, quoad dominium vtile in re, vt emphyteuta, & ab vsufructuario: vt constat ex lege *arbores*, ff. de vsufructu, nisi quando res fuit locata ad decennium, vt aduertunt Molina disp. 490. & communiter DD. quòd approbatur dicta lege 19. Castellæ, quando res fuit locata ad vitam, vel in perpetuum: in casu autem in quo ab aliquo ex dictis successoribus expellatur, tunc locator, & eo mortuo, eius hæres, tenetur conductori satisfacere damnum quod conductori ex expulsione euenerit, vt constat ex dicta lege *qui fundum*.

Diffic. V. Ad quæ teneatur conductor?

CONVENIVNT Primò DD. conductorem non posse inuito latore, vti re cōducta, nisi ad eum vsum ad quem illam conduxit, vt constat ex lege *qui iumenta*, ff. de furt: quia tenetur stare contractui: ac proin se tenetur ad restitutionem damni euenientis rei conductæ ex eo alio vsu, nisi idem damnum, etiā eueniret ex vsu ad quē rem conduxit. Addimus *inuito locatore*, quia si prudenter præsumatur, quòd locator nō dissentiret, si id sciret, tunc potest ad eum alium vsum re conducta vti.

Conueniunt secundò DD conductorem non posse absque iusta causa rem conductam dimittere ante tempus expletum, & si dimittat, teneri integram pensionem soluere, & damnū locatori ex dimissione eueniens, si aliquod ei eueniat, restituere, vt cōstat ex lege *dominus*, ff. locati. Addimus *absque iusta causa*, quia causa iusta existente, potest eam dimittere, vt contingit quando conductor nequit commode vti re conducta, quia absque ipsius culpa

facta

facta est deterior, vt quando absque ipsius culpa equus conductus infirmatur, aut quando pars aliqua domus conductæ corruit, vel si nequeat commodè vti re, vel ob pestem, vel ob bellum, vel ob grauem inimicitiam, ob quæ conductori expediat alio migrare, vt constat ex lege *labores*, ff. locati.

Conueniunt tertiò, conductorem expleto conductionis tẽpore, teneri rem conductam, & integram restituere, (nisi absq; culpa ipsius perierit, vel facta fuerit deterior) quia contractu locationis, & conductionis, non conceditur res quoad dominium, sed tantum quoad vsum pro aliquo tempore, ac proinde eo trãsacto, conductor tenetur rem eamdem, & integram locatori restituere.

Conueniunt quartò, conductorem teneri pensionem soluere tempore statuto, vel à contrahentibus, vel ex loci consuetudine: quando autem, nec à contrahentibus, nec ex loci consuetudine, statutum est, tempus solutionis facienda est in fine illius tẽporis, cui correspondet pensio assignata, vt quãdo dicitur, pro quolibet mense soluenda est tanta pensio, tunc soluẽda est in fine mensis: & quando dicitur, pro quolibet anno, soluenda est in fine anni; & quando dicitur, pro tribus annis, soluenda est in fine eorum trium annorum; de quo legendi sunt Fillincius tract. 36. cap. 3. nu. 46. & Bonacin. disp. 3. quæst. 7. punct. 3. num. 5.

Difficult. VI. Vtrùm, conductor teneatur soluere pensionem, quando non potuit vti, nec frui re conducta?

SVPPONIMVS Teneri, si ob impedimentum sua culpa, aut sua voluntate eueniens, nequeat vti re conducta, vel ex ea fructus percipere, & non teneri quando ob impedimẽtum culpa, aut voluntate locatoris eueniens, nequit re illa vti, nec frui, vt patet.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an quando absque culpa, & voluntate locatoris, & conductoris, sed à casu euenit impedimentum ad ea re vtendum, vel fruendum, teneatur soluere pensionem?

Circa quam conueniunt DD. quòd si locator, & conductor à principio conueniant, quòd conductor in quouis casu pensionem soluat, ad id teneri, vt patet, & decernitur lege *si quis fundum*, ff. locati, quia dictum pactum est iustum, vt autem sit iustum pensio debet

debet esse minor, ob onus quòd in fauorem locatoris sibi assumit conductor.

Punctum ergo difficultatis in eo est, an teneatur quando non sit dicta conuentio, inter locatorem, & conductorem?

Circa quod existimamus, quò quando impedimentum à casu eueniens, ob quod conductor nequit vti, nec frui re conducta, se tenet ex parte rei conductæ, siue ex defectu substantiæ, quia res perit, siue ob circunstantiam aliquam, non solum præ existentem ignoratam, sed etiam ob superuenientem; vt ob ruinam domus minantem, vel quia in ea apparent phantasmata, vel ob pestem, vel ob bellum, vel ob aliud impedimentum, ob quod domus merito deseritur, vel prædium non collitur, vel ob morbum superuenientem famulo conducto, tunc conductor non tenetur soluere pensionem, nisi pro rata temporis, quo ea potest vti, vel frui: quod significatur lege *Item quæritur*, & lege *habitatores*, & lege *si fundus*, ff. locati, & lege Castellæ 21. tit. 8. part. 5. Et id est maximè conforme intentioni rationabili, conductoris, qui absque dubio, eo contractu tantum vult obligari ad pensionem pro rata temporis, quo non impediatur sua culpa, aut voluntate vti, vel frui re conducta: ita Molina disp. 493. Couarr. lib. 3. variar. cap. 13. & Practicis quæstionibus, quæst. 30. Lessius cap. 24. dub. 2. & Bonacin. disput. 3. q. 7. puncto 3.

Quando verò impedimentum à casu eueniens, non se tenet ex parte rei conductæ, sed ex parte conductoris, vt si moriatur, vel si cogatur assumere dignitatem, ob quam ei non sufficit domus conducta, vel si ob aliquam circunstantiam tenentem se ex parte ipsius, non potest vti operis famuli conducti, tunc conductor, aut eius hæres, tenetur soluere pensionem, vt significatur lege *si vno*, & lege *qui operas*, ff. locati, quia æquum non est vt locator damnum patiatur ob impedimentum, non se tenens ex parte rei suæ, sed ex parte conductoris. Si tamen tempore impedimenti res fuit alteri locata, tunc minuenda est pensio soluenda à primo conductore impedito, tanti quantum locator accipit à secundo conductore, ita Lessius, Filliucius, & Bonacina, qui cum Rebello addit, & meritò, tantum posse famulo detrahi de mercede, seu pensione, quantum famulus optasset ab eis operis, ad quas conductus erat liberari, si id optasset.

Difficult.

Difficult. VII. Vtrùm conductor teneatur soluere pensionem quando ob anni sterilitatem, vel ob aliam calamitatem, non percipiuntur fructus, vel diminuti.

NOMINE sterilitatis, & calamitatis intelligimus, non impedimentum se tenens ex parte rei conductæ, sed in fortuniū erga fructus, vt contingit ex defectu plubiæ, aut ob gellu, aut ob grandinem, aut ob nimiam pluuiam.

Procedit autem difficultas quando non præcessit conuentio, quod conductor, in quocumque casu teneatur soluere pensionem, quia quando præcessit tenetur, nisi quando casus eueniens est insolitus, seu extraordinarius, quia hic non censetur compræhensus sub ea conuentione.

Circa difficultatem ergo existimamus, quod quando conductor est partiarius, id est quando pensio consistit in parte aliquota fructus rei conductæ, v.g. in tertia parte, tenetur totam pensionē soluere, quia tunc quasi socius, seu quasi iure contractus societatis partitur lucrum, & damnum cum locatore.

Quando verò conductor non est partiarius si sterilitas, aut calamitas sit tanta, vt nihil percipiatur ex re conducta, ad nihil pensionis tenetur, vt significatur lege ex *conducto*, ff. locati, & lege 22. tit. 8. part. 5. si verò non sit tanta, vt nihil percipiat, sed aliquid, tunc si sterilitas, aut calamitas sit modica, ita vt non parū percipiat, quāuis nō tātū quātū aliàs perciperet, tenetur totā pēsionē soluere, vt significatur lege *si merces*, & lege *si vno*, ff. locati, & si sterilitas, aut calamitas sit magna, tenetur soluere pensionē, nō totā sed pro rata, vt dicitur in cap. *propter sterilitatē*, de locato, & conducto, & in dicta lege *si merces*, iure autem Castellæ, lege 22. tit. 8. part. 5. datur optio conductori, vel vt soluat totam pensionem, vel vt deductis expensis det locatori quod superest.

Omitti autem potest dicta solutio pensionis, vel in totum, vel pro rata quando calamitas, vel sterilitas non cōpensatur vbertate antecedentium, vel subsequentium annorum, quia si compēsetur vbertate annorum antecedentium tenetur pensionem, soluere, vel totam, vel pro rata, iuxta quantitatem compēsationis,

&

& si compesetur vbertate annorum sequentium, tenetur soluere pensionem, quam ob sterilitatem, vel calamitatem antecedẽtem non soluit, vt significatur in dicta lege *ex conducto*, & in dicto cap. *propter sterilitatem*.

Quæ autem dicta sunt de omissione, & diminutione solutionis pensionis ob defectum fructuum ob sterilitatem, vel ob aliam calamitatem, etiam procedunt quando fructus iam percepti antequam possint in domum commode adduci pereunt à casu, in totum, aut in partem, vt constat ex dicta lege *ex conducto*, addit Lessius quamuis calamitas, seu infortunium ex solo furto contingat, quæ omnia ex æquitate sunt iure tantum positiuo Instituta in fauorem conductoris, quia iure naturali, seu natura ipsius contractus pensio erat integre soluenda, etiam si nihil ex re cõducta perciperetur ob dictam sterilitatem, aut calamitatem, quia periculum fructuum est solius conductoris, quia habet ius proximum, seu vtile ad illos res autem perit, & minuitur habenti ius proximum ad illam.

Tunc autem sterilitas, aut calamitas censetur magna, vt ob eam possit diminui pensio pro rata, vel vt quibusdam placet, quando iuditio vulgi existimatur magna, vel vt alijs placet, quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum, quos dare consueuit, vel vt placet nobis, quando detracto semine, & expensarum æstimatione, non supersunt fructus ad solutionem dimidiæ pensionis, & tunc conductor non tenetur soluere nisi valorem eorum fructuum qui supersunt.

Addunt Lessius difficul. 3. Bonacin. puncto 3. & alij, quod sicut ob magnam sterilitatem, aut calamitatem, minuitur pensio pro rata, vt constat ex dictis iuribus, ita etiam ob magnam vbertatem fructuum prouenientem à casu, & non ex industria conductoris: augenda est pensio pro rata, vt decernitur leg. 23. Castellæ, titulo 8. part. 5. quia contrariorum eadem sit ratio, & disciplina: id tamen limitant, vt tantum sit verum quando ob eam vbertatem pretium fructuum non ita minuatur, vt valor eorum non multum excedat valorem ordinarium fructuum aliorũ annorum.

Hanc tamen additionem difficilem: imò & falsam existimant Rebellus libr. 14. quæst. 9. Faustus disput. 9. quæst. 33. Salicetus, Pinellus, Valascus, & plures alij (quod nobis probatur, vbi oppositum non sit lege, aut consuetudine re-

 ceptum)

ceptum) quia id iure naturali non est verum; vt patet, nec iure aliquo positiuo, quia pro eo nullum adest: imò oppositum significatur dicta lege *si merces*, illis verbis: *Modicum damnum æquo animo tollerare colonus debet, cui immodicum lucrum non aufertur*, nec contrariorum eadem est ratio, quando pro vno est ius positiuum, & non pro altero, & id tantum conuenit vni iure positiuo, & non naturali, vt contingit in casu dicto, quia pro sterilitate non adest ius naturale in fauorem conductoris, sed positiuum, & hoc non adest pro vbertate in fauorem locatoris, (imò adest ius oppositum) ex eo enim quod afficienti aliquem contumelia, sit iure positiuo apposita pœna, v. g. centum aureorum, non fit quod afficienti aliquem honore, debeant centum aurei conferri, nisi etiam addatur alia lex sic præmiandi afficientem honore.

Omnia prædicta pro sterilitate, aut calamitate in fauorem conductoris, seruanda sunt, vbi vigeat ius Cæsareum, & non sint leges, aut consuetudines contrariæ.

Difficultas VIII. Quod sit iustum stipendium famulorum, & aliorum officialium?

SVPPONIMVS Contractum, quo famulus (sub quo etiam compræhendimus quemcumque officialem) mercede locat alteri operas suas, esse ex suo obiecto validum, & licitum, vt patet, quia ex vna parte, operæ famuli dignæ sunt mercede, seu stipendio, & ex altera nullum est ius, & nullus titulus quo ex suo obiecto fiat nullus, & illicitus, ac proinde famulo fideliter operanti debita est ex iustitia commutatiua merces iusta, dum aliter non sit conuentum expresse, aut tacitè.

Addimus, primò *fideliter laboranti*, quia famulo non laboranti intra infimum gradum laboris debiti, non debetur totum stipendium aliàs iustum, sed tantum pro rata laboris: imò tenetur ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis hero, ex omissione laboris debiti, quia ea omissione est causa iniusta illius, quia ex iustitia tenetur, non omittere laborem debitum, non solum ob laborem, sed etiam ne ex omissio-

omissione emergat aliquod damnum, & ne lucrum aliquod cesset.

Addimus Secundò, *dum aliter non sit conuentum expressè, aut tacitè*, quia si aliter conuentum sit, saltem tacitè, non est famulo, quamuis fideliter operanti debita merces aliàs iusta, quia tunc famulus ea conuentione cessit liberaliter iuri suo: tunc autem famulus ita conuenit cum hero, seu domino, vt cedat iuri suo, quando famulus liberaliter non exigit stipendium, vt sic acquirat gratiam domini sui; vel vt sic alliciat animum illius, vt sibi ex gratitudine conferat, vel procuret beneficium, vel officium aliquod: vt sæpè contingit iuuenibus seruientibus Episcopo, aut alij magnati, & tunc herus non tenetur ex iustitia efficere quod famulus sperabat ab ipso, nec aliud loco illius, quia hærus non mansit ex iustitia obligatus.

Hoc ergo supposito conueniunt Doctores, illud censeri iustum stipendium, seu mercedem famuli, quod arbitrio prudentis, attendendo ad obsequia, & ad consuetudinem, & ad tempus, & ad alias circunstantias taxatur, quod non consistit in indiuisibili, sed habet suos gradus, infimi, medij, & supremi, sicut & pretium rerum venalium, quod non est lege taxatum, ita Vazquez de restitutione, capit. 5. §. 1. dubio 10. Lessius capit. 24. dubio 4 & Bonacina disput. 3. quæst. 7. numer. 9.

Nihilominus famulo, qui quamuis ob necessitatem roget, se vltro offerens ad seruiendum, non debetur tantum stipendium, quantum communiter alijs, non se vltro offerentibus, vt contra Nauarr. & Molinam, & Filliucius, aduertunt Sotus de iustitia, quæst. 5. art. 3. Bonacina disput. 3. quæst. 7. puncto 4. & alij, quia merces, & operæ vltroneæ vilescunt, & non raro pro tertia parte, vt diximus tractatu de contract. disput. 2. diff. 6. famulo autem, qui hero remisit determinationem stipendij, reddendum est iustum, sufficit tamen ei reddere infimum, quia verè est iustum, quamuis in infimo gradu.

Herus autem absque iusta causa expellens famulum ante tempus constitutum, tenetur non solum ad damna famulo ob expulsionem euenientia, quia herus erit causa iniusta illorum, sed etiam tenetur ad integrã solutionẽ stipendij, vt aduertunt Azor, Reginaldus Moli. Filliuc. & Bonacin. quia tunc herus conductor

ob suam solam voluntatem non vtitur operis famuli, quia tūc nō stat per hunc, sed per herum, quod ipsi non inseruiat.

Addit Bonacina, & benè, quòd si tunc famulus operas suas alteri locauit, minuenda sit merces tanti, quantum accepit à secundo conductore, si ab hoc non accipiat, magis quam acciperet à primo conductore, quia si magis accipiat, non est totum minuendum, quia tunc primus conductor soluturus est pro rata temporis quo ipsi inseruiuit: imò vt diximus diff. 6. quamuis nulli suas operas locauerit, tanti minuenda est merces, seu stipendium, quā tum famulus daret pro liberatione ad eis operis.

Econtra verò famulo absque iusta causa discedenti ante tempus constitutum, quamuis Azor, & Filliucius doceant nihil mercedis deberi, existimamus, vt optimè Bonacina, ei deberi mercedem, non totam, vt patet, sed correspondentem tempori quo inseruiuit, quia operæ famuli in eo tempore factæ, dignæ sunt mercede aliqua, & nullo titulo negari potest; tenetur tamen famulus ad damna domino ex eo iniusto discessu eueniētia, quia eo famulus est causa iniusta eorum damnorum, quia ex iustitia tenetur ad non recedendum à suo domino.

Famulo autem labenti in infirmitatem, qua impeditur inseruire, non debetur merces tempori infirmitatis correspondens (vbi non est consuetudo in contrarium) vt contra Salicetū, & Speculatorem, & alios aduertunt Molina, Filliucius, & plures alij, quos refert, & sequitur Bonacina, & nos diximus difficult. 6. quia tunc dominus impeditur vti operis famuli ob impedimentum se tenens ex parte famuli, & non ex parte sui: imò nec tenetur ex iustitia ei alimenta præbere, & multò minus expensas ad curationem necessarias, quamuis moderatas (vbi non est consuetudo in contrarium) vt contra Syluestrum, Couarr. & Vazquez, aduertunt Rebellus quæst. 15. Bonacina, & alij, quia nullo titulo debentur. Addimus in vtraque parte *vbi non est consuetudo in contrarium*, quia credimus in non paucis Prouincijs esse consuetudinem non negandi alimenta, nec expensas tenues, nec mercedem corerspondentem tempori infirmitatis, quando infirmitas est breuis.

(.?.)

Diffi.

Difficult. IX. Vtrùm qui pluribus, & singulis in solidum operam suam locat, possit plura stipendia integra accipere?

EXEMPLI Gratia, Petrus locauit operam suam Francisco, vt eius equum à ciuitate Toletana reducat Matritum iusta mercede, nempè, decem argenteis, difficultas est, an etiam eãdem operam possit locare Paulo, vt æquali pretio reducat equũ illius, ita vt duplum accipiat?

Circa hanc difficultatem existimamus, quòd si quis pluribus operam suam locat, & singulis in solidum, & ea opera sit singulis eque commoda, seu vtilis, possit à singulis tantum stipendium exigere, quantum posset ab vno solo, si ei soli locasset. Et id potest exemplis, & ratione probari, & primo exemplis. Quia, qui proprij negotij causa proficiscitur Matritum, potest etiam causa negotij alterius proficisci, exigendo ab eo altero tantum stipendium quantum posset exigere, si non proficisceretur causa negotij proprij, in quo Doctores conueniunt. Ergo si causa non proprij, sed negotiorum aliorum plurium personarum proficiscatur, poterit à quouis eorum tantum exigere, quantum si causa vnius solius eorum profisceretur, quia parum refert, quod causa sui profecturus sit, vel alterius, quia id non variat valorem profectus, quod ad bonam fortunam, vel industriam proficiscentis pertinet. Deinde, qui negotij proprij profecturus Matritum quærit equum, si inueniat equum reductitium, potest pro eo reducendo tantum exigere, quantum posset, alter, vel ipse, si equo non egeret, in quo etiam Doctores conueniunt. Ergo locans operam suam pluribus insolidum, & æque vtilem singulis, potest à singulis tantum exigere, quantum posset ab vno solo, si ei soli eam locasset.

Secundò, ratione à priori probatur, quia quod vna, & eadem opera possit pluribus æque prodesse, ac vni soli præstita, non minuit valorem operæ secundum se, consideratæ respectu singulorum, quia ipsa secundum se considerata non mi-

nus proficit singulis, ac vni soli: ergo si vni soli insolidum locata valet, verbi gratia, duobus aureis, non minoris valebit respectu alterius, etiam ipsi insolidum locata, & ipsi æquè cōmoda, ac proinde à quouis eorum potest tantum exigi, ac ab vno solo, sicut si vna res posset duobus insolidum vendi, posset à quouis tantum pretium exigi, ac ab vno solo, cui esset insolidum vendita.

Vndè, qui causa plurium proficiscitur ad locum aliquem, vt in eo negotia plurium tractet, verbi gratia, vt efficiat informationes plurium, potest à singulis pro profectu ipso tantum stipēdium accipere, quantum ab vno solo acciperet, si causa illius solius fuisset profectus. Addimus *pro profectu ipso*: quia pro negotijs ipsis tractatis solum poterit à singulis accipere stipendium, quod ipsi tractationi negotij singulorum correspondeat, verbi gratia, occupationi, effectionis, informationum singulorum.

Addimus. Primò in conclusione: *si quis locet operam suam singulis insolidum*, id est, ita vt singulis teneatur, quamuis alij resiliant, quia si non locet operam suam singulis insolidum, sed omnibus simul, ita vt non teneatur illam pro vno quoque præstare, si aliquis resiliat: tunc non potest à singulis accipere tantum quantum si eam vni soli locaret, quia obligatio partialis, qua tunc singulis locatione suæ operæ obligatur, non tanti valet, quanti totalis, & ob id nuntius ordinarius non potest tantum à singulis exigere pro delatione epistolarum, quantum posset, si vni soli suam operam locasset, nec præceptor plures discipulos docens, qui operam suam non locat singulis insolidum.

Addimus. Secundò: *& ea opera sit singulis æquè commoda, seu vtiles, ac vni soli præstita*, quia si non sit talis, nequit à singulis tantum exigi, quantum quando vni soli præstatur, quia tunc quamuis singulis insolidum locatur, non tanti valet secundum se singulis, quanti valeret, si singulis esset æque commoda.

Obseruandum est tamen, quod si ex rationabili timore iniustitiæ locatoris, aut ex alia rationabili causa auctoritate publica taxatum sit stipendium operæ locatæ, & non maius, quando opera pluribus insolidum præstatur, non potest tantum exigi à singulis quantum ab vno solo, quando ei soli locatur,

catur, & præstatur, quia ei stipendio, ob aliquam causam rationabiliter taxato standum est.

Difficultas X. Quibus modis finiatur locatio?

IN Primis locatio finitur lapsu temporis præfixi, vt ex se patet, & dicitur in lege *nec cui licet*, C. de locato, nihilominus si eo tempore transacto conductor retineat rem conductam, locatore id sciente, & permittente, censetur prorogata locatio, ita vt si prædium locatum sit vrbanum, vt domus, tantum prorogatur quousque quiuis ipsorum contrahentium discedat à cõtractu; & si prædium sit rusticum, vt ager, locatio facta, v.g. ad annum prorogatur ad alterum annum, & non amplius, quamuis fuerit locatum in plures annos; & eo anno prorogato transacto, si similis retentio, & permissio contingat vlterius prorogatur in alium annum, & sic deinceps quousque fiat discessus à contractu: vt constat ex lege *qui ad certum*, ff. locati, & ex lege 20. Castellæ, tit. 8. part. 5.

Hac autem lege 20. ad dictam prorogationem media retentione prædij rustici permissa à locatore requiruntur, & sufficiunt tres dies retentionis permissæ, iure verò communi non est definitum aliquod tempus perseuerantiæ in retentione ad prorogationem, ac proinde vbi ius Castellæ non habet vim standum est arbitrio judicis, vt aduertunt Molina, Filliucius, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina disput. 3. quæst. 7. puncto vltimo.

Quando verò locatio, & conductio fit ad beneplacitum locantis, vel conducentis finitur non solum dissensu positiuo locantis, vel conducentis, sed etiam morte cuiuslibet eorum, vt aduertunt prædicti, quia post mortem nullatenus, perseuerat consensus, qui requiritur ad perseuerantiam dicti contractus: approbatio verò confessarij facta, & durans ad beneplacitum approbantis, non extinguitur morte approbantis, vt diximus de pœnitentia, disput. 10. diffi. 4. & 19 quia ad perseuerantiam talis approbationis vt pote factæ quasi sententia, non tam requiritur consensus positiuus, quam non

renocatione approbationis, quia sententia dum non reuocatur perseuerat.

Deinde locatio rei facta ab eo, cui in ea re succedit hæres, vel successor singularis, verbi gratia, emptor, donatarius, & legatarius rei locatæ, finitur translatione rei ad eum successorem, ac proinde, ad hunc successorem non transire locationem, & ideo posse expellere conductorem. Vndè maritus qui in dotem accepit rem locatam, potest expellere conductorem, & conductor potest à contractu discedere, quia tunc maritus censetur successor singularis, vt aduertunt Couarr. 2. variar. cap. 15. Bonac. & alij, addimus *locatio facta ab eo, cui in ea succedit hæres, vel successor singularis*, quia si in ea succedat hæres, & successor vniuersalis, tunc non finitur locatio, sed transit ad ipsum successorem, quia hic repræsentat suum antecessorem, vt diximus difficult. 4. & ideo nequit expellere conductorem, nec conductor potest à conductione recedere: est tamen difficultas. Primò, an locatio rei locatæ à damnato iuridice, cuius bona confiscantur, finiatur confiscatione, an non finiatur, sed transeat ad Fiscum, ita vt Fiscus teneatur stare locationi, sicut tenetur ipse damnatus?

Circa quam existimamus, vt aduertunt Molina disput. 491. Filliucius tract. 36. num. 24. & Bonacin. quod si confiscatio fiat in aliqua re determinata, aut in aliquibus rebus determinatis, tunc locatio, seu eius obligatio finitur, & non transit ad Fiscum, ac proinde Fiscus non tenetur locationi factæ à damnato, quia tunc Fiscus censetur successor singularis, vt significatur in lege *emptorem*, C. de locato, si verò confiscatio non fiat in aliquo bono determinato, nec in aliquibus determinatis, sed aut in omnibus bonis, aut in aliqua parte aliquota, vt in dimidia, vel in tertia, vel in quarta parte bonorum, tunc locatio non finitur, sed transit ad Fiscum, ac proinde tenetur stare ei locationi, quia tunc censetur successor vniuersalis, vt significatur in lege 2. C. ad legem Iuliam, de adulterijs. Hoc tamen posterius tantum est verum, quando locatio fuit facta ante delictum ob quod bona confiscantur, non verò quando fit post delictum, quia tunc locatio finitur, & non transit in Fiscum, quia Fiscus à tempore delicti acquisiuit ius in bona illa, cui delinquens sua locatione non potuit præiudicare.

Secundò, est difficultas, an locatio bonorum pupilli, & minoris facta per tutorem, & curatorem, finiatur finita tutella,

la,

la,& cura, ita vt pupillus & minor non teneatur ſtare ei locationi.

Circa quam exiſtimamus, vt aduertunt Molina, Filliucius, & Bonac. non finiri,& eum teneri,quia ea locatio facta eſt nomine ipſius pupilli,& minoris. Nihilominus ſi pupillus,& minor inueniatur notabiliter læſus,ei conceditur reſtitutio in integrum, iuxta ea quæ diximus diſput. 1.diff. 15.

Et ob rationem prædictam exiſtimamus,vt aduertunt prædicti Doctores cõmunitates,& perſonas teneri ſtare locationi bonorum ſuorum factę per procuratorem, vel adminiſtratorẽ,quia ſcilicet,facta eſt nomine earum; & Prælatus ſucceſſor tenetur ſtare locationi rerum Eccleſiæ factæ à Prælato anteceſſore,quia facta fuit ab illo nomine Eccleſiæ, vt pote facta ab illo vt adminiſtratore bonorum Eccleſiæ.

Et ob eandem rationem,vxor diſſoluto matrimonio, tenetur ſtare locationi bonorum paraphernalium factæ per maritum, quia ſcilicet eorum locatio fit nomine vxoris,& idem eſt dicendum de locatione bonorum vtrique cõmunium, quia hæc etiã fit nomine vxoris; non tamen tenetur ſtare locationi bonorum dotalium factæ per maritum, quia hæc non eſt nomine vxoris, nec vtriuſque, ſed tantum nomine ipſius mariti, quia eſt quaſi vſufructuarius,& habens dominium vtile. Vxor tamen tenetur proſpicere indemnitati mariti,ſi ipſa expellat conductorẽ, quia damno huius ob expulſionem euenienti ſatisfaciundum eſt,iuxta ea quæ diximus diff.4.

Et ſucceſſor in maioratu non tenetur ſtare locationi bonorum maioratus factæ per anteceſſorem,quia hic non potuit locationem eorum bonorum efficere,niſi pro ſua vita, quia non habet dominium,nec adminiſtrationem illorum,niſi ad vitam.

Et ob eandem rationem beneficiarius ſucceſſor non tenetur ſtare locationi bonorum ſui Beneficij factæ ab anteceſſore, vt ad ipſum pertinentium,quia ſcilicet, non habet dominium, nec adminiſtrationem eorum, niſi ad vitam.

(.?.)

Difficult. XI. Quid sit emphyteusis, & quid sit feudum?

A NOMINE Incipiendo vox *emphyteusis*, est Græca, deriuata à verbo Greco, *emphyteuo*, quod Latine idem significat, quod *planto*, *insero*, vnde emphyteusis Græce, idem est quod Latine *plantatio*, *insertio*, quia olim in emphyteusim dabantur terræ incultæ, & parum fructiferæ, vt plãtatione, & cultu meliores, & fertiliores fierẽt: iam tamẽ in emphyteusim, etiã dãtur terræ fertiles. Vndè, in emphyteusim tantũ dantur res immobiles, v. g. ager, & tantum dantur quoad dominium vtile, retento in ipso dante illas dominio directo, seu proprietate earum; & dantur pro pensione aliqua reali, vt pro pecunia, aut frumento, aut alia simili, in recognitionem domini directi, seu proprietatis personæ dantis illas: & possunt dari in perpetuum, & etiam ad minus tempus, dum non sit minus decennio, & potest dari pro vita vnius, quia censetur longior decennio. Qui autem tradit res dictas in emphyteusim, dicitur dominus directus, & proprietarius: & qui eas accipit in emphyteusim, dicitur dominus vtilis, & emphyteuta, & emphyteuticarius: & res quæ in emphyteusim datur, dicitur emphyteutica.

Emphyteusis ergo diffinitur, quòd sit *contractus quo res aliqua immobilis, alicui ad longum tempus conceditur, pro obsequio, seu seruitio personali exhibendo, in recognitionẽ dominij directi cõcedentis*. Qui autẽ dat res in feudũ, dicitur *infeudator, & dominus fundi seu beneficij*. Et qui eas in feudum accipit, dicitur *feudatarius*, & vassallus, & beneficiarius.

Differt ergo emphyteusis à feudo, Primò, quòd emphyteusis tantum potest constitui in re verè immobili, vt in prædio, & non in re quæ cum immobilibus computatur, vt in annuis reditibus; feudum tamen potest etiam in his constitui. Secundò, differunt ratione pensionis, quia emphyteusi conceditur dominium vtile, pro pensione Reali. Feudo verò cõceditur, pro obsequio, seu seruitio aliquo personali, saltem contẽto in forma fidelitatis seruãdæ oblatæ sub iuramento: potest tamen feudo addi, & aliquando additur pensio aliqua realis, & tunc quãuis sit mixtũ ex feudo, &

ex emphyteusi, retinat tamen nomen feudi nō nobilis, nec stricti.

Emphyteusis veró, & feudum, differunt à locatione. Primò, quòd locatione non transfertur dominium vtile rei locatæ: bene tamen emphyteusi in emphyteutam, & feudo in feudatarium, ita vt vtrique conueniat actio contra quemuis. Secundò, quòd emphyteusis, & feudum fiunt ad tempus longum, non breuius decennio: locatio verò fieri etiam potest ad breuius. Tertiò differunt, quòd emphyteusis, & fundum constituuntur in rebus immobilibus, locatio verò, etiam potest constitui in re mobili, & pro tali habita.

Deinde emphyteusis, & feudum, etiam differunt à libello, quod hic contractus libellarius est contractus subfeudalis, vel subemphyteuticus, quod scilicet, feudatarius, vel emphyteuta, rem à se acceptam in emphyteusim, vel in feudum tradit alteri, simili contractu pro pensione sibi soluenda, dum id fiat sine detrimento domini directi, & seruatis alijs conditionibus, de quibus postea.

Rursus emphyteusis, & feudum differunt ab vsufructu communi. In primis, quod emphyteuta, & feudatarius possunt vendere, & donare, aut alio modo ius suum in alterum transferre, quamuis feudatarius non absque licentia domini directi: vsufructuarius verò, nequit illud transferre. Secundò, differunt quòd vsusfructus finitur morte vsufructuarij, non verò emphyteusis, nec feudum, nisi res sit concessa in vitam emphyteutæ, vel feudatarij. Tertiò differunt, quòd vsusfructus potest in rebus mobilibus constitui, non verò emphyteusis, nec feudum.

Tandem, emphyteusis, & feudum, differunt à censu reseruatiuo, quod per emphyteusim, & feudum, tantū transfertur dominium vtile, per censum verò reseruatiuum, etiam transfertur dominium directum.

Diffic. XII. Quotuplex sit emphyteusis?

INPRIMIS, Emphyteusis altera est perpetua, illa scilicet, qua traditur res emphyteutica, absque termino aliquo: altera est temporalis, illa scilicet, qua traditur ad tempus determinatum, quod non sit breuius decennio.

Dein-

Deinde, emphyteusis altera est Ecclesiastica illa, scilicet, quæ constituta est in re, cuius dominium directum habet aliqua Ecclesia, vel aliqua cõmunitas Ecclesiastica, vel aliquis pius locus, siue detur clerico, siue laico. Altera est sæcularis, seu profana, illa scilicet, quæ constituta est in re, cuius dominium directũ habet laicus, aut Clericus, vt laicus, siue detur laico, siue clerico.

Rursus emphyteusis, altera est noua, illa scilicet, quæ nondum transcendit primum emphyteutam: altera vetus, illa scilicet, quæ iam transcendit primum.

Tandem emphyteusis alia est simpliciter, & purè hæreditaria: alia simpliciter, & purè, non hæreditaria, quæ dicitur ex pacto, & ex prouidentia, & etiam familiaris, quia solet dari personis de familia emphyteutæ. Alia est mixta ex hæreditaria, & ex ea quæ est ex pacto, quæ dicitur hæreditaria mixte, & secundum quid. Hæreditaria simpliciter, est illa qua res emphyteutica traditur alicui pro ipso, & pro suis hæredibus, non solum necessarijs, sed etiam pro extraneis quos hæredes instituerit. Non hæreditaria est illa qua traditur res alicui, aut pro ipso solo, aut si etiam pro alijs: non tamen necessario hæredibus illius, cui traditur; sed pro alijs quos ipse nominare voluerit, quamuis nõ sint hæredes aliorum bonorum emphyteutæ, nec necessarij, nec liberi ab ipso emphyteuta instituti, quamuis non sint de familia ipsius. Emphyteusis mixta, seu hæreditaria mixte, seu secundum quid, est qua traditur res alicui pro ipso, & non pro omnibus hæredibus, sed tantum pro aliquibus: & ideo dicitur mixta ex hæreditaria, videlicet, quatenus est pro hæredibus, & ex emphyteusi ex pacto, quatenus non est pro omnibus hæredibus, quia id limitatur ex pacto.

Diffic. XIII. Quæ conditiones requirantur ad emphyteusim?

OMISSIS Conditionibus, quæ iuribus particularibus, & cõsuetudinibus Prouinciarum ad cõtractum emphyteuticum requiruntur, eas tantum adducemus, quæ iure communi leg. 1. 2. & 3. C. de iure emphyteutico, requiruntur.

Prima conditio iure communi requisita, & non minus quam ad valorem contractus emphyteutici, est, quòd celebretur per scripturam, ita vt absque ea celebratus sit nullus, (in quo contra nonnul-

nonnullos existimantes, scripturam tantum esse necessariam ad probationem in iudicio, conueniunt communiter DD.) vt significatur in lege 1. C.de iure emphyteutico, & id expresse requiritur iure Castellæ lege 11.tit.8.part.5. & leg.3.tit.14. part.5. & id est certius requiri ad emphyteusim Ecclesiasticam, vt significatur in Authentic.de non alienandis, § *minus igitur*.

Secunda conditio, requisita etiam ad substantiam, seu valorem contractus emphyteutici, est, quòd instituatur in rebus immobilibus,& fructiferis,& solo adhærentibus, vt in agris, in domibus, in pratis,in oliuetis,& in similibus fructum,vel aliud emolumentum reddentibus.

Tertia conditio etiam ad valorem emphyteusis, est, quòd per eam non transferatur dominium directum rei in emphyteutam,sed tantum vtile, quia dominium directum perseuerat apud dominum priorem,& etiam possessio ciuilis illius rei, quia eam possidet ciuiliter,seu nomine proprio. Emphyteuta verò tantum possidet illam physice, seu naturaliter, non ciuiliter, seu nomine proprio; sed nomine prioris domini, & ideo emphyteuta,nequit rem emphyteuticā præscribere quoad dominiū directū, quia ad præscriptionem requisita est possessio ciuilis, vt diximus tractatu de iustitia & iure,disp. 2. dif.2. bene tamen quoad dominium vtile, quia quoad hoc possidet rem ciuiliter. In casu autem in quo scriptura ostendi non possit, quia amissa est, vt emphyteuta contra proprietarium negantem emphyteusim se defendat, necessaria est ei probatio per testes, qui affirment talem contractū celebratum fuisse, & scriptura confirmatum, aut eam rem emphyteuticam,vt talem præscripsisse possessione, videlicet,pacifica rei,vt talis annis ad præscriptionem sufficientibus.

Quarta conditio ad valorem contractus emphyteutici, requisita est conuentio, qua emphyteuta obligetur soluere quotannis,aut alio tempore præfixo,ipsi proprietario certam pensionem, aut in pecunia, aut in fructibus, prout conuentum fuerit, quæ regulariter est minus quàm valeant fructus rei emphyteuticæ, quia non soluitur ad lucrum, sed in recognitionem dominij directi ipsius proprietarij: & ita quod si pensio non soluatur per duos annos, quando res emphyteutica est Ecclesiastica, & per tres, quando est laica, emphyteuta amittat rem illam quamuis melioratam, & sic meliorata redeat ad proprietarium: amittitur autem, quamuis non soluens pensionem, sit supe-

superior pij loci, habentis rem in emphyteusim, ei tamen conceditur restitutio in integrum sicut minori, quando verò res emphyteutica redit ad proprietarium, absque culpa emphyteutæ, vel quia emphyteusis finitur, vel aliter, tunc melioramenta, vtilia grauia, quæ magnis expensis emphyteutæ accreuerunt rei, soluenda sunt emphyteutæ, non verò quæ non sunt vtilia, nec quæ non sunt grauia, nec quæ à casu, aut à causis naturalibus, vt aluuione accreuerunt.

Ita tamen emphyteuta amittit rem emphyteuticam Ecclesiasticam transacto biennio, in quo culpabiliter omittit soluere, vt possit moram purgare celeritate solutionis factæ intra decem dies: emphyteutæ verò, habenti rem emphyteuticam laicam omittenti post triennium culpabiliter solutionem, nō conceditur ex rigore iuris purgatio moræ, etiam si ex æquitate iuris concedenda sit. Et ita emphyteuta ob culpam omissionis solutionis pēsionis, amittit rem emphyteuticam, vt eā non amittat ab eo tempore, à quo post biennium, aut triennium omittit soluere pensionem debitam, sed ab eo in quo post dictum tempus proprietarius declarauit se velle emphyteutam in eam amissionem incidere. Et ita in eam amissionem incidit post dictam declarationem, vt probabilius sit emphyteutam ante sententiam iudicis teneri eam rem ab se abdicare, & domino tradere: imò si absit scandalum, proprietarium posse propria authoritate illum spoliare, & expellere, etiam si oppositum non careat probabilitate. Dictæ autem pensiones non solutæ, ipsi proprietario viuenti, soluendæ sunt hæredibus illius, amissio verò rei emphyteuticæ non declarata à proprietario viuente potente cōdonare, nequit ab eius successore declarari, & exequi, quia tunc videtur condonata ab eo antecessore, nec contra hæredem emphyteutæ, qui non soluit fieri potest condonatio amissionis, si ipsi qui non soluit fuit scienter intermissa à potente condonare, quia etiam tunc videtur condonata ipsi antecessori, qui non soluit: & etiam videtur condonata à proprietario recipiente solutionem correspondentem tempori sequenti amissionem, si cōdonare potest; non verò ab eo recipiente pensiones correspondentes tantum tempori antecedenti amissionem.

Obseruandum tamen est emphyteutam liberari ab obligatione pensionis, si absque illius culpa res emphyteutica omnino pereat, (nisi se obligauerit ad casus fortuitos, vt constat ex lege

lege 1. C. de iure emphyteut. quia res domino proprietatis perit. Si tamen aliqua pars superſit, ſoluenda eſt integra penſio, vt colligitur ex dicta lege, quia penſio non tam ſoluitur ad recompenſandos fructus rei, quam in recognitionem dominij directi, niſi quando penſio eſt magna, quia tunc ex æquitate diminuenda eſt penſio.

Quinta conditio, aut lex emphyteuſis eſt, quòd ſi res emphyteutica fiat in ſeipſa notabiliter deterior ex culpa quamuis tantum leui emphyteutæ poſsit priuari ea re, vt de re Eccleſiaſtica, conſtat ex Authentica *qui rem*, C. de ſacroſanctis Eccleſijs, & id ob paritatem rationis, non pauci Doctores contra alios probabiliter extendunt ad rem emphyteuticam laicam.

Sexta conditio, aut lex eſt, quòd emphyteuta nequeat rem emphyteuticam, ſeu ius ſuum vtile alteri vendere, niſi prius admónito proprietario, vt hic ſi velit poſsit illam intra duos menſes emere, aliàs illam amittit, & redit ad proprietarium, vt deducitur ex lege tertia, Codic. de iure emphyteutic. & ex capit. *potuit*, de locato. Poteſt tamen eam rem, ſeu ius ſuum vtile donare, non admonito proprietario; ſed non poteſt donatarium inueſtire, ſeu in poſſeſsionem rei mittere, ſed debet rogare proprietarium, vt id efficiat, qui intra duos menſes id tenetur efficere, ſi perſona cui donatur, ſit talis vt ab ea poſsit facile obtinere penſionem, & ſolemni ſtipulatione, promittat ſe eam penſionem proprietario ſoluturum: & ſimili modo poteſt eam rem legare, permutare, locare, etiam ad decennium, & hypothecare: & ſi non ſit Eccleſiaſtica, etiam oppignare, rogato etiam proprietario, vt intra duos menſes in poſſeſsionem mittat, quando ſit neceſſaria poſſeſsio, aliàs amittet rem: quoties verò res contractu alienatur, vt ſit venditione, donatione, legatione, permutatione, & locatione, ad minus ad decennium, concedendum eſt proprietario à nouo emphyteuta laudemium ob laborem mittendi illum in poſſeſsionem. Eſt autem laudemium quædam certa pars pretij rei emphyteuticæ, quæ iure communi eſt quinquageſsima pars, & ſolet eſſe maior, & minor pro variarum Prouinciarum conſuetudine. Illud tamen non debetur illi, quando ea res datur filiæ in dotem, nec quando hæres neceſſarius illam accipit titulo hæreditatis.

Quæ

Quæ autem ex omnibus, quæ diximus ad contractum emphyteusis requiri, pertineant ad substantiam, & valorem illius, constat ex eius definitione, quam adduximus diff. 11. quia essentialis est ipsi emphyteusi.

Diffic. XIIII. Qui succedant in re emphyteutica?

CONVENIVNT DD. eos omnes, & solos, qui contractu emphyteutico successores instituuntur, succedere in ipsa re emphyteutica, quia vis contractus pendet ex intentione contrahētium, exterius significata, ac proinde elapso tempore, ad quod res emphyteusi data est, nullus in ea succedit, sed reuertitur ad proprietarium.

Vndè, quando alicui res conceditur ad eius vitam, eo mortuo, nullus in ea succedit, sed reuertitur ad proprietariū, & quādo alicui conceditur vsque ad generationem aliquam determinatam, v.g. vsque ad quartam, ea generatione extincta cessat successio in ea, & reuertitur ad proprietarium, quando autem sic cōceditur, ipsa persona, cui conceditur, non computatur in eo numero generationum, non solum quando dicitur, *concedo tibi vsq; ad quartam tui generationem* (in quo DD. conueniunt) quia nomine generationis intelligitur successio, qua vnus generatione succedit alteri, ex eis verò, qui eo modo loquendi comprehenduntur, illa persona cui conceditur, nulli succedit, sed potius est principiū, & stipes generationis, & successionis, cui reliqui succedūt, sed etiam quando non additur illa particula *tui*, sed tantum dicitur, *concedo tibi vsque ad quartam generationem* (quidquid nonnulli dicant) quia etiam si non addatur, verè subintelligitur persona: ergo ipsa, cui res conceditur in emphyteusim, non computatur in eo numero generationum, quia ipsa potius est principium, & stipes generationum, & filius dicitur prima generatio, & nepos secunda, & pronepos tertia, & sic de reliquis.

Quando autem alicui conceditur vsque ad aliquam determinatam generationem, aut quando alicui conceditur pro ipso, & pro suis filijs, non succedunt illius hæredes extranei, quia nō sunt filij, nec generatione successores illius, sed tantum succedunt filij, & succedunt quamuis non sint hæredes illius, vt si repudiarūt hæreditatem, aut si iusta causa sunt exhæredati, non tamen succedunt, si non sint hæredes, quando conceditur alicui pro ipso, &

pro suis filijs hæredibus, quod etiam DD. communiter existimāt verum, quando conceditur alicui pro ipso, & pro suis filijs, & hæredibus, quia existimant eam particulam, & quando dicitur, & hęredibus, non sumi extensiue, ita vt etiam extendatur ad hæredes non filios, sed sumi limitatiue, ita vt limitetur ad filios hæredes: nos tamen contra eos existimamus, tunc succedere filios, quamuis non hæredes, & hæredes quamuis non filios, sed extraneos, vt aduertit Bonac. quia aliàs ea particula, *&* adderetur superflue, quia ea etiam ablata, tantum succederent filij hæredes, quare in rigore ea particula, *&* non sumitur copulatiuè; sed disiunctiuè, vt non raro sumitur, sicut quando dicitur, *tibi & filijs tuis*, & in alijs propositionibus.

Et quando res emphyteusi conceditur alicui pro ipso, & suis hæredibus, aut pro ipso, & pro suis successoribus, etiam succedunt hæredes illius, quamuis extranei: quia quamuis extranei, verè sunt hæredes instituti in alijs bonis, vt supponimus esse, quod contra non paucos credimus verum, vt aduertunt Molin. disp. 464. & 472. Laymā. c. 23. n. 13. Panor. Coua. & alij, quāuis emphytheusis sit Ecclesiastica, succedūt etiā hæredes, quāuis extranei, quādo res cōceditur alicui simpliciter pro aliquo numero annorum, v. g. viginti, quamuis nō addatur hæredibus.

Et quando res conceditur emphyteutæ pro ipso, & pro suis hæredibus, ipse potest eligere, quē maluerit hæredem, aut necessariū quāuis sint multi, aut extraneū aliàs à se libere institutum, aut instituendū, quamuis etiā sint necessarij, dum non neget hæredibus necessarijs portionē ipsis debitā ex omnibus alijs bonis, & ex re emphyteutica: & si hæres necessarius, existentibus alijs necessarijs, fuerit electus, debet eā in portionē sibi debitā computare, quia est libera sicut alia bona patrimonialia, aduertunt autē Mol. cōtra non paucos, quādo emphyteusis est hæreditaria, necessariū esse, vt quis succedat, quod sit hæres immediati, seu vltimi possessoris, & nō sufficit quod sit primi per aliquē intermediū, seu tertium, vt ordine quodam deriuetur ad omnes possessores.

Et quādo res emphyteusi cōceditur alicui pro ipso, & pro suis filijs, tūc si emphyteusis sit hæreditaria mixte, seu data pro filijs tāquā pro hæredibus, pater potest nominare, seu eligere filiū quē voluerit: si verò nō sit hæreditaria, sed tātū ex pacto, tūc pater nō potest, nominare filiū quē voluerit, non solū quādo est antiqua, sed etiā quādo est noua, quia tūc ex vi institutionis primæ, datum

est ius omnibus filijs ad rem emphyteuticam, quod pater non potest auferre.

Nomine autē filiorū quando emphyteusis est laica etiā cōprehēdūtur filij naturales, qui āuis nō sint legitimati, vt cōtra nōnullos aduertūt nō pauci, quos refer. & sequitur Bona. disp. 3. q. 8. pun. 2. non verò quādo emphyteusis est Ecclesiastica, nisi sint sequenti matrimonio, aut priuilegio Papæ ligitimati, nō tamē est improbabile comprehendi quando nati erant tempore institutionis emphyteusis, quia tunc eo ipso quod non sunt ab instituente exclusi, videtur illos comprehendisse.

In emphyteusi autē instituta pro filijs legitimis, nō succedunt legitimati priuilegio Principis, quāuis emphyteusis sit laica, nec legitimati priuilegio Papæ, quāuis emphyteusis sit Ecclesiastica, nisi in priuilegijs exprimatur, vt aduertunt Filliu. Bonac. & alij.

Et quāuis in vltimis voluntatibus nomine filiorū etiā comprehēdantur filiæ, non tamē in emphyteusi, sicut nec in feudo, nec in alijs contractibus, vt contra Layman. & contra alios aduertūnt Couar. 2. var. c. 8. Bonac. Filliuc. & alij.

Et quādo emphyteusis est hæreditaria, instituta, videlicet, pro emphyteuta, & pro suis hæredibus, si emphyteuta profiteatur Religionē capacē succedendi, transit in Monasteriū perpetuo, & irreuocabiliter, nō solū quando est perpetua: sed etiā quādo aliàs nō est perpetua: imò quādo tantū facta est pro ipso emphyteuta, & pro primo suo hærede, quia Monasteriū quod ei primo succedit vt hæres, durat perpetuo, vt aduertunt Sanc. lib. 7. Moral. c. 15. Bart. & Berol. qui addit etiā transire perpetuo, & irreuocabiliter in Monasteriū, quando emphyteusis instituta est pro ipso emphyteuta professo, & pro filijs suis, quia Monasteriū sit filius illius id tamē est falsum, vt aduertunt Sanc. & Bonac. quia Monasteriū non est, nec cēsetur filius professi. Et quādo emphyteusis non est hęreditaria, tūc nō solū cōmoditas rei pertinet ad Monasterium, vt aduertunt Sanc. & Bona. sed etiam res ipsa, quoad dominiū vtile, vt indicāt Azor lib. 10. c. 10 Bonac. & alij (dū dicunt mortuo professo trāsire ad alios) quia ipse professus est incapax illius, & ad Monasteriū pertinēt omnia iura professi, vt cōstat ex authē. ingressi, C. de sacros. Eccle. & sanè si res emphyteutica nō pertinet ad Monasteriū, cum nō perseueret in professo ob professionem, cōmoditas illius non pertineret ad Monasteriū, quia cōmoditas rei tātū potest pertinere ad eum, ad quē pertinet res ipsa; pertinet

net autem ad monasterium non perpetuo, sed tantum pro tempore vitæ professi, quia nō transit ad monasterium tanquam ad hæredem, & contemplatione ipsius monasterij, sed indirecte, & contemplatione professi ob translationē suæ personę in monasteriū, vi dicti iuris canonici statuētis, quod monasterium capax fruatur iuribus, quæ pertinebāt ad professum, dū hic viuit, ac proinde eo mortuo desinit res illa pertinere ad monasterium, & trāsit ad vocatos, si sint, vel ad proprietarium, si non sint.

Et quando emphyteuta committit delictum, ob quod eius bona publicantur si emphyteusis sit laica, & hæreditaria trāsit cum alijs bonis ad Fiscum: & si sit perpetua, transit in illum perpetuo, & si non sit perpetua ita transit in illum, vt debeat nominare aliquem cuius morte finiatur successio, qua successit Fiscus: si verò non sit hæreditaria non transit ad Fiscum, sed ad alios vocatos: si sint, & si non sint, regreditur ad proprietarium: si verò sit Ecclesiastica, non transit ad Fiscum, quamuis sit hæreditaria, quia bona Ecclesiastica nō acquiruntur Fisco laico, vt aduertunt Azor part. 3. lib. 10. cap. 10. q. 6. Filliuc. n. 146. & Bonac. n. 33. apud quos, & apud Molinam à disp. 444. poterunt videri nonnulla alia circa emphyteusim.

Difficult. XV. Quæ conditiones requirantur ad contractum feudi.

QVID Sit feudum, & in quo ab emphyteusi, & ab alijs contractibus, cum quibus habet aliquā affinitatem differat, diximus dif. 11. superest explicemus cætera, quæ ad feudum pertinent, & in primis, quæ requirantur ad ipsum.

Ad contractum ergo feudi ferè ædem conditiones requiruntur, quæ ad contractum emphyteusis prima conditio ad eius valorem requisita est, quod constituatur in re immobili, vt in agro, vel in re, quæ habeatur pro immobili, vt in redditibus perpetuis.

Secunda conditio etiam ad valorem contractus feudi requisita, est, quòd eo tantum transferatur dominium vtile in re, quæ traditur, eo que conceditur naturalis possesio, retētis apud proprietarium dominio directo, & possessione ciuili.

Tertia cōditio est, quòd feudū cōcedatur ob obsequiū personale, & tātū cōcedēdum, si à dño, seu proprietario exigatur, & non

ob pensionem realem, etiam si hæc aliquando addatur, quo feudum desinit esse purum, ita tamen conceditur, ob obsequium personale, quod si feudatarius illud nõ præstet, quãdo exigitur amittat feudum.

Quarta conditio est, quod feudatarius inuestiatur, seu mittatur in possessionem à domino, seu infeudatario, & huic iuret fidelitatem.

Quinta conditio, quod feudatarius nequeat feudum, seu rẽ feudalẽ absq; consensu domini alienare, & si alienet, alienatio fit irrita, & amittat feudũ: imò non potest feudum impignorare, quia non eget impignoratione, ad præstandũ quod bebet, quia tantum debet obsequium personale, emphyteuta verò potest rem emphyteuticã impignorare, quia aliquando eget impignoratione, vt soluat pensionem realem, ad quam ex vi emphyteusis tenetur.

Ad inuestituram autem, seu missionem in possessionem requiruntur testes præsertim, quando qui inuestitur, non est Clericus, & quod sint vassalli eiusdem infeudatarij, si alios vassallos præter feudatarium habeat, & si non habeat, sufficiunt extranei: ita tamen testes requiruntur, vt absq; eis feudum sit nullum, vt contra Glos. lib. 2. feud. tit. 32. Ang. & Syluest. aduertunt Azor c. 6. Filliuc. c. 9. n. 171. & cõmuniter Iuristæ, vt significatur in eo lib. 2. tit. 32. dum dicitur, non valere inuestituram, sine hac solemnitate factam, quando autem sunt plures inuestituræ inter se pugnanter standum est priori, quia per eam prius est confirmatum ius, est enim inuestitura post pactum, seu institutionem feudi: imò etiam post iuramentum fidelitatis, quod sequitur ad pactum, quod inuestitura confirmatur: imò inuestitura aliquando est possessio ficta sufficiens, & quando fit in conspectu rei in feudum datæ, ad minus ea conceditur ius ad possessionẽ corporalem propria auctoritate capiendam, vt significatur in lib. 2. feud. tit. 26.

Difficul. XVI. Quotuplex sit feudum?

FEVDVM Multiplex est, seu multipliciter diuiditur, quia inprimis aliud est proprium, aliud improprium: proprium est, quod habet naturam feudi, vt definitũ est à nobis diff. 11. improprium verò, quod ex pacto mutat naturam feudi, & ob id dicitur feudum ex pacto, seu ex prouidentia.

Secundò feudũ, aliud est regale, aliud nõ regale: regale est quod cõceditur à Principe superiorem nõ agnoscente, quo non solum

conce-

conceditur iurisdictio, sed etiam titulus honorificus, seu dignitatis, nempè, Ducatus, aut Marchionatus, aut Comitatus, aut alij similes, vt constat est cap. 1. tit. *quis dicatur Dux*, lib. 2. feud. feudum non regale est, quo præter iurisdictionem non conceditur titulus honorificus, vt constat ex cap. 1. tit. de ijs qui feudum dare possunt, lib. 1. feud.

Tertiò, feudum aliud est legitimũ, aliud non legitimũ: legitimũ dicitur, in quo feudatarius iurat domino, seu proprietario se ei futurũ fidelẽ contra quẽlibet nullo excepto, nõ legitimũ, dicitur, in quo quis iurat domino se ei futurum fidelem contra alios excepto suo supremo Principe, seu quo ad ea quæ pertinent ad suum supremum Principem.

Quartò, feudum aliud est francum, aliud non francum: francum dicitur, quòd est liberũ ab omnibus seruitijs & obsequijs, exceptis his, quæ continentur in forma fidelitatis, dictæ in tertia diuisione antecedente: feudum autem non censetur francum, nisi id expresse dicatur in institutione ipsius: non francum dicitur, quod nõ est liberum à seruitijs, & obsequijs.

Quintò, feudũ aliud est nobile, aliud ignobile: nobile est quod ipsum accipientẽ efficit nobilem, vel esse antea nobilẽ ostẽdit, vt contingit, quando conceditur ab Imperatore, vel à Rege: ignobile est, quod non efficit nobilem ipsum accipientẽ, nec eũ esse talẽ demonstrat, vt contingit, quando datur à priuatis hominibus, vt constat ex c. 1. tit. de ij qui feudum dare possunt, lib. 1. feud.

Sextò, feudũ aliud est Ecclesiasticum, aliud sęculare: Ecclesiasticũ est, quod ab Ecclesia, vel à Clerico vt Clerico cõceditur, vel accipitur: sæculare est, quod à Principe ciuili, vel à quolibet alio laico accipitur, vt constat ex eodem cap. 1.

Septimò, feudum aliud est antiquum, aliud paternum, aliud nouum: antiquum dicitur, quod cœpit obtineri à maioribus cognatis supra quartum gradum: paternum dicitur, quod cœpit obtineri à parentibus vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt à parente proximo, ab auo, à proauo, ab abauo, quod etiam dicitur maternum, quando à matre cognationis capite deriuatur: feudum nouum dicitur, quod non transcendit primum feudatarium, seu quod non obtinetur succesſione, sed prima institutione.

Octauo, feudum est aliud masculinum, aliud fœmineum: masculinum est, quod tantum conceditur masculis: fœmineum

quod etiam conceditur fœminis, vt constat ex lib. 1. feudorum.

Nono feudum aliud est reale, aliud est personale: reale est, quod iure transit ad hæredes: personale verò, quod non transit ad hæredes, vt etiam constat ex lib. 1. feud.

Decimò feudum aliud est hæreditarium, aliud non hæreditarium. Hæreditarum dicitur, quod ad hæredes, quamuis extraneos potest transmitti: quod si ad filiū trāsmittatur, debet illud in portionē sibi debitam computare, vt diximus de emphyteusi, dif. 14. feudum non hęreditarium dicitur, quod nō potest transmitti ad hæredes extraneos, sed tantū ad agnatos quāuis nō sint hæredes.

Vndecimò feudum, aliud est indiuisibile, aliud diuisibile: indiuisibile est, quod nequit diuidi, vt sunt Regnū, Ducatus, Marchionatus, & alia habentia dignitatem: indiuisibile est, quod potest diuidi, vt sunt illa quæ non habent dignitatem.

Prædicta circa diuisiones feudi continentur libro 1. & 2. feud. & circa eas videri possunt Azor parte 3. libro 10. capit. 2. Filliuc. tract. 36. c. 9. & Bonacina disput. 3. q. 8. puncto. 3.

Difficult. XVII. Qui possint in feudum, vel in emphyteusim dare?

CONVENIVNT DD. eos omnes, & solos, qui aliquorum bonorum, siue suorum, siue alienorum habent liberam administrationem, posse ea in feudum, vel in emphyteusim dare, nisi peculiari aliquo iure prohibeantur, quia feudum, & emphyteusis sunt quædam bonorum alienationis species, quia per eos contractus dominium vtile bonorum in perpetuum, vel ad longum tempus transfertur. Habens autem liberam administrationem bonorum, potest ea alienare, & non alius ea carens, qualis est pupillus, & minor, & furiosus, & prodigus habens curatorem, vt diximus, disput. 1. difficul. 14. prædicti autem liberam bonorum administrationem habentes, possunt ea bona, etiam in feudum dare, quamuis nulla sint iurisdictione, & dignitate prædicti, quales sunt plebeij: quia quamuis antiquitus non potuerint, nisi iurisdictione prædicti, vt constat ex lib. 1. feud. titulo 1. postea tamen id in eodem lib. tit. 7. correctum fuit.

Addidimus, *nisi peculiari aliquo prohibeantur*: quia Episcopi, quamuis liberam habeant administrationem bonorum suarum Ecclesiarum, & alij Prælati inferiores, non possunt, quia prohibiti sunt in c. *per tuos*, de donationibus, & in Extrauagante

embi-

ambitiosa, de rebus Eccles. non alien excipiuntur bona, quæ solita sunt dari in Emphyteusim, aut in feudum, quia ea dare possunt, dum adsit euidens Ecclesiarum vtilitas, ea autem dicuntur solita dari, quæ data sunt bis, vel si elapsi sint quadraginta anni, quãuis tantum semel data.

Difficult. XVIII. Qui possint in feudum accipere aut succedere?

CIRCA Prius conueniunt DD. quemlibet posse accipere bona in feudum ab instituentibus illud, vt constat ex libr. 1 1. feud. tit. 3. §. *personam*: ab ipsis verò feudatarijs, seu vassallis, non omnes, sed tantũ eos, qui ea possunt accipere absque præiudicio domini directi, de quo legi potest Filliuc. tract. 36. c. 9. q. 5.

Circa posterius etiam DD. conueniunt eos omnes, & solos posse in feudũ succedere, qui ex vna parte contractu ipso feudi successores instituuntur, & ex altera parte nullo iure excluduntur à successione.

Vndè fœmina non succedit in feudũ, quando feudum expresse, aut æquiualẽter non instituitur, etiã pro illis, quia iure cõmuni excludũtur à feudo nõ sic instituto, lib. 1. feud. tit. 1. §. *hoc autẽ*, excludũtur autẽ iure ipso, quia non sunt aptæ ad seruitiũ personale ob quod regulariter cõcedũtur feuda, succedũt nihilominus. Primo, quãdo institutione feudi expresse etiã admittuntur (quod ob id dicitur fœmineũ) vt constat ex dict. tit. & ex lib. 2. tit. 11. Secũdò admittũtur, seu succedunt fœminæ, quãdo feudũ est maternũ, vt cõstat ex l. 2 feud. tit. 50. Tertiò admittũtur, quãdo feudũ est frãcũ, vt cõtra nonnullos docẽt cõmuniter DD. Quartò, quãdo id cõsuetudine Prouinciæ receptum sit. In his tamen quatuor casibus fœminæ tantum succedunt, quando deficiunt masculi.

Addimus, quòd quamuis fœminæ expresse, admittantur, illæ tamẽ, quæ semel excludũtur ab aliquo masculò, semper manent exclusæ, vt quãdo mortuo feudatario, qui reliquit filiũ, & filiã, & filius succedit exclusa filia, tunc mortuo filio, filia semel exclusa non succedit, sed redit ad dominũ directũ, si non sit alius successor, nisi quãdo nõ fuit simpliciter exclusa, sed tantũ secũdũ quid, nẽpè, ad tẽpus, vel sub cõditione, vt quando institutione feudi dicitur, quod non admittatur filia, dum filius superfit, quia tunc filia, mortuo filio qui successit, dum vixit, succedit quamuis fuerit

semel exclusa, quia non fuit exclusa simpliciter à filio, sed tantum pro tempore vitæ ipsius filij.

Quando autem feudum institutum est pro aliquo, & pro masculis ex eo descendentibus, non succedunt in illud masculi filij fœminarum, descendentium ex illo, sicut nec ipsorum matres, quia hi filij sunt extra agnationem, & familiam illius, pro quo fuit primo institutum, quia sunt de familia sui patris, ac proinde id erit certius, si in institutione addatur, agnationis conseruandæ gratia.

Et quando fœmina feudataria habet filios ex duobus matrimonijs, præferendi sunt filij prioris matrimonij, nisi aliud possit, aut debeat fieri, ob consuetudinẽ patriæ, aut ob qualitatẽ feudi, aut ob pactum cum secundo marito.

Filij autem masculi, descendentes ex masculis succedunt in feudum, cæteris exclusis, etiam si in infinitum descendant, vt constat ex lib. 1. feud. tit. 1. §. *hoc quoque*, quod est verum quamuis feudum sit Ecclesiasticum, & quãuis masculi sint emancipati, & quãuis sint muti, & cæci, & alijs mẽbris destituti; & quãuis sint Clerici, & Religiosi nouitij, si verò sint Religiosi professi, succedit Monasterium, si sit capax succedendi, si non sit ipsa institutione feudi exclusiuum, & si non habeat aliquam dignitatem, vt Marchionatus & si seruitium feudo annexum, (si aliquod sit) non sit indecẽs Monasterio, & si sit indecens, si possit illud per substitutum præstari, succedit autem Monasterium in feudum hæreditarium, & in non hæreditarium, eo modo, & pro eo tempore, & quoad id sicut diss. 14. diximus, succedere in emphyteusim hæreditariam, & in non hæreditariam: succedunt autem prædicti masculi, dum non sint exhæredati, aut tantum adoptiui, aut illegitimi, quamuis legitimentur priuilegio Principis, benè tamen si legitimentur matrimonio subsecuto.

Et quando sunt plures filij si feudum sit indiuisibile, qualia sunt habentia dignitatem, vt Regnum, Ducatus, & similia, vnus tantum succedit filius primogeniti, aut alij pro institutione feudi, & si sit diuisibile qualia regulariter sunt non habentia dignitatem, diuiditur inter illos, & si aliquis mortuus fuerit, & reliquerit filios, aut alios descendentes, ad eos pertinebit pars, quæ eueniret patri, aut alij ascendenti, si viueret, quia succedunt in stirpem, non in capita.

Hæredes autem extranei non succedunt in feudo, nisi id in institutione sufficienter exprimatur, quia successio extraneorum

est

est odiosa in feudis, vnde non succedunt, quãdo in institutione nõ dicitur, quod posſit transferri in extraneos, vel in eos, in quos voluerit, qui primo illud accepit, quando verò instituitur pro eo, & pro suis successoribus, vel hęredibus, quibuslibet, est cõtrouersia, an tunc hæredes extranei succedãt, circa quã contra non paucos existimamus, tũc succedere hęredes extraneos, vt docent Filliu. tract. 36. c. 10. q. 8. ex Bonac. disp. 3. q. 8. pun. 3. quia ea pericula *quibuslibet* omnes, & quos licet hæredes comprehendit.

Plura alia ad succesſionem in feudum pertinentia omittimus, quia eadem, vel similia dicta sunt diff. 14. circa succesſionẽ in emphiteusim, quæ applicari posſũt, & facilè ad succesſionẽ in feudũ.

Difficultas XIX. Quibus causis amittatur feudum?

CONVENIVNT DD. tribus causis, & qualibet sufficienter amitti feudum.

Prima causa, & sufficiens, vt feudum amittatur, est crimen ingratitudinis in dominum, & ita graue, vt ob sui grauitatem sit dignum priuatione feudi, vt constat ex lib. 2. feud. tit. 24. & 28.

Hoc atem, crimen ingratitudinis committitur, Primò, quando hæres feudatarij non petit inuestituram illius intra annum & diem, post adeptionem feudi, & quando feudatarius ipse intra annum & diem post obitũ, domini directi sciens probabiliter obitum domini non petit renouationem inuestituræ, vt cõstat ex lib. 2. feud. tit. 24. id autem intelligitur dum non adsit excusatio à petitione renouationis, aut primæ inuestituræ, vt contingit quando adest morbus, aut inimicitia capitalis, aut legitima absentia, aut quid simile, vt significatur in lib, 2. feud. tit. 25. §. vltimo.

Secundò, cõmittitur dictum crimen ingratitudinis, quando feudatarius fugit deserendo dominum in bello iusto periclitãtẽ, & eum poterat iuuare absque amisſione suæ vitæ, vt constat ex lib. 1. feud. tit. 5. & ex lib. 2. tit. 21. & 24.

Tertiò, committitur quando sciens domino parari insidias, eum non facit certiorem, vt constat ex lib. 2. feud. tit. 28. §. *propterea*, & idem est, si ipse feudatarius parauit domino insidias, vel eum hostiliter insecutus est, vt constat ex libro 1. titul. 5. & libro 2. tit. 57. & idem etiam committitur, quando filius, vel

domesticus, vel vassallus ipsius feudatarij offendit dominum, & feudatarius admonitus à domino, non adducit offensorem ad petendam veniam.

Quartò committitur, quando feudatarius se carnaliter immiscet vxori, vel filiæ, vel neptæ, ex filio, vel sorore domini; aut quando id tentauit, aut quando cum aliqua ex eis turpiter lusit, vt constat ex lib. 2. tit. 5. & 24.

Quintò committitur, quando feudatarius vocatus à domino ad Curiam, contemnit venire, vt constat ex lib. 2. tit. 22. & idem est, quando domino exigenti obsequium sibi debitum, negat esse feudatarium illius, vt constat ex lib. 2. tit. 26. & 34.

Sextò, committitur idem crimen ingratitudinis, quando abutitur iure feudi, vt constat ex lib. 2. tit. 22. & quando absque consensu domini alienauit feudum, traditione sequuta, vt constat ex titul. 55. quamuis postea recuperet feudum; vt constat ex tit. 44. amittit autem totum feudum, si totum alienauit, & solam partem, si eam solam alienauit.

Septimò committitur, quando dominum detulit apud iudicem, etiam ex iusta causa, excepto crimine hæresis, vel læsæ Maiestatis, vt constat ex tit. 24.

Secunda causa, sufficiens ad amissioně feudi, est crimen feudatarij contra alterum distinctum à domino, nempè, aut quando occidit suum fratrem, aut quando occidit aliquem proditorie: & ob quoduis crimen ex his dominus, amittit dominium directum feudi, vt constat ex lib. 2. tit. 47.

Ita tamen feudatarius in casibus in hac secunda, & in prima causa explicatis, amittit feudum, vt in casibus in quibus iure ipso imposita est priuatio feudi, vt in casu alienationis feudi, absque consensu domini à feudatario factæ ad amissionem, vt iure ipso amittit feudum absque sententia priuatiua feudi, requiratur, & sufficiat sententia declaratiua criminis, & amissionis feudi à die commissi criminis. In alijs verò casibus, in quibus iure ipso non est imposita amissio feudi, requisita sit sententia priuatiua feudi, vt constat ex lib. 2. feud. tit. 22. & 25 & 26.

Tertia causa, sufficiens ad amissionem feudi, est, absque culpa feudatarij, & contingit quinque modis. Primò, lapsu termini præscripti in institutione. Secundò, morte ipsius feudatarij. Tertiò, renuntiatione feudi, facta à feudatario. Quartò, professione in Religione incapaci. Quintò, præscriptione triginta anno-

annorum; qua alter procesit tamquam feudatarius, quia ea hic alter acquirit feudum, & ille illud amittit.

Difficult. XX. Ad quem transeat, aut redeat feudum, & ad quem pertineant melioramenta, & ad quem fructus rei feudalis, quando feudum amittitur, aut finitur?

CIRCA Primum supponimus, eo ipso quod feudum finitur, redire ad dominum directum. Est tamen difficultas, quando finitur.

In primis ergo finitur, & redit ad dominum directum, lapsu termini præfixi in ipsa institutione. Secundò morte feudatarij, siue naturali, siue ciuili, nempè, professione in Religione incapaci, absque filijs, & absque agnatis, & absque alijs vocatis. Tertiò finitur, & redit ad dominum directum, quando feudatarius illud alienauit absque consensu domini, non solum quando feudum est nouum, in quo DD. conueniunt, sed etiam quando est antiquum, vt contra nomullos probabiliter existimantes transire ad agnatos, exclusis filijs, & alijs descendentibus feudatarij, vt significari videtur in lib. 1. feud. tit 8. docent Azor lib. 10. cap. 16. Filliuc. tract. 36. c. 10. quæsit. 10. Bonac disp. 3. quæst. 8. pun. 3. & plures Iuristæ, vt significatur in lib. 2. feud. tit. 24. & 38. & 44. in quibus titulis, vt pote posterioribus reformatur, quod videtur significari in dicto tit. 8. libri primi, & idem credimus verum, quando amittitur culpa feudatarij contra dominum, non solum quando feudum est nouum, in quo etiam DD. conueniunt, iuxta tit. 24. lib. 2. sed etiam quando est antiquum, vt contra nonnullos probabiliter existimantes, tunc transferri ad agnatos quarto gradu remotos, exclusis descendentibus feudatarij, docent Azor, Filliuc. vbi supra, & plures alij, quando verò amittitur culpa feudatarij in alium quam in dominum: feudum, si sit nouum, finitur, & redit ad dominum: vt constat ex lib. 2. tit. 24 si verò sit antiquum non finitur, sed transfertur ad agnatos quarto gradu remotos, exclusis descendentibus, & agnatis feudatarij ante quartum gradum,

vt

vt constat ex titulo 37. & quando feudum amittitur præscriptione, transit ad eum qui illud legitimè præscripsit.

Feudum autem non transit in Fiscum, nisi quando ob crimen feudatarij in alium, quam in dominum confiscantur bona illius, vt ob hæresim, vel ob crimen læsæ Maiestatis, si feudum sit tale, vt liberum sit feudatario illud transferre, in quos voluerit. Imò sunt non pauci, vt refert Azor, qui dicunt feudum qualecumque sit nunquam transire ad Fiscum.

Circa secundum, conueniunt DD. melioramenta, quæ rei feudali accrescũt industria feudatarij, vt ędificium, quòd feudatarius construxit in prædio feudali, non pertinere ad dominum, sed ad feudatarium: esse tamen liberum domino soluere æstimationem, vel permittere vt melioramentum tollatur, si potest absque detrimento tolli: vt constat ex titul. 28. lib. 2. Æstimatio autem melioramenti, facienda est quanti valet melioramentum, v.g. ædificium, quando redit ad dominum, quamuis sint, qui existiment tanti esse æstimandum, quanti valeat materia melioramenti, v.g. materia ædificij diruti: & quando feudo acreuit iurisdictio, aut alia seruitus empta à feudatario, aut ipsi gratia ipsius donata, & non gratia domini, etiam pertinet ad feudatarium, (quidquid nonnulli dicant) vt aduertunt Azor, Filliuc. & Bonacin. & ideo quando feudum redit ad dominum, tenetur feudatario soluere tantum quanti valet melioramentum tempore reditus ad ipsum dominum, si nequeat à re feudali separari, quod si separari possit, poterit dominus permittere vt feudatarius sibi retineat. Si verò melioramentum, absque industria feudatarij, & absque donatione ipsi gratia ipsius facta, & absque alio ad feudatarium pertinẽte, sed à casu, aut naturaliter eueniat ad dominum pertinet.

Circa tertium conueniunt DD. fructus rei feudalis iam perceptos ante obitum fundatarij, ad eum pertinere, nisi aliud fuerit conuentum, aut consuetudine receptum, quia feudatarius habet dominium vtile rei feudalis: & fructus tempore mortis, feudatarij pendentes, pertinere ad eum ad quem fundus transit, nisi aliud fuerit conuentum, aut consuetudine receptum. Nonnulla alia circa hoc, & circa duo alia priora puncta, videri possunt apud Azorem, & apud Filliuc. & apud Bonacin vbi suprà.

(.?.)

Disp.

Diffic. XXI. Quis sit iudex in controuersia, seu lite super feudo, aut re feudali?

QVIA Res hæc ad Iurisperitos maximè pertinet, ab ea breuiter expediemur.

Circa eam ergo conueniunt primò DD. iudicem in controuersia super feudo, & super re ad feudum pertinente, habita inter vassallos laicos, non inuestitos ab Imperatore, aut Rege, aut à Principe suppremo, esse ipsum dominum directum feudi, vt constat ex lib. 2. feud. tit. 55. Si verò dominus sit suspectus, tunc Pares Curiæ, seu vassalli eiusdem domini esse iudices, vt constat ex titul. 46. & si non sint Pares, aut si sint suspecti, aut si nollint, aut si non possint iudicare, tunc ordinarium iudicem illius loci, esse iudicem in ea controuersia, vt constat ex titul. 15. Quando verò vassalli inter quos est controuersia, sunt feudatarij Imperatoris, aut Regis, aut Principis suppremi, seu sunt inuestiti ab aliquo eorum, tunc ipsum Imperatorem, aut Regem, aut Principem, esse iudicem in ea controuersia, vt constat ex lib. 1. feud. tit. 8. & ex lib. 2. tit. 38.

Conueniunt secundò DD. in dicta controuersia, habita inter feudatarium & alium extraneum, seu non feudatarium contendentem, v. g. sibi esse debitum feudum, dominum directum non esse iudicem, sed iudicem ordinariū loci, quia dicto domino tantum conceditur iurisdictio in cōtrouersia inter suos feudatarios: & in dicta controuersia inter ipsum feudatarium, & dominum ipsius feudi, iudicem non esse dominum, sed Pares Curiæ, seu feudatarios, & in vnum congregatos, vt constat ex lib. 2. tit. 16. & 20. & 55. dum feudatarius, & dominus in eo conueniant, quia si non conueniant, dominus potest eligere nonnullos Pares, & cogere feudatarium, vt totidem Pares eligat, & iudicio electorum ab vtroque, standum est, vt constat ex tit. 16. & 20.

In dicta verò controuersia inter Clericos, aut inter Clericum & laicum, non conueniunt DD quis sit in ea controuersia iudex, quia sunt qui existiment dominum feudi, nisi sit Ecclesiasticus non esse iudicem in ea controuersia; quia iurisdictio quā habet dominus feudi est concessa iure ciuili, quòd nō habet locū circa clericos. Azor verò, Felin. Bonon. Bald. Dec. & Cardinalis, docent in ea controuersia, dominum Feudi, quamuis laicum, esse iudi-

exigente domino : emphyteuta verò, cogitur die præfixo, quia dies exigit, seu clamat pro domino. Septimò, quod feudatarius, absque domini consensu, potest se feudo abdicare, non verò emphyteuta.

DISPVTATIO VII.

De contractu societatis.

Difficult. I. Quid sit societas?

SOCIETAS, seu contractus societatis, est, *conuentio duorum, vel plurium contribuendi aliquid ad commune lucrum, vel vsum.* Ita colligitur ex ff. & ex C. pro socio, & ex Institut. de societate.

In hac definitione *conuentio*, ponitur pro genere, quia societas in eo conuenit cum reliquis contractibus, quod sit conuentio: conuentio autem humana, qualis hæc, quæ ponitur pro genere, perficitur in solo consensu, exterius expresso. Reliquæ particulæ, ponuntur pro differentia societatis ab alijs contractibus, quia non quæcumque conuentio exterius expressa est societas; sed tantum illa, quæ est ad contribuendum aliquid, quia in societate singuli debent aliquid conferre, aut omnes socij similes res, nempè, pecunias, aut animalia, aut alias res, aut alij industriam, vel operam. Et quia ad societatem non sufficit dicta conuentio contribuendi aliquid, nisi fiat ad lucrum, quòd ad eos omnes pertineat, vel ad vsum, qui etiam omnibus conueniat, non erit societas, sed contractus, vel locationis, & conductionis, vel alius, vt si vni conueniat lucrum, vel vsus, & alteri apponenti, tantum operam, tantum detur aliquid, quamuis ipsius lucri tanquam stipendium, erit contractus locationis, & conductionis; quod est verum, quamuis ei in stipendium assignetur aliqua pars aliquota lucri, verbi gratia, quinta pars, vt fieri solet, vt operarius fiat diligentior: secus si non assignetur tanquam stipendium, sed tanquam pars lucri, seruata proportione inter operam ipsius, & inter capitale alterius, quia tunc verè erit contractus societatis.

Addi-

Addidimus in definitione *ad commune lucrum*, (sub lucro autem etiam comprehendimus vsum) quia ad rationem contractus societatis necessarium est, & sufficit socios communicare in lucro futuro, & non est necessarium communicare in capitali: contractus enim societatis potest duobus modis fieri: vno modo cũ conuentione communicationis in solo lucro, non in capitali: vt quando capitalia apposita, manent pro apponentibus illa, ita vt finita societate, sint primo ipsis extrahenda, & solum lucrum diuidendum: alio modo cum conuentione cõmunicationis in vtroque lucro videlicet, & in capitali, vt quando duo apponunt singuli centum aureos, & tertius apponit operam, cum ea conuentione, vt finita societate aggregatum ex capitali, & ex lucro diuidatur in tres partes, quæ inter ipsos tres diuidantur.

Societas autem quã definiuimus, alia est negociationis, quæ dicitur lucratoria, & quæstuosa, de qua in hac disput. agimus: alia est officiorum, & vectigalium: alia est animalium: alia est omnium bonorum, de quibus non nihil etiam, dicemus. Circa hanc difficultatem, legi possunt Molina à disput. 411. Lessius lib. 2. cap. 25. dubio 1. Bonacin. disput. 3. quæst 6. punct. 1. & Filliuc. tract. 38. capit. 1.

Difficultas II. Quibus modis possit fieri contractus societatis?

SVPPONIMVS, In quo DD. conueniunt, contractum societatis posse varijs medij fieri, tam ex parte materiæ, quàm ex parte finis, & ex parte temporis.

Et in primis, ex parte materiæ potest tripliciter fieri. Primò, potest fieri contractus societatis omnium bonorum, ita vt in omnibus fiat communicatio, & omnium eorum fiat diuisio: hæc autẽ societas potest fieri, vel omnium, tam quoad capitale, quã quoad lucrum, vel tantum omnium quoad lucrũ, quomodocumque eueniant, siue ex negotiatione, siue ex hęreditate, siue ex donatione, siue ex aliquo, vel omnium quoad lucrum ex sola negotiatione obuenientium. Quando autem societas omnium bonorũ fit simpliciter absque alio addito, intelligitur societas omnium tantum quo ad lucrum, & proueniens ex sola negotiatione, seu contractu oneroso, vt ex venditione, & emptione, locatione, permutatione,

tione, & idem est quando fit societas simpliciter, non addendo omnium bonorum, vt aduertit Molina disput. 412. Quæ autem dicta sunt colligũtur ex lege *coiri*, & ex sex sequentibus, & ex lege *socium qui*, & ex alijs legibus, ff. pro socio. Dictæ autem societati omnium bonorum, præsertim omnium quoad lucrum, possunt addi alia pacta tam ampliantia, quàm restringentia, quæ quando iuste adduntur, vt possunt, seruanda sunt.

Secundò, societas ex parte materiæ potest fieri non omnium bonorum, sed tantum alicuius partis bonorum, præsertim quoad lucrum ex negotiatione aliqua prouemiens.

Tertiò, societas ex parte materiæ potest fieri, aut rerum similium, vt quando omnes socij contribuũt, seu coferunt res similes, verbi gratia, pecunias, vel animalia, & etiam quando conferunt operas; aut potest fieri rerum dissimilium, vt quando vnus tãtum confert rem, verbi gratia pecunias, vel animalia, & alter tantum apponit operas, vel quando vnus contribuit, seu apponit animalia, & alter pastum: aut rerum partim similium, & partim dissimilium, vt quando vnus confert solam rem, & alter rẽ, & operam.

Deinde societas potest ex parte finis multipliciter fieri. Quia primo potest fieri, aut tantum ad vsum communem, vt quando socij contribuũt pecunias, vel alia bona ad conuictum communem, vt fieri solet ab Scholasticis in Academijs, aut fieri potest tantum ad lucrum, & ad vsum, & ad conuictum, vt contingit coniugibus contribuentibus bona, vel operas, vel bona, & operas simul ad vsum, & ad conuictum, & ad lucrum.

Tandem societas potest ex parte temporis multipliciter fieri. Quia alia potest fieri ad tempus vitæ, alia ad certum tempus, vt ad quinquennium, alia ad finem, seu terminum alicuius negotij. Hæc autem societas non transit ad hæredes etiam si inter socios conuentum fuerit, quod transeat vsque ad finem temporis in contractu assignati, vt constat ex lege *adeo*, & ex lege *verum*, ff. pro socio. Si tamen socij eum contractum iurauerint, socius superstes tenetur ei stare non ex obligatione iustitiæ, sed tantum ex obligatione Religionis, hæres tamen socij defuncti nullatenus tenetur, iuxta ea quæ diximus disput. 1. de contract. difficul. 7.

(.?.)

Difficult. III. Quæ requirantur ad contractum societatis?

IN Primis ad valorem contractus societatis requiritur, quòd singuli socij aliquid contribuant in communi, siue bona, vt pecunias, siue operam, ita vt si societas fiat non solum quoad lucrũ, sed etiam quoad capitale, quod est ipsa bonorum sors, omnes socij fiunt domini totius, non domini totales, sed partiales, seu partialiter, proportione seruatá ad capitale ab vno quoque appositum, & etiam fiunt totius lucri, non totales, sed partiales proportione seruata ad capitale, & ad operas, & ad alia conducentia ad lucrum, iuxta ea quæ postea dicemus.

Secundò, ad valorem contractus societatis requiritur, quòd quantum est ex ipso, lucrum fiat commune: imò etiam damnum (sub quo etiam compræhendimus expensas) vt colligitur ex lege 1. & sequentibus, ff. & C. pro socio. Addidimus, *quantum est ex ipso*: quia superaddito contractu assecurationis, periculum damni potest iuste in aliquem ex socijs trãsferri, oblata compẽsatione pro eo onere periculi.

Tertiò, ad valorem contractus societatis requiritur, quòd quantum est ex ipso lucrum, & damnum fiat socijs commune secundum proportionem ad partes sortis appositas á socijs, aut ad sortem ab vno appositam, & ad operam, & ad instrumenta, & ad alia ad lucrum conducentia, quæ ab altero apponuntur, ita vt quãdo sors, v. g. á socijs apposita sit æqualiter apposita, absque inæqualitate in opera, & in alio conducente, etiam sit lucrum, & damnum æquale: & quando sors sit inæqualiter apposita, etiam lucrũ, & damnum sit inæquale, seruata proportione ad æqualitatem, & inæqualitatem sortis; ita vt si vnus contribuit centum, & alter quinquaginta, & lucrum, aut damnum sit triginta, lucrum, aut dãnum vt viginti pertineat ad eum, qui contribuit centum, & lucrũ, aut damnum vt decem pertineat ad eum, qui contribuit quinquaginta, vt colligitur ex lege, *si non fuerint*, & ex lege *verum*, ff. pro socio. Addidimus, *quantum est ex ipso*, quia si aliter conueniatur compensando alteri onus, quod ei præter naturam ipsius contractus societatis imponitur, standum est ei superadditæ conuentioni.

Quando autem dicimus, quòd quantum est ex parte societatis

tatis lucrum fiat commune secundum proportionem, loquimur tantum de societatibus particularibus, non de societate omniũ bonorum, qualis fit inter contrahentes matrimonium, quia in tali societate facienda est æqualis diuisio lucri, non habita ratione, an aliquis eorum plus, vel minus contribuerit, quæ potest iustificari ex parte contribuentium minus, aut liberali donatione alterius, aut alijs titulis, vt industria, & opera, aut nobilitate, aut pulchritudine.

Circa hanc rem legendi sunt Molin. à disput. 411. Lessius dubio 25. Filliucius, tract. 38. capit. 1. & Bonacin. disput. 3. de contractibus.

Difficult. IIII. Quibus modis possit fieri contractus societatis, quando vnus confert bona & alter operam, & quomodo sit facienda diuisio finita societate?

SVPPONIMVS Contractum societatis quando ita fit, vt qui operam apponit, accipiat aliquam partem aliquotã lucri ipsi assignatam, vt mercedem suæ operæ: & qui apponit bona, seu sortem capitalis, eam accipiat, & totum reliquum, non esse contractum societatis, sed locationis, & conductionis: vt tamen tunc ea pars aliquota sit iusta merces, debet esse tanta, vt sit tãta spes recipiendi tantum amplius, quam opera ipsa mereatur, quantus sit timor accipiendi tantum minus.

Hoc ergo supposito, contractus verus societatis inter apponentem bona pro capitali, seu sorte, v.g. pecunias, aut animalia, aut aliqua alia, & inter apponentem operam, cui non assignatur aliquid tamquam merces, seu stipendium, potest duobus modis fieri: vno modo, ita vt apponens operam non fiat particeps sortis, sed tantum lucri: altero modo, ita vt apponens operam, nõ tã tum fiat particeps lucri; sed etiam sortis, seu capitalis.

Est ergo difficultas, quomodo, finita societate, sit facienda diuisio inter socios vtriusq; dicti cõtractus societatis, vt sit iustus.

Omissis verò varijs modis dicẽdi circa hanc difficultatẽ exi-

stimamus primò, contractum societatis inter apponentem sortem, & inter apponentem operam, in quo apponens operam nō fiat particeps sortis, sed tantum lucri posse esse iustū, si apponens operam fiat particeps lucri, seruata proportione, inter valorem operæ, vt vtilis ad lucrum, & inter valorem pecuniarum, non secundum se, sed vt vtilium ad negotiationem, & lucrum, consideratis omnibus periculis, & oneribus: ad valorem enim pecuniæ in contractu societatis, consideranda est vtilitas illius ad negotiationem, & lucrum, & considerandum est periculum amissionis illius secundum se, si aliquod aliquando sit: & ad valorem operæ in eodem contractu, consideranda est vtilitas illius ad negotiationem, & lucrum & onus satisfaciendi damno eueniенti ex negligentia illius, & periculum salutis corporalis, si aliquando sit ob operam ipsam, seruata ergo proportione inter dictos valores sortis, videlicet & operæ, facienda est diuisio lucri, vt dictus contractus sit iustus, ita vt si dictus valor pecuniarum sit æqualis dicto valori operę, lucrum sit æqualiter diuidendum inter vtrumque socium, quia sic inter eos seruatur æqualitas absque vlla inæqualitate, vt patet: & si dicti duo valores sint inæquales, lucrum sit inæqualiter diuidendum, iuxta inæqualitatem inter duos dictos valores: ita vt si pecuniæ appositæ vnius, vt sunt vtiles ad lucrum, sint dupli valoris, quam opera alterius absque aliqua alia inæqualitate, ei qui apponit pecunias sit conferenda duplex pars lucri, & apponenti operam tertia tantum pars, quia sic inter socios seruatur æqualitas, aut arithmetica, aut geometrica, seruatur autem dicta æqualitas in dicto contractu, etiam si qui apponit operam, eam amittat, quia præterit, quia etiam, qui appnoit, pecunias eas amittit, non secundum se, sed vt vtiles ad vsum iam præteritum, qua tantum ratione conducebant ad negotiationem, & lucrum, & qua ratione habebant dictum valorem. Si autem qui apponit operam, apponat operam tanti valoris ad lucrum quanti sunt pecuniæ secundum se, & vt sunt vtiles ad lucrum, tunc vt contractus sit iustus non efficiendo eum, qui apponit operam participem sortis, (vt tunc potest fieri) necessarium est quod apponenti talem operam conferatur multò maior pars lucri, quàm apponenti pecunias, iuxta excessum valoris operæ supra excessum voloris pecuniarum, vt tantum vtilium ad lucrum.

Deinde

Deinde existimamus contractum societatis inter apponentem sortem, & inter apponentem operam, in quo apponens operam etiam fit particeps sortis, posse esse iustum, si opera sit maioris valoris, quam sors, vt est vtilis ad lucrum, maioritate, seu excessu sufficiente ad participationem partis sortis conferendæ, & apponens operam nõ fiat particeps maioris lucri, sed æqualis, quæ arbitrio prudentis sunt taxanda, iuxta prædicta in conclusione præcedenti.

Finita autem societate, siue adsit lucrũ, siue non, sors tota, aut pars, quæ salua manet conferendá est ei, qui eam apposuit, & non apponenti operam, quoties hic non fit particeps sortis, quia tunc ex vna parte sors est illius, qui eam apposuit, & ex altera parte apponens operam non est factus particeps illius: at quando apponens operã factus est particeps sortis, ei est conferenda ea pars cuius factus fuit particeps, siue adsit lucrũ, siue nõ, hæc omnia docent Molin. disp. 416. Reginal. lib. 25. cap. 29. & Bonaci. disp. 3. quæst. 6. puncto. 3.

Diffic. V. Quæ damna, & expensæ fiant communes socijs?

SVPPONIMVS Conuentioni iustæ, si aliqua facta est de hac re, standum esse, & si nulla facta sit, standum esse consuetudini loci, in quo initus est contractus societatis, si aliqua est consuetudo.

Est tamen difficul. quid faciendum sit, quando nulla facta est conuentio, & nulla adest in eo loco consuetudo.

Circa quam existimamus, si capitale, seu sors pereat, perire ei soli, qui illud apposuit, vel eis solis, qui illud apposuerunt, & non ei, qui apposuit solam operam, si sit aliquis, qui eam solam apposuit, quia solus apponens sortem est dominus illius, res autem (seclusa aliqua superaddicta conuentione) perit domino, sicut ei soli salua manet: quod est verum etiam si sors pereat ante incohatam operam alterius, quia vteruis manet expositus periculo admittendi, quod apponit, siue apponat ante, siue post.

Et idem quoad rem ipsam credimus verum etiam quando apponens operam fit particeps sortis, siue liberaliter, siue ob excess

sum valoris operæ supra valorem sortis, vt vtilis ad negotiationem, quod scilicet, si sors pereat ei soli pereat, qui illam apposuit, absque eo quod tunc apponens solam operam teneatur ad restitutionem partis sortis ei, qui illam apposuit, dum aliud nõ sit deductum in pactum, etiam si in eo sensu possit dici, quod etiam perit apponenti operam facto participi sortis, quia scilicet, iam est factus dominus sortis, quamuis tantum partialiter, & eam amittit. Quod autem apponens solam operam, quãuis fiat particeps sortis, non teneatur quando sors perit ad satisfactionem partis sortis amissæ, ad quam fuit factus particeps, constat ex eo quod ad eam obligationem nullum adsit fundamentum, quia nõ fuit factus particeps illius partis quasi illi fuerit mutuata, sed vel donatione liberali, vel quasi commutatione, ac proinde apponens operam, tunc non manet quoad sortem expositus alij damno, quam amissioni illius cuius fuit factus partialiter dominus, & vere acciperet, si non periret.

Damnum ergo quoad sortem socijs communem, siue ab omnibus socijs appositam quia fuit, siue quia etiam est facta communis ei, qui nihil illius apposuit fit commune omnibus socijs, proportione seruata, vt diximus diff. 3.

Superest tamen difficultas de alijs damnis, & expensis contingentibus vltra sortem perseuerantem, siue formaliter in se ipsa, siue virtualiter in aliquo empto, aut in aliquo lucro, aut aliter.

Circa hæc ergo damna quando eueniunt ob societatẽ, seu ob negotiationem illius tamquam ob causam proximam, & non solum tamquam ob occasionem conueniunt cõmuniter DD. fieri communia omnibus socijs, & eorum recompensationem ad omnes eos pertinere, dum non eueniat ex culpa alicuius eorum, vt patet ex lege *cum duobus*, ff. pro socio, & meritó. Quia sicut lucra ex societate tamquam ex causa euenientia fiunt communia, ita etiam debent fieri damna sic ex societate euenientia. Ita Lessius capit. 25. dubio 4. Layman. libro 3. tractatu 4. capit. 20. & Bonacina disput. 3. quæst. 6. puncto 4.

Addidimus. Primò, quæ eueniunt *ob societatem, seu ob negotiationem illius tamquam ob causam proximam*, fieri communia, & eorum recompensationem ad omnes socios pertinere, vt si pergens ad negotiationem societatis spolietur à latro-

latronibus, aut captiuetur ab hostibus, quia damna, quæ non eueniunt ob negotiationem tamquam ob causam proximam, sed tantum remote, & occasionaliter, non fiunt communia, sicut nec lucra sic euenientia ex negotiatione societatis fiunt cómunia, vt si pergens ad negotiationem societatis inueniatur in intinere a suo inimico, à quo ob inimicitiam priuatam vulneratur recompensatio damni, seu expensæ in vulnere curando non pertinet ad societatem, sicut si quando pergens ad negotiationem societatis adeat Principem, & ei placeat, & ob id accipiat ab illo donum aliquod, donum illud non fit commune, quia hæc duo non eueniunt ex negotiatione societatis tamquam ex causa proxima, sed hoc posterius proximè ex amore Principis, & illud prius proximè ex inimicitia priuata, quamuis ea duo eueniant occasionaliter, & remotè ex negotiatione societatis, quia ea societate non existente non euenirent.

Addidimus, Secundò, *dum non eueniant ex culpa alicuius socij*, quia si sic eueniant, vt quando ex omissione custodiæ debitæ res societatis furto amittuntur, tunc damnum, & eius compensatio pertinet ad eum solum cuius culpa euenit. Socios autem tantum teneri ex culpa lata, & non ex leui contra non paucos, diximus tract. de contractibus, disput. 5. difficul. 6.

Vndè, contra Nauarrum, capit. 17. numer. 155. existimamus, vt optimè Lessius, maritum prodige consumentem lucra sibi, & vxori communia, vel aliquid eorum, teneri ad satisfaciendum vxori, & in mariti defectum teneri hæredes ipsius, ac proinde quando ipsa nequeat sibi commodè consulere, poterit vti compensatione occulta.

Circa expensas absque culpa alicuius socij ob negotiationem societatis proximè, seu tamquam ob causam factas, vt quæ fiunt in asportandis, & custodiendis mercibus, & quæ fiunt ob profectum ad negotiationem, conueniunt communiter Doctores, fieri communes omnibus socijs ob rationem supra adductam, quia scilicet, sicut lucra sic euenientia fiunt communia, ita etiam impendia, seu expensæ: quod intelligitur si adsint, aut futura sint bona communia ex quibus fiant, quia quando non sunt, nec futura sunt, extrahendæ sunt ex sorte, quamuis sors sit vnius tantum: si verò nihil superfit ex lucro, nec ex sorte, tantum pertinent ad eum, qui

eas fecit, & non ad alios socios, quia vt supponimus dicta societas non est omnium bonorum, nec omnium lucrorum, quia eo ipso etiam esset omnium damnorum, & expensarum; sed tantum est dictæ sortis, & lucri ex ea prouenientis.

Est tamen difficultas, an ex expensis factis ab aliquo socio in itenere detrahendum sit quod domi manens consumeret, ita vt id non pertineat ad societatem, sed tantum ad ipsum, qui illud consumeret.

Maior. in 4. dist. 15. quæst. 47. Petrus Nauarr. libr. 3. cap. 12. num. 465. Rebell. & alij docent, detrahendum esse id, quod domi manens consumeret. Quia ob negotiationem non consumpsit, quod domi manens consumeret, sed tantum excessum supra id.

Molina verò disput. 418. Lessius, & Bonacin. vbi supra, docent, integras expensas etiam, quod domi manens consumeret pertinere ad societatem, & meritò. Quia id significatur in dicta lege *cum duobus*, & in lege 6. Castellæ, titulo 10. part, 6. dum in eis absolutè, & absque limitatione, dicitur expensas factas a socio proficiscente, ad negotium societatis extrahendas esset ex bonis communibus societatis, & ratione constat. Quia eas integras efficit, quia proficiscitur ad negotium societatis, sicut quando domi manet efficit minores quia domi manet. Vndè, antecedens rationis aduersariorum est falsum. Quod si qui domi manens negotiatur, non accipit expensas domi factas, est quia sic est conuentum expressè, vel implicite, si tamen non esset sic conuentum, & eas acciperet eius opera esset digna minore æstimatione.

Difficaltas VI. Quibus modis finiatur contractus societatis?

CONVENIVNT Doctores contractum societatis finiri quatuor modis. Primò finitur, finito tempore assignato ad negotiationem, aut finita negotiatione ipsa, ad quam factus fuit contractus, vt ex se patet, & constat ex lege *actione*, §. *item si alicuius*, ff. pro socio. Nihilominus dum in communione perseuerant videntur tacitè approbare societatem,

tem, quemsque saltem alter renuntiet, vt ex se patet, & colligitur ex dicta lege *actione*.

Secundò, finitur pereunte sorte, seu capitali, in quo contractus societatis fundatur, aut capitali facto inepto ad societatem, vt constat ex lege *verum*, § vltimo, ff. pro socio, & id videtur naturæ societatis conforme, & idem est quando ferè totum capitale perijt, quamuis remaneat aliquid illius, & idem etiam videtur, quando socius apponens operam fit ineptus ad eam.

Tertiò, finitur morte naturali vnius socij, quamuis plures alij socij sint superstites, aut dum non fuerit conuentum, quod non dissoluatur morte vnius, nec plurium, dum plures supersint, vt constat ex dicta lege *actione*, & ex dicta lege *verum*, aut dum non finitur intempestiue, id est cum præiuditio rerum, aut negotiorum, vt quando triticum est seminatum, & non collectum, quia tunc contractus societatis transit ad hæredes defuncti, aut dum contractus societatis est circa vectigalia, vel circa alias res publicas, quia etiam tunc transit ad hæredes defuncti, si hæres est idoneus societati, & non solum finitur morte naturali socij, sed etiam morte ciuili, nempè, exilio, aut professione Religionis: imò & quando fit ita egens, vt nequeat contribuere capitale promissum, vt quando ei omnia bona confiscãtur, aut quando ob debita cedit suis bonis, vt constat ex dicta lege *actione*, & ex dicta lege *verum*, & ex instituta de societate, & ex lege 10. Castellæ, part. 5.

Quartò, contractus societatis finitur renuntiatione, id est mutuo consensu sociorum, siue expresso, siue tacito, qui contingit, quando quilibet incipit negotiari in proprium commodum, vt constat ex lege *actione*, & ex lege *itaque eum separatim*, ff. pro socio, absque mutuo autem consensu sociorum, solo consensu vnius, aut plurium, absque consensu omnium, non finitur quoad in commodum renuntiantis, benè tamen quoad eius commodum, vt constat ex lege actione, nisi in aliquibus casibus, in quibus omnino finitur etiam quoad incommodum. Primò, quando id exigit necessitas publica, vt si aliquis ex socijs necessarius sit Reipublicæ, ita vt nequeat exercere officium socij, & nequeat alium in sui locum subrogare. Secundò, quando nulla subest prudens

ſpes obtinendi id cuius gratia factus eſt contractus. Tertiò, quando alij ſocij non ſeruant fidem, quia frangenti fidem non eſt fides ſeruanda. Quartò, quando aliquis ſocijs damnum patitur ab alijs ſocijs, quia æquum non eſt, vt quis cogatur proſequi cum eis, à quibus patitur damnum.

Qui autem ſint, qui poſsint contractum ſocietatis inire, conſtat ex dictis tractatu, de contractibus, diſput. 1. difficult. 14.

DISPVTATIO. VIII.

De ludo.

Difficult. I. Quid ſit ludus.

SVPPONIMVS Primò, quod ſicut iocus conſiſtit in dictis ad oblectationem animi deſtinatis, ita etiam ludus conſiſtit in factis etiam ad oblectationem animi deſtinatis.

Supponimus ſecundo, quod ſi iocus, & ludus fiant ob honeſtam oblectationem, ſeu recreationem, & cum alijs debitis circunſtantijs, ſunt actus virtutis Eutropeliæ ad temperantiam pertinentis.

Supponimus tertiò, quòd ſi ludus fiat ſub conuentione, qua colludentes vicisſim intereſſe aliquod, verbi gratia, pecuniam, periculo exponant incommodum illius, qui ex ipſis victor euaſerit, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quod non tollit poſſe etiam ſimul eſſe actum virtutis Eutropeliæ, ſi etiam fiat ad dictam honeſtam recreationem: de ludo tamen, vt ad iuſtitiam commutatiuam pertinet, hanc diſputationem inſtituimus.

His ergo ſuppoſitis, ludus, de quo diſputamus eſt contractus, in quo victori intereſſe ab ipſis colludentibus expoſitum tribuitur.

Addimus, quod ludus, qui magis fortuna regitur, quam induſtria, dicitur ludus alearum, qualis eſt ludus taxillorum (Hiſpane *dados*) & ludus chartarum pictarum, & alij.

(?.)

Difficul.

Difficultas II. Vtrùm ludus iure naturali, secluso positiuo, sit licitus?

SVPPONIMVS, quòd negari non potest, ludum etiam alearum ex suo obiecto esse iure naturali, seu sua natura, secluso iure positiuo, licitum: quia ita potest fieri, vt in eo nihil inueniatur rationi dissonum.

Est tamen difficultas, an sit illicitus, quando fit animo lucrandi.

Gab. in 4. distin. 15. quæst. 13. artic. 2. Panormit. in cap. *Clerici* 2. de vita, & honestate Clericorum. Abulensis in capit. 6. Matthæi, quæst. 55. Syluest. verbo, ludus, & alij, docent, esse illicitum (ex quibus nonnulli id tantum docent, quando eo animo principaliter exercetur) probari autẽ potest. Primò, quia ludus animo lucrandi exercitus est contra decimum Decagoli præceptum: *Non concupisces rem proximi tui*. Secundò, quia eo animo ludentes intendunt sibi inuicem damnum inferre, quod videtur contra charitatem proximi. Tertiò, quia ludus eo animo exercitus videtur otiosus, quia non videtur vtilis ad lucrum tunc intentum, quia non minus est expositus perditioni, quam lucro. Quartò, quia ludus etiam absque eo animo exercitus, videtur prodigalitas, quia in eo exponuntur bona periculo. Addunt Doctores huius sententiæ, esse peccatum mortale, quando luditur magna quantitas. Imò Abulensis addit, esse peccatum mortale, quamuis parua quantitas ludatur, quia est contra charitatem proximi.

Molina verò disput. 510. Lessius cap. 26. dub. 1. Filliucius tract. 37. cap. 4. Salas tract. de ludo dub. 1. Faustus disput. 32. Layman. tract. 4. cap. 21. Bonacina disput. 2. quæst. 3. part. 1. & communiter Doctores docent, ludum etiam alearum iure naturali, seu ex sua natura licitum esse, etiam si fiat animo lucrandi, & principaliter, & magnam quantitatem. Et meritò; quia iñ ludo ea intentione exercito *nulla* dissonantia, ad rationem, nec ad virtutem aliquam reperitur: quia in primis intentio ipsa lucrandi, ex eo quod sit lucrandi, non est mala, sed indifferens, quia lucrum ipsum, cuius est intentio, etiam est indifferens, & non malum: aliàs omnes contractus lucratiui essent illiciti. Et confirmatur, quia intentio lucrandi non est contra decimum De-

Decalogi præceptum, quia non eſt intentio damnificandi in rigore proximum, quando lucrum, & incommodũ proximi intẽditur contractu iuſto, ſeu æquali, qualis eſt ludus ex ſuo obiecto; ſed tãtum, quando intenditur iniuſtè: nec ea intentio eſt contra charitatem proximi, quando non habetur ex odio, ſeu ex diſplicentia proximi, vt poteſt non haberi. Deinde ludus ipſe ex eo quòd ſit æque expoſitus lucro, & perditioni non eſt otioſus, quia verè eſt vtilis ad lucrum, quamuis cum dicto periculo: tandem nec ludus, ex eo quòd in eo exponantur bona ipſi fortunæ, & periculo, eſt illicitus malitia aliqua prodigalitatis contra liberalitatem, quia ea exponere periculo, quando expoſitio non eſt minus ad lucrum, quàm ad perditionem, vt contingit in ludo, & in emptione iactus retis, & in contractu aſſecurationis, & in contractu ſortium non eſt prodigalitas aliqua, quia non exponuntur periculo abſque aliqua rationabili cauſa, quia non exponuntur abſque ſpe lucrandi. Neque ludere ſalutationem Angelicam eſt illicitum, quia in eo nulla reperitur irreuerentia contra Deum, neque ſymoina aliqua, neque alia malitia; vt contra Lopez docent Nauarr. Rebell. Salas, & Bonacin. punct. 1. Ex quibus conſtat ad fundamenta aduerſariorum.

Addimus, quòd quamuis quando intentio lucrandi eſt nimia, ſeu immoderata, ſit peccatum veniale auaritiæ: ex hoc tamẽ capite, nunquam eſt peccatum mortale, in quo Doctores communiter conueniunt, quia in eo non apparet grauis diſſonantia ad rationem, & temperantiam.

Difficult. III. Vtrùm ludus ſit iure poſitiuo illicitus?

SVPPONIMVS, ludum non eſſe iure aliquo diuino illicitum, quia nullum diuinum ius extat, quo ſit prohibitus.

Nihilominus, quamuis ludus non ſit iure naturali, nec diuino prohibitus: ludus alearum eſt iure humano prohibitus, laicis iure communi ciuili, leg. 1. & 3. C. de Aleatoribus, & leg. *ſolent*, de Aleatoribus. Et in Authent. Alearum, C. de Religioſ. & ſumpt. funer. Et laicis, & Clericis eſt prohibitus iure canonico, Can. 41. & 42. Apoſtol. & cap. Epiſcopus, diſt. 35. & ſolis Clericis eſt prohibitus iure canonico, capit. Clerici 2. de vita & honeſtate Cle-

Clericor. & cap. *inter dilectos*, de excessibus Prælatorum, & iure Tridentini Sef. 22. cap. 1. de reformatione. Nomine autem Clericorum, intelligũtur clerici in sacris constituti, non verò clerici tantum in minoribus, quamuis Beneficiarij.

Ex vi tamen prædictorum iurium laici, aleis ludentes non videntur peccare, vt aduertunt Lessius, Filliucius, & Faustus, & indicat Sancius lib. 1. Consiliorum, dub. 251. Imo nec in Castella peccant ludentes taxillis (Hispanè dados) quamuis hic ludus sit prohibitus iure legis 15. tit. 26. lib. 8. nouæ Collectionis, vt aduertunt Filliucius, & Saias, dub. 4. quia quoad laicos omnia dicta iura videntur à suo rigore cecidisse. Clerici verô, raro, & non crebro, aleis ludentes non peccant mortaliter, si non sit graue aliquod scandalum, aut alia circunstantia grauis contra rationem: quia vt prædicti, & alij Doctores aduertunt, eis iuribus tantum videtur illis prohibita frequentia in eo ludo, quia ea iura loquuntur de aleatoribus, nomen autem, *Aleator*, frequentiam denotat: imò Layman cap. 21. eos raro, & moderate ludentes excusat, & satis probabiliter, à veniali. Et vt aduertunt Bonacina, & alij, non desunt, qui eos à mortali excusent, quamuis frequenter, & magnam quantitatem ludant, quia dicta iura etiam videntur à suo rigore cessasse.

Difficul. IIII. Vtrùm qui ludo prohibito lucratur, teneatur ad restitutionem lucri?

DIFFICVLTAS Hæc procedit stando in iure communi, an scilicet in eo stando, teneatur ad restitutionem lucri?

Sanct. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. vltima, Bonacin. q. 1. art. 2. Richard. q. 8. art. 5. Paludanus q. 3. Sylu. verbo, ludus, q. 13. Armil. num. 6. & plures alij, docent, eum qui ludo prohibito, qualis est alearum, siue pecunia præsenti, siue credita lucratur, teneri ad restitutionem lucri, quia eo ipso quò 1 ludus prohibetur iure, irritatur, vt patet ex leg. *Non dubium*, C. de legibus, Ergo eo ludo, vt pote nullo, non acquiritur dominium lucri, Ergo eo lucrans tenetur ad restitutionem lucri, vt pote non sui, sed perdentis. ex Auctoribus huius sententiæ alij docent, restituendum esse pauperibus, quãdo lucrator, seu victor inductus fuit à victo ad ludendũ: quando verò victus, seu perdẽs inductus fuit à victore, restituendum esse ipsi perdenti.

Adria-

Adrianus verò in 4.q.11.de restitutione, Caietan. Bañez. & Aragon 2.2.q.32.art.7. Couarr. regula peccatum.p.2.§.4. Sancius lib.1.Consil.cap.8.dub.1.Mol.disp.513. Les.cap.26. dub. 3. Salas dub.5. Faustus disp.32 q.5.& Bonacin.q.3.p.3. docēt, non teneri ad restitutionē lucri medio ludo prohibito, siue pecunia præsenti, siue credita. Et meritò, quia ludo quamuis prohibito, acquiritur dominium lucri; ergo verè potest illud in conscientia retinere? Consequentia patet, antecedens autē probatur, quia ludo valido verè acquiritur dominium lucri accepti, ludus autem quamuis sit prohibitus, non desinit esse validus, quia quāuis prohibeatur, nō irritatur, quia tantū prohibetur verbis simpliciter prohibentibus, non irritantibus, nec ex eo quôd sit simpliciter prohibitus, fit quod etiam sit irritatus, quia id non fit natura, seu iure naturali prohibitionis, quia multa sunt prohibita, & illicita, quæ sunt valida, vt patet in matrimonio facto post votum castitatis, & in matrimonio facto post sponsalia cū alia persona, & in vēditione facta in loco sacro: nec ex eo quòd sit prohibitus fit iure aliquo positiuo irritus, quia nullum tale ius extat vsu receptum, vt patet ex exemplis matrimonij, & venditionis adductis.

Lex autem illa Imperatoria, *Non dubium*, pro aduersarijs adducta, præter quā quod non habet vim in nostro Regno Castellæ, nec in alijs multis nō subditis Imperio, credimus etiam in ei subditis, vt indicat Molina disp.88. non esse vsu receptā, nisi in foro exteriori, & post latam sententiam iudicis: præsertim quod dicta lex, vt aduertunt Molina, Rebell. & Salas, ad summum habet locum, quando lex prohibens sistit in prohibitione, & non transit ad aliquem modum infirmandi, quod contra eam fit, quia tunc ea lege sic prohibente, non videtur aliter infirmari, quàm iuxta modum qui in ea traditur, & quia leges ciuiles prohibentes, ludum non sistunt in prohibitione, sed transeunt conferendo perdenti actionem ad repetendum intra certū tempus in iudicio lucrum. Ideò dictę leges nō intendunt irritare ludū, nec obligare ad restitutionem lucri, nisi post latā sententiam, & ideo tantum obligant post eam latam.

Addimus, vt aduertūt Moli.disp.513.& Salas dub.5. quòd quāuis intētio legislatorū prohibentiū ludū, fuisset irritare contractū ludi (quod est falsum) iam tamen consuetudine contraria eorum leges, essent quoad hoc abrogatæ, quia consuetū est, omnes ludētes ludis prohibitis, lucrum tanquam propriū retinere. Imò sunt

qui

qui existiment, etiam esse abrogatas, quoad actionem repetendi perdenti concessam, quia nunquam id petunt. Hoc tamen posterius, quoad actionē, videlicet, multis displicet, & non absq; ratione, quia lex non abrogatur per nō vsum, sed cōtrarijs actibus. Ac proinde, quoad dictam actionē non abrogantur per nō vsum petendi; abrogarentur tamē, si petentibus negaretur à iudicibus, quod peterent.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis prædicta sint generaliter vera, stando in iure cōmuni, iure tamen Castellæ, leg. 8 & 9. tit. 7. lib. 8. nouæ Collectionis, quòd perditur ludo pecunia credita (qui eo iure prohibetur quamuis, alias pecunia præsenti non esset prohibitus) restituendum est ante iudicis sententiam, quia eo iure non solum fuit prohibitum ludere pecunia credita, quāuis ludis aliàs licitis, sed etiam talis ludus irritatur, & promissio soluendi eo ludo perditum, vt aduertunt Molina disp. 515. & alij.

Diffi. V. Vtrùm qui ludo prohibito, siue pecunia credita, siue præsenti perdit, teneatur illud in conscientia soluere?

DIFFICVLTAS Hæc procedit, stando in iure cōmuni, an scilicet stādo in eo, teneatur in cōsciētia soluere quod perdidit?

Medina C. de restit. q. 22. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 2. & alij, docent, teneri in conscientia soluere, quāuis postea possit illud in iudicio repetere, quia contractus ille, quāuis iure positiuo prohibitus, est verè validus, ergo eo lucrans etiā ante traditionē lucri acquirit ius in lucrum, iuri autem lucrantis correspondet in perdente obligatio soluēdi, quia generaliter iuri in vna persona, correspondet obligatio in altera.

Adrian. verò, Couar. Less. & Bonac. vbi dif. præcedēti, & Azor 3. p. lib. 5. c. 24. & alij, docent, non teneri in conscientia soluere, & meritò: non quia ludus prohibitus, eo ipso sit nullus, sed quia iure Auth. *vt alearum*, C. de Religiosis, & sumptibus funerum, perdenti lucro prohibito, conceditur actio ad repetendū solutū, qui autē potest aliquid iā traditū repetere, etiā potest nō tradere, etiā si nō recurrat, nec velit ad iudicē recurrere: quia cui cōceditur actio ad repetendū, etiā conceditur exceptio vt non soluat, iure legis *creditori*, C. de pactis, & regul. 71. de regulis iuris in 6. imò & iure naturali, quia cui conceditur, vt aliquid post traditū recu-

recuperet, etiam conceditur, vt illud non tradat. Obligatio autē ex dicto contractu ludi valido orta limitatur ex vi iuris positiui, vt tantum deseruiat ad hoc, quod si lucrans accipiat lucrum, non teneatur illud restituere, quousque id media sententia iudicis præcipiatur.

Et ob eandem rationem stando in iure Castellæ, minor quatuordecim annis, non tenetur soluere, quod ludo prohibito perdidit pecunia præsenti; bene tamen maior, quia iure Castellæ prægmaticæ anni 1575. dictis minoribus, exclusis maioribus, cōceditur actio ad repetendum, etiam si antiquitus iure Castellæ lege 10. tit. 23. part. 1. & lege 2. tit. 7. libr. 8. nouæ recopilationis, etiam maioribus ludo prohibitio perdētibus cōcedebatur actio ad repetendum iam solutum. Iure tamen Castellæ, leg. 8. & 9. tit. 7. lib. 8. nouæ collectionis nullus, nec minor maior tenetur soluere quod ludo pecunia credita perdidit, quia eo iure talis ludus, & promissio ei annexa irritatur, & fit nullius valoris.

Obseruandum est, vt contra Reginaldum, Lessium, & Bonacinam, part. 9. ad finem, aduertit Sancius dubio 5. eum qui ludit ludo prohibito valido, intendens non soluere, aut iam solutum repetere in iudicio, non teneri restituere, quod lucratus fuerit, quia tunc tantum intendit vti beneficio legis, in quo nulla est inæqualitas, quia etiam alter collusor posset id intendere: nec est aliqua deceptio, quando non dixit collusori, se soluturum, & non repetiturum: quia si hoc dixit, eum decipiendo tenetur ad restituendū ratione deceptionis, si ob eam alter lusit.

Difficult. VI. Vtrùm collusor, qui alterum iniuste cogit ad ludum, teneatur ad restitutionem lucri?

SOTVS 4. de iustitia, quæst. 5. Couarr. reg. peccatum, part. 2. §. 4. Sancius lib. 1. cap. 8. dub. 9. Lessius dub. 2. Rebell. quæst. 7. Filliucius, num. 97. & Salas dub. 6. docent, collusorem iniuste cogentem alterum ad ludum, siue vi, siue minis, siue fraude, siue aliter, teneri ad restitutionē lucri, quia sua iniusta coactione fuit causa iniusta perditionis illius ipsi coacto.

Molina verò disput. 516. Turrianus disput. 55. dub. 11. & Bonac.

Bonacin. quæst. 3. punct. 2. docent, non teneri (quod nos etiam diximus disputat. 1. difficul. 5.) & meritò quia ex vna parte tunc ludus fit validè, vt in ea diffic. 5. diximus: & ex altera collusor cogens non fuit causa illius perditionis, (ac proinde nec iniusta) quia non fuit causa inmediata illius, vt patet, nec fuit mediata, mediante videlicet ludo, quia quamuis cogens fuerit causa ludi, ludus tamen secundum se non est causa perditionis, sed fortuna ipsa, cuius ludus non est causa, quia ludens medio ludo non est magis expositus perditioni, quàm lucro. Vndè, quamuis cogens fuerit causa iniusta ludi; non tamen perditionis adhuc mediata ex quo constat ad rationem aduersariorum eius antecedens esse falsum.

Difficult. VII. Vtrùm qui fraudibus in ludo lucratur teneatur ad restitutionem lucri?

CONVENIVNT Doctores, collusorem, qui fraudibus, seu cautelis consensu ipsorum colludentium statutis, vel si nihil sta tuerunt fraudibus consuetudine loci, in quo fit ludus receptis, aut permissis, lucratur, non teneri ad aliquam restitutionem, vt patet, quia tunc nullam infert iniustitiam collusori. Eum verò, qui fraudibus, seu cautelis non receptis consuetudine, seu consensu colludentium statutis, lucratur, teneri ad restitutionē lucri, imò ad restitutionem eius, quod collusor lucraturus erat, si aliquid erat lucraturus, si eis cautelis non impediretur, vt patet, quia tunc est causa iniusta dicti lucri, & etiam dicti impedimenti lucri in suo collusore, si aliquando impediuit. Ita Sancius dub. 12. Couarr. Lessius, & Bonac. vbi sup.

Vndè, non tenetur ad restitutionem lucri, qui certus, quod lucraturus est, quia habet priorem locum, & meliorem sortem, v. g. quinquagintaquinque auget sponsionem, seu expositum (Hispane embida) nec tenetur, quamuis fingat, se dubitare, an augeat expositum, vt alter acceptet: nec tenetur, quãuis simulatè dicat, transeat (Hispane, passe) vt sic prouocet alterum ad augendum expositum: nec tenetur, qui numerat pauciora puncta, quam habet, vt eo alter antequam sua pūcta numeret, augeat expositum, & postea numerat omnia sua puncta, & lucratur: nec qui bona fide accipit sibi primum locum (Hispane, la mano) alteri debitú,

quia hæ cautelæ consuetudine sunt receptæ, vel permissæ à colludentibus.

Econtra verò, tenetur ad restitutionem lucri, qui signat chartas, vt eas cognoscat, & ob id aliquid lucratur: & etiam qui accipit aliquam chartam vltra eam, quæ sibi fortè euenit, & ob id aliquid lucratur. Et etiam qui sibi numerat plura puncta, aut alteri pauciora, & ob id aliquid lucratur, & etiam qui ita ordinat chartas, vt sibi fœlix sors contingat, & ob id aliquid lucratur: & qui mala fide sibi accipit primum locum alteri debitum, & ob id aliquid lucratur: quia hæ fraudes, & cautelæ non sunt à colludentibus receptæ, nec permissæ.

In dubio autem puro absque prudenti iudicio determinato, an quis ob suam fraudem non permissam impedierit alteri collusori lucrum non tenetur ad restitutionem, quia in dubio melior est conditio possidentis: & ob eamdem rationē in puro dubio an ipse ob suam fraudem non permissam lucratus fuerit aliquid, tenetur illud non accipere, aut iam receptum restituere, quia *scilicet*, in eo dubio melior est conditio prioris domini, qui illud possidebat.

Deinde, vt aduertunt Sancius dub. 17. Bonacin. & alij: collusor tenetur ad restitutionem lucri, si ob admonitionem capite, aut aliter factam ab inspectore ludi acceptet auctionem expositi factam ab altero collusore, quam ea admonitione seclusa non acceptaret: quia fraude, & iniustitia inspectoris lucratus fuit, & in defectum colllusoris non restituentis, tenetur ipse inspector. In puro autem dubio, an acceptaret, si non admoneretur, tenetur ad restitutionem partis lucri ad arbitrium viri prudentis. Ex eo verò, quod inspector ludi non admoneat loci debiti, nec punctorum ipsorum collusorum errantium, non tenetur ad restitutionem, quia ad id non tenetur ex iustitia; etiam si aliquando teneatur ex misericordia. Imò vt contra Nauarrum, Molinam, Azorium, & Rebel. aduertunt Sancius dub. 14. Lessius, & Salas, collusor non tenetur ex iustitia admonere alterum collusorem errantem in punctis, & ob id perdentem, ac proinde nec tenetur ad restitutionem: quia neuter collusorum tenetur agere partes alterius.

Qui autem notabiliter excedit alterum in arte, & industria ludendi, & fingit, seu simulat, non habere eum excessum, & ob hunc excessum lucratur, & non ob fortunam: tenetur secundum omnes

ad

ad restitutionem lucri, quia tunc illud iniuste lucratur, quia illud lucratur fraude non permissa inter colludentes. Non tamen tenetur, si alter collusor eum excessum cognoscens nihilominus ludit, vt contra nonnullos aduertunt Sancius dub. 13. Couar. Medina, & alij; quia absque dubio ea est lex in ludo recepta: imò etiam si quando alter ignorat eum excessum, DD. communiter existimẽt ad restitutionem teneri; non tamen caret probabilitate non teneri, vt aduertit Salas dubio 25. quia id videtur in ludo permissum, vt in eo vnusquisque suas partes agat. Quod absque dubio sentiunt Couarr. Nauarr. Toletus, Layman. Saa, & Decius, dũ vt referemus difficul. 9. docent, in sponsionibus (Hispane, apuestas) certum de veritate, siue experientia, siue scientia, siue diuina reuelatione, siue aliter, non peccare spondendo, nec ad restitutionem lucri teneri, etiam si alter illius certitudinem ignoret, quia quoad hoc eadem est ratio in ludo, & in sponsionibus, & id esse verum, & permissum etiam in ludo, quando excessus non est notabilis, omnes Doctores admittunt, vndè æqualitas in industria, & in certitudine non est inter colludentes, & inter spondentes necessario seruanda: nec ignorantia excessus alterius, quãuis dans causam contractui ludi, aut sponsionis, quia absque ea ignorantia non fieret ludus, aut sponsio, non irritat illum, quia non est circa substantiam illius, vt patet, & ob id ea ignorantia facilè permissa est in ludo, & in sponsionibus.

Difficultas VIII. Qui non possint in ludo alienare ita vt ob id qui ab eis lucratur, teneatur ad restitutionem lucri?

CONVENIVNT Doctores, eos qui non habent dominium, & liberam administrationem bonorum, quæ ludunt, quales regulariter sunt seruus, seu mancipium, Religiosus, filius familias, minor viginti quinque annis, & vxor, non posse validè ea in ludo alienare: & eum qui ea lucratur, teneri ad eorum, vt pote alienorum, restitutionem.

Ita Sancius lib. 1. capit. 8. à dubio 7. Lessius, capit. 26. dubio 5. Salas à dub. 8. & Bonacin. disp. 2. q. 3. pun. 2.

Sed quamuis prædicti regulariter non possint in ludo validè alienare, quia regulariter carent, aut dominio, aut libera administratione bonorum, aut vtroque, aliquando tamen possunt.

In primis ergo seruus, seu mancipium regulariter non potest in ludo alienare, seu perdere, nisi ex consensu, saltem probabiliter præsumpto sui domini, quia regulariter caret bonis; quando verò ea habet, vt contingit, quando aliquid subtrahit ex eis, quæ illi dominus ad sui sustentationem confert, & in alijs casibus, quos enumerauimus tract. 1. de iustit. disp. 1. difficult. 18. potest ea ludo perdere, quia habet dominium eorum, & nullo iure impeditur de eis disponere.

Secundò, filiusfamilias pubes, & secundum sententiam probabilem etiam pubertati proximus, potest bona castrensia, & etiam quasi castrensia ludo licitè, & validè perdere, quia eorum habet dominium, & liberam administrationem, non verò bona profectitia, nec aduentitia absque consensu, saltem præsumpto patris, quia profectitiorum non habet dominium, & aduentitiorum, quamuis habeat dominium; non verò liberam administrationem, vt diximus dicta disput. 1. difficul. 17. & idem quoad prædicta dicendum est de minori respectu curatoris, & de pupillo respectu tutoris.

Nihilominus, vt aduertunt Sancius dub. 7. & plures alij, filius familias potest moderatam quantitatem ludo perdere, quamuis pater expresse dissentiat, præsertim quando filius in aula, aut in studijs versatur, quia id absque ratione pater negabit filio, etiam si possit quoad erogandam eleemosynam, quia ludus, & non eleemosyna, pertinet ad vitæ humanæ necessitatem, cui pater tenetur subuenire. Quantitas autem, seu, summa moderata, quam filius etiam patre dissentiente, potest ludo perdere discernenda est ad arbitrium viri prudentis, attentis statu patris, & filij, & diuitijs patris, quia quantitas, quæ est moderata respectu filij patris diuitis, erit regulariter excessiua respectu patris non diuitis: & quæ est moderata respectu filij patris Comitis, erit regulariter excessiua respectu filij patris non Comitis, quamuis æqualiter diuitis cum Comite.

Tertiò,

Tertiò, vxor non poteſt licitè, nec validè abſque conſenſu, ſaltem præſumpto mariti bona mariti ludo perdere, nec bona vtrique communia: & in Caſtella, nec bona ſua paraphernalia; benè tamen hæc in terris ſubditis Imperio, poteſt tamen licitè, & validè, etiam ex bonis mariti quando alia non habet quantitatem, attentis eorum ſtatu, & diuitijs mariti, moderatam ludere, adhuc expreſſe diſſentiente marito, quia id pertinet ad decentem ſtatū vxoris, quē maritus ſuſtentare tenetur, vt aduertunt Sancius vbi ſupra, & plures alij.

Quartò, Religioſus non poteſt licitè, nec validè abſq; conſenſu ſuperioris, ſaltem prudenter præſumpto, aliquid ludo perdere ex conſenſu tamen ſuperioris poteſt validè, quãuis non licitè, notabilem quantitatem perdere, vt aduertit Leſs. dub. 5. quia ludus eſt contractus oneroſus, qui poteſt eſſe monaſterio vtilis; poteſt tamen licitè, & validè, quando eſt foris in ſtudijs, aut in negotijs monaſterij quantitatem ad arbitrium viri prudentis, moderatam ludo exponere cauſa honeſtæ recreationis, vt aduertunt Nauar c. 20. n. 12. & Fauſtus diſp. 32. c. 21. imò in aliquibus Religionibus, etiã quando eſt intra monaſteriū, quãdo id eſt cõſuetudine receptū, & fit ex cõſenſu ſuperioris ſaltē probabiliter præsũpto.

Omnia prædicta circa hanc dif. amplius conſtãt ex dictis diſp. 1. dif. 14. & diſp. 12. dif. 6. & ex tract. 1. de iuſt. à diff. 7. & tract. de charitate, diſp. 5. diff. 14. & 18.

Addimus (vt contra nonnullos aduertunt Sanc. dub. 7. & alij) totam quantitatem, quam filius, & vxor, imò & Religioſus, poſſunt licitè, & validè in toto anno diſtinctis ludis perdere, etiam poſſe in vno ludo; poſtea tamen in eo anno non poterit licitè, nec validè amplius perdere.

Obſeruandū tamen eſt primò, quòd ſicut quãdo filius familias, & quicumq; alius, qui ludēs rē quã non poteſt validè perdere, alter colluſor lucrans tenetur ad reſtitutionē lucri, ita etiã ipſe filius, & quicũq; alius nõ potens validè perdere, ſi lucretur, tenetur etiã ad reſtitutionē lucri: aliàs cõtract' ille ludi nõ eſſet æqualis, & iuſtus. Et idē eſt, quãdo fur, aut depoſitarius re aliena expoſita ludo, quã nequit validè perdere, lucratur, quia ob eãdē rationē tenetur ad reſtitutionē lucri, ſicut ab eo lucrãs, tenetur ad reſtitutionē; quamuis hic bona fide exiſtimãs eſſe ipſius furis, aut depoſitarij ludat. Si tamē fur, aut depoſitarius exponat rē alienã quã poſſit validè perdere, vt verè poteſt rem alienam recipiētem functio-

nem, v.g. pecuniã, si habeat aliam pecuniam propriam, quia nec fur, nec depositarius tenetur eandem numero pecuniam restituere, dum posit aliam restituere.

Obseruandum est, secundò, filiumfamilias, aut alium tantum potentem perdere, v.g. quatuor, non posse vno iactu, seu vna manu cum vno solo valide lucrari, nisi quatuor, nisi alter collusor ob maiorem suam industriam, aut ob aliam rationabilem causam cedat, quia aliàs contractus ludi non esset æqualis, & iustus. Cũ duobus verò collusoribus poterit lucrari duplum, & cũ tribus triplũ, & sic cum reliquis, à quolibet tantam quantitatem, quantam ipse potest perdere: & reliquis iactibus, seu manibus poterit lucrari tãtum quantum in eis iactibus habuerit etiam ratione lucri acquisitum in prioribus iactibus. Quod etiam credimus verũ in filio familias, & quia id quod lucratur sibi, & non patri, lucratur: sicut sibi perdit, & non patri, quia pater non tenetur soluere quod filius perdidit: & quia vsumfructum illius lucri, qui ad patrem pertinet censetur pater filio condonare, dum aliud non expresserit: & non solum vsumfructum lucri in eodem lucro acquisiti, sed etiã in antecedentibus, & ob id filius non solum poterit, validè exponere ludo quod in prioribus manibus eiusdem ludi lucratus est, sed etiã quod in prioribus ludis.

Diffi. IX. Quid sit sponsio, & an sit licita?

CIRCA Prius, sponsio (Hispane apuesta) *est contractus, quo cõtendentes de veritate, vel euentu alicuius rei, vicissim sibi aliquid spondent, vt detur ei, qui veritatem fuerit assequutus.*

Vndè, sponsio est cõtractus valdè affinis ludo, & ob id de spõsione, in hac disputatione de ludo, agimus.

Circa posterius contra nonnullos conueniunt cõmuniter Doctores sponsionem per se esse licitam, quia nullo iure prohibitur, nec naturali, quia in sponsione nihil reperitur rationi dissonum: nec positiuo, quia nullo tali prohibetur. Imò videtur approbata iure legis, *Si quis ita stipulatus fuerit*, ff. de verb. obliga. & legis, *si pater*, C. de inofficio. testam. in lege autem *solent*, & in sequenti. ff. de aleæ vsu tantum reprobatur sponsio, quæ fit circa certamina corporis, causa odij, vel æmulationis, vel libidinis; & non causa exercendi vires corporis. Imô omnes conueniunt sponsione acquisitum non esse obnoxium restitutioni. Ita Couarr. regula

gula peccatum. 2. part. §. 4. Molina disput. 508. Sancius libro 1. capit. 8. dubio 32. Lessius cap. 26. dub. 1. Filliuc. tract. 26. c. 2. & Bonacin. quæst. 3. part. 1.

Addimus, *per se*, quia sponsio per accidens potest esse illicita, vt ratione scandali, vel periculi alterius peccati, vel alius circunstantiæ contra rationem. Imò acquisitum sponsione potest etiam per accidens esse obnoxium restitutioni, vt si facta sit cum eo, qui non potest validè perdere, vel ratione alicuius fraudis nõ permissæ in sponsione.

Esse autem probabile, eum qui certus de euentu, vel de veritate, siue experientia sensuum, siue sciẽtia, siue diuina reuelatione, siue aliter, sponsionem facit cum altero, eam certitudinem ignorante, non peccare, nec ad restitutionem lucri teneri, indicauimus difficult. 7. & nunc id non solum esse probabile, sed etiam verum existimamus, vt contra non paucos, docent Couarr. vbi supra Nauarrus in Summa, capit. 20. numer. 18. Toletus libro 5. capit. 2. Layman. tract. 4. cap. 21. Saa, verbo, *contractus*, num. 21. & Dec. consf. 115. ducimur autem ad id ratione adducta in ea difficult. 7.

Addimus tamen iure positiuo Bullæ Gregorij XIIII. quæ incipit, *Cogit nos* sponsiones factas super vita, vel morte, vel electione passiua Summi Pontificis, vel Cardinalium prohiberi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, reseruatæ Summo Pontifici; imò irritas redi, ac proinde lucrum eis sponsionibus acquisitum restituendum esse in foro conscientiæ. Circa hanc Bullam legendi sunt Filliucius, & Bonacina vbi supra.

Nonnulla in particulari necessaria, & alia non necessaria, ad honestatem, & valorem sponsionis omittimus, quia constat ex dictis circa necessaria, & circa non necessaria ad honestatem & valorem ludi, quæ facilè poterunt applicari ad honestatem, & valorem sponsionis: quale est, illud quod collusor iniustè cogens alterum collusorem ad ludum, non teneatur ad restitutionem lucri, & nonnulla alia.

(.?.)

DISPVTATIO. IX.

De fideiussione, assecuratione, pignore, & hypotheca.

Difficult. I. Quid sit, & quotuplex sit fideiussio?

CIRCA Prius, fideiussio, seu cōtractus fideiussionis est, *aliena obligationis in se susceptio, qua quis se obligat ad eam implendam si debitor principalis non soluit.*

Ex hac definitione constat, primò, contractum fideiussionis esse contractum accessorium, seu supponere obligationem principalem alterius, siue præteritam, siue futuram, quia etiam potest quis fideiubere in cōtractus futuros alterius, & tūc fideiussio supponit futuritionem obligationis in alio: supponit autem fideiussio obligationem naturalē ex iustitia in eo cuius quis est fideiussor, siue ortam ex contractu, siue ex delicto, siue ex iustitia iudicis: sufficit autem quod obligatio, quā fideiussio supponit in debitore principali, sit tantum naturalis, seu ex iure naturali orta, quamuis non sit ciuilis, seu ex iure ciuili orta. Vndè, quando in eo, pro quo fit fideiussio nulla est obligatio naturalis, vt quādo contractus quo se intendit obligare fuit re ipsa nullus, aut sententia iudicis, qua iudex intendit eū obligare, fuit re ipsa nullo, fideiussor non tenetur suo contractu, quia etiam re ipsa est nullus.

Secundò, constat fideiussorem præcisse ex vi contractus fideiussionis non teneri ad plus quam debitor ipse, cuius est fideiussor (nisi alia conuentio addatur) quia ex vi fideiussionis tantum suscipit obligationem principalis debitoris, & tantum teneri in defectum illius, vt significatur illa particula definitionis, *si non soluit*. Vndè, quando in debitore cessat obligatio, vel remissione facta à creditore, vel aliter, etiam cessat in fideiussore, quia cessante principali, cessat accessorium. Si verò ea obligatio non cessant in debitore, & hic non soluit, potest iure naturali fideiussor conueniri ante excussionem principalis debitoris, etiam si iure ciuili, Authent. *præsente*, C. de fideiussoribus nequeat conueniri, si debitor sit præsens, & soluendo, nisi fideiussor renuntiet

nunciet huic iuri, vt potest, vt potest facto in fauorem ipsius solius. Addimus, *si sit præsens, & soluendo*, quia si non possit soluere totum, aut si possit, si sit extra territorium, & in eo non habeat bona, tunc fideiussor potest conueniri ante excussionem debitoris, vt poterat iure naturali: imò etiam potest conueniri si conuentus neget se esse fideiussorem, quia ea negatione amittit priuilegium excussionis, lege *si dubitet* 10. §. 1. ff. de fideiussor. Si autem in casibus, in quibus fideiussor nequit conueniri ante dictam excussionem, conueniatur, & cogatur soluere, aut ipse soluat, quia ob ignorantiam non opposuit eam exceptionem, non tenetur creditor solutionem illi restituere, quia eo priuilegio non annullatur acceptio solutionis factæ non apposita dicta exceptione. Addimus, obligationem fideiussoris transire ad hæredes, vt aduertunt Azor 3. part. libro 11. capit. 22. dubio 4. & Bonacina dispur. 3. quæst. 9. part. 10. quia obligatio hæc est iustitiæ, & annexa bonis fortunæ ipsius fideiussoris, ergo cum ipsis bonis transit ad hæredes eorum bonorum.

Tertiò, constat eum, qui pro altero debitore, se constituit debitorem principalem, non efficere contractum fideiussionis, nec fieri fideiussorem illius debitoris, quia non se obligat accessorie, seu in defectum illius, sed æquæ primo cum illo, & ideo tunc creditor potest illum primo conuenire, & ab eo potest primo debitum exigere.

Circa posterius, fideiussio est duplex; altera est iudicialis, altera extraiudicialis, seu priuata: iudicialis est qua quis obligatur ad constituendum debitorem, aut reum in iudicio sub pœna aliqua pecuniaria, quod solet fieri vt reus à carcere ad tempus liberetur: extraiudicialis verò est, qua quis extra iudicium se obligat ad soluendum in defectum principalis debitoris.

Difficult. II. Vtrùm fideiussor possit aliquid accipere pro fideiussione?

ANANIA In cap. fina. de vsuris, quæst. 12. & alij, docent, id nō posse efficere absque vsura, quia id accipit pro mutuo, quia fideiussorem soluere creditori pro debitore, cuius fit fideiussor, est mutuare debitori id quod pro eo soluit.

Sotus verò 6. de iustitia, q. 1. art. 2. Azor 3. p. lib. 11. cap. 22. dub. 5. Couar. 3. variar. cap. 2. Bonac. disp. 3. q. 9. p. 1. & communiter Doctores, docent, id posse licitè absque vsura efficere, & meritò. Quia etiā si soluere pro debitore sit ei mutuare, vel quasi mutuare id, quod pro eo soluitur: tamen fideiubere non est id soluere, sed obligari ad id soluendum, vel quasi mutuandum: obligatio autem etiam ad mutuandum, est verè pretio æstimabilis; ergo pro ea potest aliquid licitè, & absque vsura accipi. Vndè, etiam creditor poterit aliquid accipere à fideiussore, vt eum eximat ab ea obligatione, quia exemptio ab ea est alicuius valoris, sicut est ipsa obligatio. Vndè supra sortem non poterit exigi fideiussio, nisi quando adsit aliquod periculum solutionis debiti.

Difficul. III. Vtrùm quando sunt plures fideiussoris, singuli maneant obligati insolidum?

CIRCA Hanc difficultatem, legendi sunt Molina, Azor, & Bonacina, disput. 3. quæst. 9. part. 1.

Conueniunt ergo DD. quando plures fiunt absolutè, & absque limitatione fideiussores alicuius pro eodem debito, singulos iure naturali teneri insolidum; & creditorem posse conuenire quemlibet ex illis vt soluat insolidum. Quod etiam iure positiuo, Institut. de fideiussoribus, §. si plures, conceditur creditori.

Nihilominus cuilibet ex illius conuento à creditore competit iure positiuo, lege *inter fideiussores*, & leg. *non rectè*, de fideiussor. vt posit excipere, vt quilibet ex fideiussoribus conueniatur pro sua parte, ita vt si sint quatuor fideiussores quilibet conueniatur pro quarta parte, si tamen eam exceptionem non opposuerit, & totum soluat, non potest à creditore exigere id, quòd suam partem excedit, quia creditor habet ius exigendi totum à singulis, nec potest à creditore exigere actionem in reliquos fideiussores, vt ab eis exigat partes ipsis correspondentes, quia creditor post solutionem sibi factam, nullam habet actionem in reliquos; potest tamen eam ante solutionem petere, & non postea, nisi ante eam conuenerit cum creditore,

quòd

quòd eam sibi conferet, quia tunc fideiussor ea conuentione acquirit ius ad eam actionem, quod tunc creditor potuit conferre, vt deducitur ex Instit. de fideiussoribus, § *si plures*, & leg. *Modestinus*, ff. de solution.

Circa hanc difficultatem legendi sunt Molina, Azor, Lessius, & Bonacina, disput. 3. q. 9. part. 1.

Difficul. IIII. Qui possint fideiubere?

CONVENIVNT DD. eos omnes, & solos, posse fideiubere, qui habent bona sufficientia ad satisfaciendum in defectum debitoris principalis, & liberam eorum administrationem, & à iure non repelluntur: ita Azor 3. p. lib. 11. cap. 22. dub. 1. Lessius cap. 28. dub. 2. Reginald. lib. 25. nu. 220. & Bonacin. disp. 3. q. 9. punct. 2.

Ex quo constat, pauperem non posse fideiubere, quia caret bonis, nec pupillũ absque tutoris auctoritate, nec filiumfamilias absque auctoritate patris, nisi habeat bona castrensia, vel quasi castrensia; nec minorem absque auctoritate curatoris, quia non habent liberam administrationem suorum bonorum. Potest tamen minor pro patre incarcerato, efficaciter obligari iure positiuo. Authent. *si captiui*, Cod. de Episcopis, & clericis, & aliorum iurium. Et si pro alijs fideiubeat manet naturaliter, seu in foro conscientiæ obligatus, non ciuiliter; potest tamen tunc vti beneficiò restitutionis, vt deducitur ex leg. *ait Prætor*, ff. de minoribus. Nec posse Religiosum absque auctoritate maioris partis Capituli, & si aliter fideiubeat, non obligatur monasterium, nisi quatenus redundet in vtilitatem ipsius monasterij, vt deducitur ex cap. quod quibusdam, de fideiuss. imò nec posse superiorem, nisi in re parua. Episcopi tamen, & clerici quamuis nequeant in præiudicium Ecclesiæ fideiubere possunt tamen in proprium præiudicium, vt tenet consuetudo, qua iuri Canonico antiquo, cap. *te quidem* 11. q. 1. derogatum est, vbi eis videtur prohiberi fideiubere frequẽter: manent tamen obligati ad soluendum, id tamẽ solum, quòd possint absque eo, quòd maneat in egestate, vt significatur in cap. *Odoardus*, de solut.

Mulier verò nequit validè fideiubere pro marito, Authent. *si qua mulier*, C. Senatum Consultum Velleianum, nec potest pro alijs

alijs valide fideiubere, nisi adhibito instrumento publico, & tribus testibus subscribentibus: & tunc quamuis obligata maneat naturaliter, & ciuiliter, eam tamen obligationem potest elidere, si ante executionem sententiæ velit vti priuilegio dicti Senatus Consulti: vt constat ex leg. antiquæ eodem Cod. In aliquibus tamen casibus nequit dicto priuilegio vti. Primò, si expresse, & coram Magistratu renuntiauit. Secundò, si fideiussionē iuramento confirmauit, quamuis ignorauerit dictum priuilegium tempore iuramenti, vt contra Couarr. & alios aduertunt Less. Bonac. & communiter DD. Tertiò, nequit vti eo priuilegio, si fideiussit pretio accepto. Quartò, si fideiussit pro dote alterius. Quintò, si fideiubeat pro suo creditore, iuxta quantitatem sui debiti. Sextò, si fideiussit pro libertate alicuius serui. Septimò, quando fideiussit in fraudem vt deciperet, & fingens se esse virum, aut aliter.

In casibus ergo in quibus fideiussio mulieris fuit inualida, & in eis in quibus fuit valida, vtitur tamen dicto priuilegio ante solutionem, creditor, qui aliquid ab ea accepit, tenetur ad restitutionem illius quòd accepit, quia dominium illius non transfertur in creditorem, sed manet apud mulierem.

Diffic. V. Quid sit contractus assecurationis, & quid requiratur vt sit licitus?

CIRCA Hanc difficultatem legendi sunt Molina disp. 507. Less. cap. 28. dub. 4. & Bonac. disp. 3. q. 9. p. 3.

Circa prius ergo, assecuratio, seu contractus assecurationis, *est periculi rei alienæ susceptio pro aliquo interesse, vel gratis*. Suscipere autem periculum rei alienæ, est obligari ad compensationem illius, vel totius si tota perierit, vel partis, si tantum perierit pars: & si fiat gratis est promissio liberalis, & si fiat pro pretio, reducitur ad emptionem, & venditionem, quia assecurans quasi vendit suam obligationem, & alter quasi emit eam. Et si fiat pro alio interesse, reducitur ad contractum innominatum, do, vt facias ex parte offerentis interesse; & facio, vt des ex parte assecurantis.

Circa posterius supponimus, contractum assecurationis esse ex suo obiecto licitum, quia vel est promisso liberalis rei licitæ,

vel

vel eſt contractus quaſi emptionis, & venditionis, vel innominatus, qui ſeruatis ſeruandis eſt licitus.

Eſt tamen difficultas, quæ requirantur vt ſit iuſtus, quòd tantum habet locum quando aſſecuratio non fit gratis, quia quando ſic fit, non eſt virtutis iuſtitiæ; ſed tantum, vel gratitudinis, vel liberalitatis; ſed quando fit pro pretio, vel pro alio intereſſe, quòd etiam ſub pretio compræhendimus.

Ad iuſtitiam ergo contractus aſſecurationis, qui ſic fit, requiritur, quòd ſit æqualitas inter ſuſceptionem periculi, ſeu obligationem aſſecurantis, & inter pretium, quòd aſſecuranti pro ea obligatione confertur, ita vt tanti valeat dicta ſuſceptio periculi, ſeu obligationis, attentis periculo, & eius maiori, vel minore certitudine, & quantitate, & qualitate rei aſſecuratæ, quanti eſt pretium, ſicut ad iuſtitiam contractus emptionis, & venditionis, requiritur æqualitas inter rem venditã, & inter pretium pro ea datum.

Vndè, quando nullum eſt periculum, & quis ſcit non eſſe, vt quando ſcit nauim iam eſſe in portu, non poteſt id ſciens aliquid pro aſſecuratione accipere, quia tunc adhuc in ſua exiſtimatione nullum periculum ſuſcipit, quia vere non eſt, & ipſe ſcit: imò contra nonnullos exiſtimamus, quod quamuis aſſecurãs ignoret rem eſſe extra periculum, nempè, nauim iam eſſe in portu, nihil poſſit tunc pro aſſecuratione accipere, quia verè, & re ipſa nullum periculum ſuſcipit, etiam ſi falſo exiſtimet ſe illud ſuſcipere.

Et ob eandem rationem exiſtimamus mercatorem, qui tempore aſſecurationis ſcit nauim perijſſe, non poſſe recompenſationem accipere, quia aſſecurans non obligatur ad ſecuritatem, ſeu ad recompenſationem rei perditæ tempore aſſecurationis; ſed tantum rei exiſtentis in periculo, quia non ſuſcipit perditionem rei, ſed tantum periculum illius, quod eſt verum, non ſolum quando mercator ſcit perditionem rei, ſed etiam quando eam ignorat ob ſimilem rationem, ob quam aſſecurans nihil pretij accipere, poteſt pro aſſecuratione rei iam ſaluæ tempore aſſecurationis, etiam quando id ignorat.

Et ob eandem rationem, qui deceptus à mercatore fingente in naui eſſe merces eas aſſecurat, ſi nauis pereat, non tenetur aliquid ſoluere mercatori, nec mercator poteſt aliquid ab eo accipere, quia tunc contractus fuit nullus ex defectu materiæ ipſius, quia non fuerunt merces, & ob id ipſe aſſecurator non poteſt pretium

tium assignatum pro assecuratione accipere, quia verè nullius rei periculum suscepit, & suo modo, qui deceptus assecurauit centum, & non erant nisi quinquaginta, si pereant, non tenetur recompensare nisi quinquaginta, nec potest accipere à mercatore nisi dimidium pretij assignati pro assecuratione centum.

Quando autem sunt plures assecuratores earumdem rerū, siue insolidū, siue partialiter, idem suo modo dicendū est de illis, ac diximus dif. 3. de fideiussoribus, quando sunt plures earundē rerū.

Addidimus, vt contra Salonem, & Bonacinam, p. 3. aduertunt Lessius dub. 4. & Filliu. tract. 37. cap. 1. eū qui reuelatione, vel Astrologia, vel aliter, nouit non futuram tempestatem in mari, & esse tutam à latronibus, posse tantum pretium accipere pro assecuratione, v. g. mercium, quantum alter qui id ignorat, quia ea scientia priuata non tollit communem appetibilitatem, & æstimationem susceptionis periculi rei, qua communiter appetitur, & æstimatur susceptio periculi illius rei, dum non est salua, sicut vt diximus tract. de contractib. disp. 2. diffic. 7. scientia priuata abundatiæ breui futuræ mercium, non minuit valorem communem tunc currentem, quia scilicet ea noticia partialis non minuit communem appetibilitatem, & æstimationem mercium, quia communiter eodem modo appetuntur, & æstimantur, ac si non esset statim futura.

Diffic. VI. Quid sit pignus, & quid hypotheca?

CIRCA Pignus, & hypothecam, legi possunt Molina disput. 528 Azor 3. p. lib. 7. Les. cap. 28. Rebell. lib. 16. ad finem, & Bonac. quæst. 10.

Pignus ergo à DD. definitur, quòd sit ***contractus, quo res traditur creditori in securitatem crediti***: & hypotheca quòd sit ***contractus, quo pura conuentione res obligatur in securitatem crediti.***

Addimus pignus, & hypothecam, non solum sumi pro dictis contractibus, sed etiam, & magis communiter pro rebus ipsis, quæ pignorantur, & hypothecantur: pignus pro re, quæ traditur creditori in securitatem crediti, ita vt si debitor non soluat, possit creditor ex ea re solutionem accipere: & hypotheca pro re, quæ non traditur; sed pura conuentione, aut legis dispositione obligatur ad securitatem crediti, ita vt si debitor non soluat, possit creditor ex ea exigere solutionem, & ob id

id pignus propriè, seu strictè est rei mobilis, vt torquis aurei, quia res mobilis propriè traditur, & dicitur à pugno, quia pugno, seu manu traditur. Hypotheca verò, propriè, & strictè est rei immobilis, vt fundi.

Sed quāmuis pignus, & hypotheca, propriè, & strictè sumpta prædictis modis inter se distinguantur, aliquando tamen etiam in iure pro eōdem vsurpantur, vt patet ex Instituta de actionibus, quia hypotheca latè sumpta, etiam significat pignus, & pignus latè sumptum, etiam significat hypothecam.

Diffic. VII. Quæ posſint pignorari?

IN Hac difficultate, sub verbo, pignorari, etiam comprehendimus hypothecari: & sub nomine, pignus, etiam hypothecam, dum aliud non explicemus.

Conueniunt ergo DD. omnia quæ vendi possunt, posse etiam pignorari, quia pignorari est minus quàm vendi. Et è contrario, quæ non possunt vendi, seu alienari, non posse pignorari, quia quamuis pignorari sit quid minus quàm vendi: pignoratio tamen est quædam collatio iuris, vt res pignorata posſit vendi in defectum solutionis debitoris.

Ex quo constat, Primò, res sacras non posse pignorari nisi in casu necesſitatis, vt quando aliter nequeunt debita solui, vel captiui liberari, vel fame oppresſis subueniri, quia extra eam necesſitatem nequeunt vendi, bene tamen in eis casibus, vt habetur in cap. *sancimus*, C. de sacrosanct. Ecclesijs. Addit Lesſius, res sacras posse titulo generalis hypothecæ obligari, vt significatur in cap. *nulli*, de rebus Ecclesiæ alienandis.

Secundò constat, res publicas, vt vias, plateas, non posse pignorari, nec hominem liberum, quia vendi non possunt, nec feudū, quamuis posſit vendi, quia prohibitum est in cap. 1. de prohib. feud. alienat. Emphytheusis verò, potest hypothecari, & si non sit Ecclesiastica, etiam potest pignorari.

Tertiò constat, rem alienam non posse pignorari nisi de licentia domini, sicut nec potest absque eius licentia vendi: imò nec rem propriam à proprietario, nisi habeat liberam administrationem; bene tamen si eam habeat.

Obseruandum est, Primò, quando res aliqua pignoratur, etiam fructus tempore pignorationis latos, vel conceptos, censeri pigno-

pignoratos, quamuis interim res fuerit à pignorante vendita, & fructus sint ab emptore percepti, quòd est iuri naturali satis conforme, & etiam habetur leg. *potior*, §. si de futura, ff. qui potior in pignore, vbi idem decernitur de fructibus vsusfructus pignorati creditori ab vsufructuario, quod scilicet etiam censeantur pignorati, quamuis sint percepti ab alio distincto ab vsufructuario, nihilominus fructus, qui post alienationem, vel locationem rei pignoratæ sati, vel concepti sunt, tantum sunt pignorati dū sunt pendentes, quia tunc vnum censentur cum ipsa re pignorata, & ideo tunc possunt à creditore vindicari detractis expēsis ab emptore, vel à conductore factis in cultura illius: desinunt tamen esse pignorati post quam sunt percepti ab hærede, ad quem res illa iure hæreditario deuenit, quia tunc perceptione ipsorum non desinut esse pignorati iure legis *Paulus*, in princip. ff. de pignoribus.

Obseruandum est secundò, quando res pignorata variatur vt quando fit deterior, aut melior, ipsam, qualiter maneat, remanere pignoratam, vt constat ex leg. *domo*, & ex lege *si conuenerit*, ff. de pignoribus, quando autem sylua pignorata ceditur, non tantum ipsum solum remanet subiectum pignorationi, sed etiam ipsa ligna cęsa, quia sunt pars, aut fructus syluæ, iure tamē dictę leg. *si conuenerit*, ligna desinunt esse subiecta si ex eis fiat nauis, aut aliud arte factum.

Obseruandum est tertiò, rem vni pignoratam non posse alteri pignorari, nisi sit sufficiens, vt ex ea omnibus fiat sufficiens solutio, vel nisi posterior admoneatur, quia aliàs posteriori fiet manifesta iniustitia.

Obseruandum est quartò, creditorem, qui accepit pignus posse illud alteri pignorare pro tanto, vel pro minore debito, quod est conforme iuri naturali, quia quilibet potest ius suum alteri in pignus dare, & decernitur iure leg. 1. & 2. C. *si pignus pignori datum sit*, nihilominus statim, ac primo creditori, seu subpignoranti satisfactum fiat, cessat secunda pignoratio, quia hæc fundabatur in prima, seu in iure, quod prima collatum fuit. Hoc autē ius, & hæc prima pignoratio cessat, solutione facta subpignoranti, ac proinde etiam cessat secunda fundata in illa priori.

Qui autem sint, qui possunt pignori dari, constat ex tractat. de contract. disput. 1. difficul. 14.

Difficultas. VIII. Quotuplex sit pignus, & hypotheca, & quot modis finiatur eius obligatio, & quae actiones inde oriantur?

CIRCA Primum, pignus latè, seu generaliter sumptum est duplex, nempè, pignus strictè sumptum, & hypotheca strictè sumpta, & è contra hypotheca latè, seu generaliter sumpta, est duplex, nempè, hypotheca strictè sumpta, & pignus strictè sumptũ, vt constat ex dif. 6.

Hypotheca strictè, & specialiter sumpta, subdiuiditur, seu est duplex, altera est expressa, quæ fit conuentione partiũ, & ideo etiam dicitur conuentionalis, & altera tacita, quæ non fit conuẽtione partium, sed dispositione legis, & ideo hæc etiam dicitur legalis.

Hæc autem hypotheca tacita, seu legalis, iure communi fit, & reperitur. Primò, in bonis mariti pro dote vxoris, & in bonis fideiussoris mariti pro dote. Secundò, in bonis promittentis dotẽ quousque eam soluat. Tertiò, in bonis tutoris, & curatoris pro administratione bonorum pupilli, & minoris. Quartò, in bonis administratoris bonorum Ecclesiæ pro eorũ administratione. Quintò, in bonis administrantis bona ciuitatis pro eorum administratione. Sextò, in bonis patris administrantis bona aduentitia filij pro eorum administraintione. Septimò, bonis debentis aliquid Fisco ratione contractus, vel nomine tributi: excipitur minor, qui si aliquid emit à Fisco sola res empta manet hypothecata pro pretio. Octauo, in bonis defũcti pro legatis. Nono, si vxori aliquid donatur à marito, vel ab alio intuitu mariti, ea dona pertinent ad liberos communes eorum, & pro eis donis manent iure cõmuni tacitè hypothecata omnia bona, quæ accedunt vxori à tempore donationis, si mortuo marito trãseat ad alias nuptias: & idem contingit si marito sit aliquid donatum ab vxore, vel ab olio intuitu vxoris. Decimo, reperitur in re empta pecunia pupilli, & in re empta pecunia militis pro ea pecunia, & cum priuilegio prælationis ante omnes alios habentes in ea re hypothecã. Vndecim, reperitur in fructibus rei cõductæ pro pensione soluenda. Duodecimo, in inuectis in prædium conductum

pro pensione, & pro damnis prædio illatis, siue prædium sit vrbanum, siue rusticum, si inuecta sint vt ibi maneant quandiù conductio duret: vt tamen ea obligatio insit pro damnis illatis prædio rustico, requiritur quod sint illata domino prædij sciente. Decimotertio, in ædificio ad cuius reparationem data est mutuo pecunia, reperitur dicta hypotheca, pro pecunia mutuata cum priuilegio prælationis ante alias hypothecas, excepta vxoris pro dote. Decimoquarto, reperitur in naui pro pecunia data ad eã emẽdam, vel extruendam, vel ornandam, vel instruendam rebus necessarijs. Decimoquinto, in omni re ad cuius conseruationem data est mutuo pecunia, reperitur dicta hypotheca pro ea pecunia, & cum priuilegio prælationis ad alias hypothecas. Nonnulla e[illegible] etiam attingimus tract. de iust. & iure, disput. 7. diff. 7. & aliqua alia circa hoc punctum inuenientur apud Molinam disput. 438. & 536. apud Lessium capit. 28. dubio 6. & apud Bonacin. quæst. 10. punt. 2.

Obseruandum est, quòd quamuis hæc quindecim, disposita sint iure communi in aliquibus tamen Prouincijs, non omnia recepta sunt ob oppositas leges, aut consuetudines earum.

Deinde hypotheca tã expressa quã tacita est duplex: altera est vniuersalis, illa scilicet, qua omnia bona etiã futura obligãtur, quæ non impedit res hypothecatas vendi, quia in earum locum succedit pretium: altera est particularis, illa scilicet, qua res determinata, seu certa obligatur, quæ semper afficit rem ad quemcunq; deueniat, donec obligatio extinguatur, siue solutione, siue condonatione, siue præscriptione.

Pignus verò strictè, & specialiter sumptum, quòd semper est expressum, & particulare, quia exigit traditionem rei, est triplex, aliud conuentionale, quod sola partium conuentione fit, aliud Prætorium, quod fit iussu Prætoris, seu iudicis absque sentẽtia, aliud iudiciale, quod fit sententia iudicis.

Circa secundum, quòd quæritur, actio, & obligatio pignoris (sub quo etiam compræhendimus hypothecã) finitur, seu soluitur multis modis. Primò, satisfactione facta creditori, cui datum fuit pignus, siue solutione facta ipsi creditori, siue remissione creditoris facta debitori, siue aliter. Secundò, finitur lapsu tẽporis vsque ad quod datum fuit pignus, aut deficiente conditione sub qua datum fuit. Tertiò, finitur alienatione pignoris de consensu creditoris, vel approbatione creditoris facta post alienatio-

natio-

nationem. Quartò, emptione pignoris facta à creditore. Quintò, assertione creditoris affirmantis saltem tacitè eam rē nō esse sibi obligatam. Sextò, finitur eo ipso, quod debitor offerat debitū creditori, & eo nollente illud accipere, debitor coram testibus fidedignis deponit illud in marsupio obsignato apud hominem fidelem. Præter hos dictos sex modos, sunt alij extraordinarij, qui poterunt videri apud Molinam, Lessium, Bonacinā, & Filliuciū, tract. 38. cap. 10.

Circa tertium, ex pignore strictè sumpto duæ actiones oriuntur in creditore, & consequenter duæ obligationes eis actionibus correspondentes in debitore. Prior actio, quæ in creditore oritur est pignoratitia, quæ immeditate, seu primario est actio personalis, seu in personam debitoris, & mediatè, seu secundario in rem, altera est hypothecaria, seu seruiana, quę tantum est realis, seu in rem pignoratam, quia est ius ad rem, seu pignus possidendum, & hæc actio non tantum conuenit creditori, sed etiam eius hæredibus, & non solum contra debitorem, sed etiam contra eius hæredes, imo & contra tertium possessorem pignoris, & ita creditori est ius ad rem pignoratam possidendam, vt si nihil actum sit de venditione illius, sit etiam in eo ius ad eam vendendam si præfixo termino debitor non soluat, ad quod iure communi, quando pignus est conuentionale non requiritur quòd debitori fiat denuntiatio, seu admonitio aliqua, iure verò Castellæ prærequiritur, de quo Rebel. lib. 16. propè finem, & Bonacin. q. 10. puncto 1.

Addimus creditorem non posse vti pignore cum damno debitoris, domini pignoris absque eius consensu, quia pignus non datur illi nisi ad securitatem crediti, imò nec absque damno, si debitor nolit, tunc tamen nō erit mortale. Vnde creditor non potest vti pignore, fructus illius faciendo suos, sed tenetur eos in sortem soluendam computare, alias debitori fiet iniuria, & damnum, quia fructus pignoris sunt ipsius debitoris, & non creditoris. Nonnulla ab hoc addito excipit Bonacina quæst. 10. num. 10.

(.?.)

DISPVTATIO X.

De deposito, & commodato, & præcario.

Difficult. I. Quid, & quotuplex sit depositum?

CIRCA Prius, depositum à Doctoribus definitur, ***quod sit contractus, quo aliquid traditur custodiendum, vt integrum restituatur***, & colligitur ex lege 1 ff. depositi, in qua definitione cõtractus ponitur pro genere, quia depositum in ratione generica contractus conuenit cum reliquis contractibus, & reliquæ particulæ ponuntur pro differentia, quia per eas differt ab alijs cõtractibus, etiam ab illis, cum quibus maximam habet similitudinem, nempè, à commodato, & præcario, & à pignore, & à mutuo, quia his contractibus nõ traditur res, vt custodiatur, & à mutuo etiã, quia per mutuum transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, non verò per depositum, ficut nec per commodatum, nec per præcarium, nec per pignus, sed manet apud deponentem.

Quia ergo ad contractũ depositi requiritur traditio rei, ideo requiritur quòd depositarius expresse, vel tacitè eam rem suscipiat, quia quousque eam suscipiat, ei nõ traditur perfectè, & quia deposito traditur res, vt restituatur, ideo requiritur quod eadem res restituatur, dum depositum sit purè depositum, & quia dominium rei depositæ manet apud deponentem, ideo quando res deposita perit, perit ipsi deponẽti, quia res perit domino suo, etiã si quando culpa depositarij perit, hic teneatur ad restitutionẽ. Depositarium autem tantum teneri ex culpa lata, ad indemnitatem rei depositæ, diximus tractatu de iust. disp. 5. diff. 6.

Circa posterius, in primis depositum non solum sumitur pro contractu, quem vt sic definiuimus, sed etiam, & magis communiter, pro re ipsa, quæ contractu traditur ad custodiam, vt integra restituatur: sicut etiam pignus, & hypotheca non solum sumuntur pro contractibus, quibus res pignorantur, & hypothecãtur, sed etiam, & magis communiter pro rebus ipsis, quæ pignorantur, & hypothecantur.

Deinde depositum est duplex, alterum est iudiciale, alterum extraiudiciale, seu priuatum. Iudiciale dicitur, quando fit

decreto

decreto iudicis, & solet fieri, quando de re aliqua est lis, & à neutro litigantium possidetur, aut non possidetur legitimè, aut quando prudenter timetur possidentem fugiturum cum ea re, aut eam debaftaturum, aut in alijs casibus, & hoc depositum iudiciale appellatur sequestrum. Depositum priuatum dicitur, quo res absque decreto iudicis deponitur apud confidentem, vt eam custodiat.

Diffic. II. Vtrùm depositarius possit vti deposito.

CONVENIVNT Doctores, depositarium non posse vti deposito, seu re deposita, absque consensu domini rei, quia cōtractu ipso non traditur ei vsus, seu res ad vsum; sed tantum ad custodiam, ac proinde ea re vtens committit furtum, vt dicitur lege *sacculum*, ff. depositi: & tenetur ad restitutionem valoris vsus rei depositæ, si est alicuius valoris.

Excipiunt tamen DD. duos casus, in quibus depositarius potest licitè absque formali iniustitia vti re deposita. Primò, quando depositarius bona fide existimat id non displicere domino, vt patet, etiam si verè, & re ipsa ei displiceat, & si hoc constet, teneatur ad compensationem valoris vsus, quia verè non fuit illi concesus; tenetur autem solum, quando eo vsu factus fuit ditior; & solum ad compensationem illius, in quo factus fuit ditior.

Secundò, depositarius potest licitè vti deposito, quando dominus expresse, vel tacitè concedit vsum depositario, vt patet, ex tamen concessione, & consensu depositum transit in commodatum, quando res deposita non est vsu consumptibilis, vt equus: non tamen transit in mutuum, quamuis res deposita sit vsu consumptibilis, vt pecunia, & vinum, quia eo consensu depositarius non fit dominus rei depositæ: sed tantum ei conceditur, quod possit ea vti, etiam eam consumendo, non tanquam propria, sed tāquam deponentis, quod potest fieri absque dominio illius in vtēte, existente domino illius in deponente cum obligatione in depositario restituendi similem, aut dissimilem rem, si eam consumat. Vndè, quando res illa deposita non est consumpta, siue destructione, siue alienatione à depositario, res illa crescit, aut decrescit, aut perit ipsi deponēti, quia res crescit, aut decrescit, aut perit domino.

Adddimus, *quando dominus expresse, vel tacitè concedit vsum depositario, posse depositarium licitè deposito vti*, quia absque eo consensu nequit absque peccato iniustitiæ vti deposito, nō tamen erit peccatum mortale, vti re vsu consumptibili, vt pecunia, & vino, si certus moraliter sit, quod tempore repetitionis depositi habebit tantūdē eiusdē bonitatis, quod possit reddere pro deposito, quia tunc nulla iniuria cōsiderabilis irrogatur deponēti.

Difficult. III. Quando deponenti exigenti rem depositam possit non reddi?

SVPPONIMVS, Non existente aliqua extraordinaria causa, deponenti exigenti rem depositam, restituendam esse statim, vt patet, in quo Doctores conueniunt, quòd est verum, etiam si deposita fuerit ad certum tempus, quia designatio temporis dū aliud non exprimitur, facta est in fauorem deponentis, ac proinde deponens potest eam voluntatem reuocare, & ante eum terminum assignatum exigere; in quo autem loco depositarius teneatur, depositum restituere significamus, disp. 8. dif. 2. & 3.

Deponentem verò præferendum esse cæteris creditoribus personalibus, diximus disput. 7. difficul. 7. & etiam credimus præferendum esse omnibus hypothecarijs, quando res deposita extat eadem apud depositarium, quandiù manet sub dominio deponentis, vt semper manet, quandiù manet verè deposita, quia res semper clamat pro domino suo.

Hoc ergo supposito circa difficultatem, DD. excipiunt quatuor casus, in quibus depositarius non teneatur rem depositam deponenti restituere. Primò, non tenetur, si prudenter timeatur, deponentem, ea re sibi restituta, v. g. ense nociturum esse iniustè depositario, aut alij tertiò, de quo latius disputatione 9. diff. 1. Secundò, non tenetur depositarius rem depositam deponenti restituere, quando bona deponentis sunt ob aliquod crimen per sententiam Fisco applicata, ante applicationem tamen per sententiam potest eam rem deponenti restituere, aut Fisco, prout depositarius maluerit. Tertiò, quando res deposita non est deponentis, sed furtim sublata, non est obligatio eam restituendi, imò nec potest ei restitui, nisi prudenter credatur, quod eam domino restituet. Quartò, non tenetur in foro conscientiæ, quando deposi-

tarius nequit aliter obtinere solutionem sibi debitam, á deponente, vt sic sibi fiat recompensatio.

Obseruandum est (vt aduertunt Lessius cap. 27. & Bonacin. disp. 3. quæst. 14. qui circa depositum possunt legi) quemlibet, qui habet liberam rei administrationem posse eã deponere: imò, furi deponenti rem sublatam competere actionem contra depositarium, vt depositarius, vel fur ipse in casu supra dicto, eam verò domino restituat, vt constat ex leg. 1. §. si prędio, ff. depositi: & quemlibet vsu rationis pollentem, adhuc Religiosum posse esse depositarium, si tamen depositum culpa Religiosi perierit, quãuis ex licentia Prælati, illud susceperit, non tenetur monasterium ad restitutionem: sicut nec Ecclesia, quando depositum perit culpa sui Episcopi, vel Cononici depositarij, vt constat ex cap. *delictum*, de regulis iuris, in 6. & ex capit. *Episcopum* 16. quæst. 6. nisi quantum conuersum fuerit in vtilitatem Ecclesiæ, vel monasterij: & regulariter deponi res mobiles, vel semouentes, & aliquando, quamuis raro, res in immobiles.

Difficult. IIII. Quid sit commodatum?

COMMODATVM A Doctoribus definitur quod sit, *contractus quo res alicui gratis conceditur, ad certum vsum*, & colligitur ex Inst. *quibus modis cõtrahatur obligatio*, §. item 15. in qua definitione contractus ponitur pro genere, & reliquę particulæ pro differentia, quia per eas differt ab alijs contractibus, etiam ab illis, cum quibus maximam habet similitudinem, quia per illam particulam gratis, differt á locatione, quia hæc non fit gratis, sed pretio; & per illam particulam *ad vsum*, differt á mutuo, quia mutuó traditur res quoad dominium, & etiam á deposito, & á pignore, quibus res non traditur ad vsum, sed deposito ad custodiam, & pignore ad securitatem crediti, & per illam particulam, ad certum, (non certũ, id est, ad vnum tantũ vsum determinatũ, quia potest simul ad multiplicem, sed ad vsum certum, id est pro certo, & determinato tempore, siue expresse, siue implicitè assignato) differt á precario, quia eo res traditur ad vsum, (siue vnum, siue multiplicem) absque termino aliquo assignato, sed relicto arbitrio concedentis rem ad vsum, cõmodato verò traditur ad certum tempus, v. g. ad mensem, vel ad quindecim

dies, ac proinde commodatarius ante illud tempus non tenetur restituere rem, nec commodans poterit absque iniustitia eam extorquere.

Nihilominus, vt contra Nauarr. cap. 17. nu. 182. aduertunt Molina disp. 294. Lessius cap. 27. dub. 5. & Bonacin. disp. 3. q. 16. commodans potest aliquando rem commodatam ante tempus assignatum exigere, & ei exigenti commodator tenetur reddere, tunc scilicet quando ex dilatione imminet damnum cōmodanti, quamuis commodatario par damnum immineat, quia cōmodans non censentur pro eo casu ad id obligari: sicut nec promissio obligat quando res post promissionem notabiliter mutantur, quia commodatum & promissio fiunt gratis, & absque translatione dominij, ac proinde non mirum fiant sub ea tacita conditione, & censeantur, sic fieri dum aliud non exprimitur.

Obseruandum est primò, quemlibet habentem liberam administrationem rei, posse eam commodare, vt aduertunt Molina, & Bonacina, vbi supra: imò commodatarium ipsum rei posse eā alteri commodare ad eumdem vsum, ad quem sibi fuerit commodata, quia non est cur non possit ius suum alteri tradere, & cedere, & quemlibet, quamuis pupillum, & minorem, & furiosum, posse esse commodatarium, vt colligitur ex lege 1. & 2. ff. commod. & quamcunque rem tam mobilem, quàm immobilem, imò & eā quæ vsu ipso contrario consumitur, v. g. pecuniam, & vinum, non adhūc vsum, quia adhūc non est materia commodati, sed mutui, aut alius contractus, sed ad vsum secundarium, vt ad ostentationem, vel ad alium, quo non consumatur.

Obseruandum est secundò, rem commodatam perire ipsi cōmodanti, vt pote domino, quando absque culpa commodatarij peri, commodatarium autem ad conseruationem rei commodatæ tantum teneri ex culpa lata, & non ex leuissima, nec ex leui, diximus tract. de iust. disp. 5. diff. 6. & ob id in periculo in quo commodatarius nequit conseruare res proprias, & rem sibi commodatam, potest res proprias conseruare, non conseruando rem commodatam, vt constat ex dictis tract. de iust. disput. 5. dif. 2. & id tract. Lessius cap. 27 dubio 6. qui, quoad hoc à nobis dissentit.

(.?.)

Dissi.

Difficul. V. Quid sit præcarium?

PRÆCARIVM à DD. definitur, *quod sit contractus quo res alicui gratis conceditur ad vsum, quandiù, is, qui eam concessit non reuocauerit*, in qua definitione contractus ponitur pro genere, & reliquæ particulæ pro differentia: quia per eas differt ab alijs contractibus, sicut etiam commodatum, & ab hoc, cum quo maximam habet similitudinem, differt per illas particulas, *quandiù, qui eam concessit, non reuocauerit*, quia cõmodato datur res pro certo, & determinato tempore, præcario verò, pro tempore relicto volũtati concedentis: ita tamen præcario conceditur res pro tempore relicto voluntati concedentis illam, vt statim absq; interuallo aliquo temporis ad arbitrium viri prudentis, nequeat repeti, nisi superueniat rationabilis aliqua causa, ne res sit illusorie concessa.

Reliqua, quæ de commodato diximus, possunt præcario accommodari, quia non differunt, nisi quod commodato datur res pro tempore determinato, præcario verò pro tempore relicto voluntati concedentis rem, legantur tamen Filliucius tract. 34. cap. 9. & Bonac. disp. 3. q. 15.

DISPVTATIO XI.

De donatione.

Difficult. I. Quid sit donatio?

DONATIO Definitur à Doctoribus, quòd *sit alicuius rei liberalis datio*, vbi nomine *liberalis*, intelligitur gratuita, seu quæ fit gratis absque obligatione aliqua iustitiæ, quamuis fiat ex gratitudine ad renumeranda obsequia. Quæ autem fit ex gratitudine, dicitur remuneratoria, seu antidoralis, & accidentaliter est minus perfecta, quam purè liberalis, seu quæ fit ex sola, seu pura liberalitate. Et nomine dationis intelligitur ea, quæ sua natura est translatiua dominij. Hæc autem datio est duplex. Altera, realis, & perfecta, illa scilicet, qua res de facto datur, eam tradendo. Et hac verè transfertur dominium. Altera, est verbalis, & imper-

fecta, illa scilicet; qua res solo affectu, & verbis absque traditione verè datur: vt quando dicitur, *Do tibi equum meum*, quem quia est absens, vel alia de causa non tradit. Quæ quamuis ex se, & iure naturali, est sufficiens ad translationem dominij rei, sicut perfecta; iure tamen positiuo, leg. 20. de pactis, impeditur ne ea transferatur dominium: confertur tamen ius in rem, & maius, quàm promissione donandi rem (qua etiam confertur ius iustitiæ in rem,) quia post promissionem ad transferendum dominium, superest ipsa datio, & etiam traditio rei: post dictam verò dationem verbalem, tantum superest traditio rei, imò non superest iure naturali, quia eo iure sufficit ad translationem dominij, sed tantùm superest dicto iure positiuo impediente vim illius dationis.

Ad valorem autem donationis non sufficit sola voluntas dandi, (quæ necessaria est) sed etiam requiruntur primò signa externa, verba videlicet, vel alia verbis æquiualentia. Quia donatio absque eis non fit perfectè homini, sicut nec promissio. Et secundo etiam requiritur, quòd fiat aduertenter, seu deliberatè, aliàs non erit humana. Et requiritur, quòd fiat aduertenter in seipsa; & non sufficit in sua causa, aliàs in seipsa non erit humana. Et tertio etiam requiritur, quòd fiat aduertenter aduertentia, seu deliberatione perfecta ex se sufficiente ad peccatum mortale; aliàs non erit sufficiens, seu fæcunda ad causandam, seu pariendam obligationem moralem: quia fæcunditas rei requirit statum perfectum illius. Et quarto etiam requiritur, quòd acceptetur à donatario, aliàs nihil ex ea ad eum pertinebit: quia nihil potest ad aliquem pertinere absque eius, vel sui superioris consensu. Quæ omnia ad valorem promissionis homini factæ (qua minus ius iustitiæ conceditur, quàm donatione) requiri, diximus tractat. de matrimonio, disputat. 1. in qua, & in disputat. 2. latè egimus de promissione matrimonij, & ibi dicta, facilè possunt applicari promissionibus aliarum materiarum, & ob id, hic omittimus disputationem de promissione.

(.§.)

Disse.

Diffic. II. Vtrùm ad valorem donationis requiratur insinuatio?

INSINVATIO Est, manifestatio facta à donante per se, aut per procuratorem, qua coram competente iudice manifestat, se velle donare talem rem tali personę. Ad insinuationem autem, sufficit manifestatio dicta absque iudicis decreto, vt ex communi sententia obseruat Molina disput. 278.

Hoc supposito, conueniunt Doctores ad valorem donationis non requiri iure naturali insinuationem, quia ex nullo capite, ea necessitas iure naturali oriri potest, sed aliquando requiri iure communi, leg. *Sancimus*, & leg. penult. C. de donationibus; & iure Castellæ, leg. 9. tit. 4. p. 5.

Iure ergo communi dictæ legis *Sancimus*, requiritur insinuatio ad valorem donationis, quoad excessum supra trecentos solidos (quorum quilibet æstimatur pretio quatuordecim regaliũ argenti, & nouem marauedinorũ) etiã si quo ad ipsos trecentos relinquatur valida: postea verò iure dictæ legis penultimę, relinquitur valida vsque ad quingentos solidos, & nulla quoad excessum supra eos. Et hoc posterius approbatur iure Castellæ, d. l. 9.

Defectum autem insinuationis suppleri iuramento donantis, ita vt eo donatio maneat valida, etiam quoad excessum, docent non pauci Doctores, quòd nec nobis, nec pluribus Iuristis, probatur iuxta ea quæ generaliter diximus de contractibus, disputat. 1. diffic. 7.

Sed quamuis vnica donatio quoad dictum excessum, sit nulla absque dicta insinuatione: plures tamen donationes diuerso tempore factæ, quamuis omnes simul excedant summã dictam, sunt validę, vt aduertunt communiter DD. non tamen quando donator simul donat, quamuis addat se facere tot donationes, quot sint summæ non excedentes, quia id est contra finem legis.

Prædicta autem sunt vera, etiã si donatio non sit formaliter donatio, sed tantum æquiualẽter, qualis est remissio debiti, & aliæ.

Addunt Molina disput. 278. Lessius cap. 18. num. 99. & alij, donatarium licitè retinere dictum excessum, quousque repetat à donatore, vel ab eius hæredibus, quod nos difficile existimamus. Quia si donatio est nulla quoad excessum, quo titulo excessus hic poterit retineri?

Diffic. III. In quibus donationibus non sit necessaria insinuatio ad valorem dicti excessus earum?

MOLINA Disputat. 279. Lessius cap. 18. diffic. 13. Filliuc. tractat. 34. cap. 4. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 12. Turrian. disput. 73. cap. 1. Bonacina disput. 3. q. 13. pun. 6. & communiter Doctores docent, non esse necessariam ad valorem donationum sequentium, quoad supradictum excessum.

In primis, non esse necessariã ad valorem donationis, quoad dictum excessum factæ à Principe non recognoscente superiorẽ, vt constat ex dicta lege *Sancimus*, §. exceptis, & ex dicta lege Castellæ: nec ad valorẽ donationis Principi factæ à priuato, vt constat ex Authent. Item à priuatis, & ex dicta lege 9.

Secundò, non esse necessariam ad valorem donationis factæ à Magistro, seu Duce militum factæ ipsis militibus, siue ex mobilibus Ducis, siue ex spolijs, vt constat ex leg. penult. C. de donationibus.

Tertiò, non esse necessariam ad valorem donationis antidoralis, seu remuneratoriæ, aut ob causam, quamuis futuram: quia hæc non est simpliciter donatio, sed tantum secundum quid, quia non est purè liberalis, & solum donatio simpliciter, annullatur quoad dictum excessum. Vndè, insinuatio non est necessaria ad valorem donationis propter nuptias, nec sponsalitiæ largitatis, nec constitutionis arrharum quoad dictum excessum: quia aut sunt remuneratoriæ, aut ob causam. De quibus postea dicemus.

Quartò, Non esse necessariam ad valorem donationis causa mortis, vt constat ex lege vltima, Cod. de donationibus causa mortis.

Quintò, Non esse necessariam ad valorem donationum, quæ fiunt ad pias causas: quia huiusmodi donationes non subsunt iuribus ciuilibus, quibus requiritur insinuatio, sed tantùm subsunt Canonicis, quibus non requiritur.

(.?.)

Diffic.

Diffic. IIII. Vtrùm donatio omnium bonorum sit valida?

CONVENIVNT Doctores, donationem inter viuos omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorũ, iure communi esse inualidam, etiam si adsit insinuatio, vt constat ex lege *Stipulatio hoc modo concepta*, ff. de verborum obligation. & ex alijs iuribus relatis à Molina disput. 280. in quibus id decernitur: ne donans maneat impotens ad donandum. Et iure Castellæ, donationem omnium bonorum præsentium, etiam esse inualidam, vt constat ex leg. 69. Tauri, quæ est nona, tit. 10. lib. 5. nouæ Recopilationis. Existimamus autem contra nonnullos, vt optimè Antonius Gomez ad legem 69. Tauri, & alij multi, donationem omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, iure communi esse inualidam, & omnium præsentium iure Castellæ, quamuis sit reciproca, vt quando duo fratres sibi mutuo donant omnia sua bona; quia ea donatio, quamuis reciproca, est vera donatio, & omnium bonorum.

Est tamen difficultas, an quamuis donatio omnium bonorum non sit valida, quoad ea omnia; sit tamen valida quoad aliquid in ea donatione inclusum, cuius aliàs poterat fieri donatio?

Circa quam conueniunt communiter Doctores, esse inualidam quoad omne in ea donatione inclusum: quia ea donatio absolutè inualidatur absque limitatione aliqua, ac proinde quoad omne in ea inclusum, in quo donatio omnium bonorum distinguitur à donatione vltra quingentos solidos, non insinuata, quia hæc est valida quoad eos quingentos solidos in donatione inclusos, & non quoad excessum: quia in donatione hac iure ipso assignatur quoad quid sit valida, & quoad quid sit inualida; non verò in donatione omnium bonorum, sed ea absolutè inualidatur.

Nihilominus tamen Doctores excipiunt aliquos casus, in quibus donatio omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, & omnium præsentium iure Castellæ est valida. Primò, si dicta donatio fiat causa mortis (qua res donata post mortem donatoris fiat donatarij, si tunc viuat,) quia talis donatio non est simpliciter donatio, quia potest vsque ad mortem reuocari: & sola simpliciter donatio dictis iuribus inualidatur. Secundò, dicta donatio est valida, quando fit titulo oneroso, vt titulo matrimonij,

nij, aut alterius rei; quia etiam hæc donatio non est simpliciter, seu pura donatio. Tertiò, quando fit Ecclesiæ, aut piæ causæ, quia hæc donatio non potest inualidari iure ciuili, sed tantum Canonico, quo non est inualidata, sed tantùm ciuili. Quartò, quidquid nonnulli dicant, dicta donatio est valida, vt aduertunt Molina, Turrian. & Bonacina, punct. 5. quando à donatore omnium dictorum bonorum, excipitur vsusfructus, seu quando donans reseruat sibi vsumfructum: quia tunc donatio non est omnium bonorum adhuc præsentium, quia ius ad fructus percipiendos exceptum, seu sibi reseruatum, est bonum distinctum à bonis fructificantibus, imò est bonum præsens: etiam si fructus ad quod est ius, sint futuri. Tandem quæcumque donatio, quæ absolutè & simpliciter non fit omnium bonorum prædictorum, est valida: quia quæ non est talis non annullatur. Vt autem reseruatio vsusfructus, relinquat dictam donationem validam, necessarium est, quòd vsusfructus sit tantus vt sufficiat ad sustentationem status donantis, & ad decenter testandum ad arbitrium viri prudentis, quia si non sufficiat, donatio censebitur simpliciter omnium bonorum.

Diffic. V. Quando possit donatio reuocari?

PRÆSENS Difficultas est de reuocatione donationis, vt distinctæ à promissione valida, quia de promissione, quando possit reuocari, aut potius non impleri, diximus tractatu de matrimonio, disputat. 2. & quæ ibi dicta sunt de promissione, etiam habẽt locum in donatione, antequam perficiatur per traditionem rei: quia donatio ante traditionem ferè æquiualet promissioni, vt diximus difficult. 1.

Difficultas hæc non procedit de donatione causa mortis, quia hæc iuris dispositione reuocari potest ante mortem, sicut legatum, sed de donatione inter viuos, qua donator vult rem fieri donatarij ante mortem.

Conueniunt ergo DD. donationẽ inter viuos, etiam traditione rei perfectam, reuocari aliquando posse. Ita Molina disput. 281. Lessius cap. 18. dub. 14. Turrian. disp. 74. & Bonac. disp. 3. q. 13. punct. vlt. Et idem supponitur in lege vltima, C. de reuocandis donationibus, & in cap. vlt. de donat. & in leg. 10. Castellæ, tit. 4. p. 5. Ex quibus sumuntur causæ aliquæ reuocandi donationem.

Pri-

Prima ergo causa, ob quam donatio reuocari potest, est ingratitudo donatarij, erga donatorem, vt constat ex dictis tribus iuribus, vbi quatuor casus ingratitudinis sufficientis ad reuocationem assignantur.

Primus est, si donatarius iniurias attroces in donatorem infuderit, (quod intelligitur verbis, aut æquiualentibus) siue in præsentia, siue in absentia. Quæ autem sint attroces, remittendum est arbitrio prudentis. Secundus est, si donatarius manus impias in donatorem iniecerit. Tertius est, si illius vitæ insidias intulerit. Quartus est, si grauem iacturam bonis donatoris intulerit. Et in dicta lege vltima additur, non adimpletionem modi, aut grauaminis appositi donatione, sufficere ad reuocationẽ illius.

Reuocatio tamen donationis in dictis casibus, non habet locũ quando donatio fuit facta ob causam, vt ob obsequia, vel ob aliã; quia tunc donatio non est pura, & liberalis, & simpliciter donatio: nec quando facta fuit Ecclesiæ, aut alij piæ causæ, quãuis superiores sint ingrati, quia ea censentur fieri Deo, & ob causam: nec quando facta fuit cum iuramento non reuocandi illam, adhuc in eis casibus assignatis, quia tunc iuramentum est de re licita. Habet tamen locum reuocatio in dictis casibus, quamuis facta fuerit sub pacto expresso non reuocandi illam in eis casibus.

Addimus, in quo Doctores conueniunt, si donator sciens dictam causam, non reuocauit donationem, nec cœpit agere ad eam reuocandam, non posse hæredes illius ad id agere: nec ècõtra, si donatarius moriatur antequam donator reuocauerit donationem, & antequam cœperit ad id agere, non posse donatorẽ reuocare, nec agere de reuocatione cõtra hæredes donatarij defuncti, vt significatur in dictis duabus legibus. Si verò donator ob ignorantiam ingratitudinis non reuocauit, poterit etiam post mortem donatarij eam reuocare; imò id etiam, poterunt hæredes ipsius donatoris post eius mortem.

Est tamen difficultas, an ob alios casus ingratitudinis grauis distinctos à prædictis, possit fieri reuocatio, vt si donatarius donatorem inopia oppressum non aluerit, aut ob alios?

Circa quam non pauci Doctores affirmant posse reuocari, & alij id negant. Nos tamen vt significat Rebell. lib. 18. q. 9. existimamus non posse, si donatio sit perfecta per traditionem rei donatę, quia ea nõ potest iure positiuo reuocari, quia eo tãtũ assignãtur, dicti quinque casus, & d. l. vlt. vidẽtur excludi alij: nec iure

natu-

naturali, quia iam est perfecta, & in facto esse, & dominium rei tra ditum, quod non videtur posse ex natura rei amitti absque voluntate ipsius donatarij iam domini rei: posse tamen reuocari, si donatio non sit perfecta traditione rei, quia ea donatio est imperfecta, & quasi in fieri, & in via, sicut promissio, ac proinde non mirū censeatur tacitè conditionata conditione, *si non eueniat mutatio aliqua considerabilis*, sicut fit promissio, vt diximus disp. illa 2. de matrimonio, ac proinde si eueniat, donator non tenebitur tradere rem donatario.

Secunda causa, ob quam donatio iam perfecta potest reuocari, vel potius iure ipso redditur nulla est, quādo donans carēs filijs, postea post donationem eos habet, vt decernitur lege *si vnquam*, C. de reuocandis donationibus. Et leg. 8. Castellæ, titulo 4. part. 5. Non est autem nulla, vt quibusdam placet quando fuit remune ratoria, aut ob aliam causam, quia hæc non est simpliciter donatio, cum non sit purè liberalis, & sola donatio simpliciter, fit reddita nulla.

Donatio autem, quæ ob superuentum filiorum potest reuocari, vel potius est nulla est, vt non pauci Doctores aduertunt, dona tio non modici momenti, sed magnæ quantitatis, vt significatur in dictis legibus. Quantæ autem debeat esse, non conuenit inter Doctores: quia alij existimant, debere esse maioris partis bonorum, alij debere esse dimidiæ partis bonorum, alij saltem debere esse quartæ partis bonorum, alij debere esse magnæ quantitatis consideratis circunstantijs ab arbitrium iudicis, quod nobis placet.

Est autem dicta donatio nulla, quamuis facta sit ascendentibus donantis, & est nulla in totum, & non tantum quoad legitimam, quæ filijs natis debetur, vt nonnulli existimant. Et etiam est nulla, quidquid nonnulli dicant, quamuis donator, quando donauit, cogitauerit de filijs futuris, & quamuis renunciauerit dictis legibus, quia factæ sunt in fauorem filiorum futurorum absque limitatione aliqua, ex dictis. Et etiam est nulla, quidquid plures dicant. Vt docent Lessius cap. 18. dubio 14. & Bartholom. à Fausto de donatione, disput. 20. quæst. 105. quamuis fuerit iura mēto confirmata, quia eo iuramento non reualidatur iure aliquo, nec positiuo, nec naturali, vt sæpè diximus.

Est tamen difficultas. Primò, an donatio, quæ post natiuitatē filiorum, ob eorum natiuitatem fit nulla, vel est reuocata, reuiuiscat

tat morte eorum ante mortem patris? Circa quam contra nonnullos existimamus,non reuiuiscere,vt docent Molin.disp.282. & Rebel.lib.18.q.10.quia sicut nō est valida absq; cōsensu donatoris,ita nec reualidatur,& reuiuiscit absq; nouo cōsensu eiusdē.

Secundò est difficultas,an donatio fiat nulla natiuitate filij spurij,vel naturalis,si rescripto Principis,aut per subsequens matrimonium legitimetur?

Circa quam contra nonnullos existimamus,fieri nullā,quia quamuis prædictis iuribus tantum fiat nulla natiuitate filiorum legitimorum,& ex vxore natis,ille tamen filius eo rescripto, aut matrimonio subsequenti fit legitimus,gaudens priuilegijs filiorum,qui oriuntur ex legitima vxore.

Ita tamen donatio natiuitate filiorum fit nulla, vt donatio facta priori filio non fiat nulla in totum natiuitate aliorum, sed tantum quoad legitimas correspondentes posterioribus, vt aduertit Antonius Gomez 2.variar.cap.14. & constat ex leg.*si totas*, C.de inofficiosa donatione,& ex lege 8. Castellæ,titulo 4. p. 5 &ex leg. 3.tit.8.lib.5.nouæRecop. Et idē est,quādo donatio facta est alicui ex prioribus filijs iam natis contra legitimā reliquorum,vt constat ex leg.vlt.dict.C.& ex dictis legibus Castellæ. Et etiam donatio facta Ecclesiæ,aut alij piæ causæ nō redditur nulla in totum natiuitate filiorum,sed tantum quoad legitimas eis ex iustitia debitas,vt docent Lessius dub.14.& Bartholom.à S. Fausto,q.100.& quia causa pia habetur loco filij, vt significatur in Auth.*si qua mulier*, C.de Sacros.Eccles. Et quia hæc donatio non est subdita iuri ciuili,sed tantum Cononico, quo nō irritatur.

Tertia causa,ob quam donatio etiā perfecta per traditionē rei potest reuocari,est quando est inofficiosa,seu cōtra officium pietatis paternæ in filios,aut quādo donatio est tantæ quantitatis,vt non relinquatur filijs iam natis legitima debita, vt constat ex leg.1.& seqq.C.de inofficiosa donatione.Ita tamen potest reuocari,vt si non sit facta filio;sed alij , & animo fraudandi filios possit in totum reuocari,& non potest in totum reuocari,sed tātum quoad legitimas debitas,quādo nō fuit facta eo animo. Imò probabile est nō posse in totū reuocari,sed tātū quoad debitas legitimas quando donator reliquit aliquid filijs, quamuis non sufficiens ad legitimas debitas:& etiam non potest in totum reuocari,sed tantum quoad legitimas, quando facta est filio,aut piæ causæ,aut quando donatio est remuneratoria,aut ob causam.

Constat ergo, donationem traditione rei perfectam ob dictã triplicẽ causam reuocari posse, nempè, ob ingratitudinem donatarij, & ob superuenientem prolem, & ob inofficiositatem donationis. Est tamen discrimen, quòd reuocatio ob primam causam non sufficit, sed est necessaria iudicis sententia, ita vt ante hanc donatarius non teneatur rẽ restituere, quia id iniungitur in pœnam ingratitudis. Pœna autem, quæ non imponitur conuentione partium, sed iure, & non additur ipso facto, formaliter, vel æquiualenter, qualis est hæc, non est iniungenda ante iudicis sentẽtiam. Et ob eandem rationem, reuocatio donationis in totum ob inofficiositatem, non sufficit ante sententiam iudicis: quia reuocatio in totum etiã est pœna inofficiositatis, etiam si reuocatio quoad legitimas habeat vim ante sententiam, quoad legitimas filiorum iam natorum quando fit donatio, imò non fit necessaria reuocatio: quia donatio quoad eas respectu filiorum iam natorum, est iure ipso nulla, & etiã reuocatio donationis ob superuentũ prolis sufficit, imò non est necessaria, quia dicta donatio, quoad eas, etiã est iure ipso nulla, vt aduertũt Rebel. q. 9. tit. 11. & Bona. quæst. 13. puncto vltimo.

Difficult. VI. Qui possint donare?

CIRCA Hanc difficultatem legenda sunt, quæ dicimus disp. 1. dif. 14. & de iust. disp. 13. dif. 8. & de charitat. disp. 5. dif. 14. & 18.

Conueniunt ergo Doctores, eos solos posse donare, qui sunt vsu rationis præditi, & habent dominium, & administrationẽ bonorum, & aliàs iure humano non impediuntur.

In primis ergo, ad donationem est necessarius vsus rationis, vt patet. Secundò, non sufficit habere dominium rei ad eam donandam, si non habeatur administratio: quia donare pertinet ad bonorum dispositionem, & administrationem. Tertiò, non sufficit habere bonorum administrationem, si non habeatur dominiũ, quia donatione trãsfertur saltẽ inchoatiuè, solus autem dominus potest eorum dominium transferre, & nõ purus administrator, nisi ex mente domini, aut in eius commodum: & donatio non est in commodum domini, sed solius donatarij. Quartò, non potest donare qui iure humano impeditur, vt patet.

Vndè,

Vndè, infantes ante vſum rationis ſunt iure naturali inhabiles, ad donandum, quia abſque eo donatio non erit libera, & humana. Et ob eandem rationem amentes, & furioſi ſunt iure naturali inhabiles an donandum, niſi qui habent lucida interuala, quādo ea habent. Et etiam prodigi habentes curatorem, ſunt iure humano inhabiles, & etiam pupilli non proximi pubertati. Pupilli verò proximi puberrati, & minores curatorem habentes, & filij familias quamuis puberes, donare non poſſunt validè ex bonis non caſtrenſibus, nec quaſi caſtrenſibus abſque auctoritate tutorum, & curatorum, & patris. Benè tamen ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, de quo amplius dicimus in prædictis tractatibus, & etiam quid poſsint vxores donare.

Religioſi non ſuperiores, exceptis militaribus, non poſſunt aliquid licitè, nec validè donare, niſi ex conſenſu ſui ſuperioris, ſaltem probabiliter præſūpto, nec ex hoc poſſunt, niſi ad pias cauſas, quia neque ſuperiores poſſunt, niſi ad has, & non niſi iuxta leges, aut conſuetudines ſuorum ordinum, de quo non nihil dicimus, diſp. 1. dif. 14. & de charit. vbi ſupra.

Clerici verò ſæculares ex bonis patrimonialibus, & ex quaſi patrimonialibus poſſunt validè, & licitè donare, & ex fructibus ſuorum beneficiorum poſſunt validè donare, etiam ad vſus profanos, ad hos tamen non poſſunt licitè, quia ſunt prohibiti ad eos donare. De quo etiā dicimus tract. de charit. diſp. 5. diff. 18.

Miles iure communi legis, *ſi ancillam*, C. de donat. inter virū & vxorē, non poſſunt firmiter donare concubinæ, quia quamuis ei poſsit validè donare, poteſt tamen repetere id quod ei donauit. In ea tamen lege, tantum eſt ſermo de pura, & liberali donatione, non autem de donatione facta ob vſum corporis, vel ob aliud obſequium, & ideo quod ei ſic donat, nō poteſt repetere.

Difficult. VII. Vtrùm donatio inter filios, & parentes ſit valida?

CONVENIVNT. Primò Doctores, donationem filij vtriuſque ſexus in patrem eſſe validam. Primò, quando fit ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus ipſius filij, vt cōſtat ex lege, *cū opportet*, ff. de bonis quę liberis: quia ex vna parte filius habet dominium, & liberam adminiſtrationem eorum,

& ex altera id non est iure aliquo prohibitum. Secundò, quando filius habet aliquid sibi à Principe donatum, vt constat ex lege, *cùm multa*, C. de bonis quæ liberis. Tertiò, quãdo donatio fit ex bonis, quorum pater non habet vsumfructum, vt contingit, quando filio relinquitur aliquid ea cõditione ne pater in eo habeat vsũ fructũ. Et quãdo filius admittitur cũ matre ad hæreditatẽ fratris, vel sororis, ex Autht. de hæredib. ab intestato, collat. 9. & quãdo filius accipit dotem patre rennitente, & nõ se obligante. Quartò, quando donatio fit ex vsufructu legato ipsi filio. Quintò, quando donatio fit ex hæreditate, quam filius renuente patre adiuit: vt constat ex lege vlt. C. de bonis quæ liberis. Alios casus refert Azor. part. 3. lib. 11. cap. 9.

Conueniũt secundò DD. donationem patris in filium vtriusque sexus legitimum non emancipatum, iure communi esse inualidam, si nõ fiat traditio rei donatæ: si verò fiat traditio, donationem esse validam, sed non firmam, quia eo iure reuocari potest, vt constat ex leg. 2. C. de inoffic. donatione, & ex leg. *cum de bonis*, 11. C. de donat. & ex leg. vlt. C. de impuberum, & alijs substitut. donationem tamen confirmari morte patris, aut per emancipationem filij, si res antea tradita erat, quia tunc filius desinit esse sub potestate patris. Donationem verò factam à patre filio non existenti sub potestate illius, vt filio emancipato, aut illegitimo, & factam à matre, vel ab alijs ascendentibus filio quamuis pater nis esse eodem iure validam, & firmam, seu irreuocabilem, quamuis non fuerit facta traditio.

Addidimus iure communi, quia iure Castellæ legis 17. Tauri, quæ est prima titul. 6. libro 5. nouæ Recopilationis, iuncta lege 26. Tauri dict. titul. 6. omnis donatio simplex facta filio, siue existenti sub potestate patris, siue nõ, siue facta à patre, siue à matre, siue ab alijs ascendentibus est verè valida, nõ tamẽ firma, quia potest reuocari ab eo, qui illam fecit, vsque ad ipsius donãtis mortem, si rei donatæ non fuit facta traditio, si verò traditio fuit facta, manet firma, & irreuocabilis.

Excipiuntur tamen nonnulli casus, in quibus etiam iure communi donatio facta filio existenti sub potestate patris est valida, & firma. Primò, quando fit causa dotis, & nuptiarum, vt constat ex lege *Pomponius Philadelphus*, ff. familiæ. Secundò, quando est remuneratoria pro obsequijs. Tertiò, quando donat bona mobilia filio eunti ad

ad bellum, vel ad aulam Regis, vt constat ex leg. si filius familias, C. familiæ. Quartò, quando donat libros filio professuro aliquam disciplinam. Quintò, quando donat filio vsumfructum, quem habet in bonis aduētitijs ipsius filij. Sextò, ferè in omnibus casibus, in quibus valet donatio inter coniuges, vt quando confirmatur iuramēto, & in alijs casibus. Quoties, verò donatio est reliquis filijs iniuriosa excedēs quantitatē, de quà pater potest libere dispo nere, est inualida quoad excessum, vt diximus dif. 5.

Obseruandum est, donationem patris factam filio non existē ti sub eis potestate, quamuis aliàs validam, & firmam, posse reuocari ad minus causis sequētibus. Primò, si filius attroci iniuria patrem affecerit. Secundò, si in eum iniecerit manus impias. Tertiò, si grauem iacturam bonis patris intulerit. Quartò, si vitæ patris insidias intulerit. Quintò, si non impleuerit onus, aut grauamen donationi appositum, quæ generaliter de reuocatione donationis diximus dif. 5.

Difficult. VIII. Vtrùm donatio inter coniuges sit valida?

CIRCA Hanc difficultatem legendi sunt Molina disp. 289. Sancius lib. 6. à disput. 1. Lessius cap. 18. Turrianus disput. 76. Bonac. disp. 3. q. 13. punct. 4.

Conueniunt ergo Doctores, donationem inter coniuges esse validam, sed non firmam, quia potest pro libito à donatore reuocari, vt constat ex lege, *cùm hic status*, ff. de donation. inter virum & vxorem, & ex iure antiquiori, lege 4. Castellæ, tit. 11. part. 4. & ex cap. *donatio*, de donationibus. Si tamen donatio non reuocetur à donatore, dum viuit, confirmatur morte ipsius donatoris antecedente mortem donatarij, si res donata fuerat ante mortem donatoris tradita, traditione saltem ficta, & tunc ea morte subsequuta retrotrahitur donatio vsque ad tempus traditionis, ita vt fructus ab eo tempore collecti, pertineant ad donatarium, vt constat ex dicta leg. *cum hic status*, & ex leg. Papinian. ff. eodem.

Et quod dictum est de donatione inter coniuges, nēpè, nō esse firmā, quamuis validā credimus contra nonnulos esse iure cōmuni verum, quamuis eorum coniugium non fuerit cōsummatū, quia etiam tunc sunt veri coniuges, & prædicta iura infirmantia eam donationē, absolutè loquuntur de donatione inter coniuges. Ad-

dimus *iure cōmuni*, quia iuxta iura Castellæ l. 52. Tauri, quod est nouius iure dictæ 4. l. ea donatio ante matrimoniū nō cōsūmatū non solum est valida, sed etiā est firma, seu irreuocabilis, quia eo iure habet vim spōsalitiæ largit[illegible]s, quæ verè est valida, & firma.

Et quòd dictum est de donatione inter coniuges iure communi, etiam eodem iure est verū de donatione inter sponsos de futuro dilato effectu collationis dominij, vsq; ad tempus celebrationis matrimonij, vt constat ex dict. leg. *cum hic status*, & ex leg. *quod sponsæ*, C. de donat. ante nuptias, quia idem est aliquid fieri tempore inhabili, vel prohibito, ac eius effectū referre in tale tēpus, vt constat ex lege *in tempus*, ff. de hæred. institut.

Sed quamuis donatio inter dicto modo coniuges non sit firma; benè tamen reliqui contractus, vt venditio, & permutatio, quia non sunt donatio. Et id exprimitur in leg. *si sponsus*, ff. de donat. inter virum & vxorem. Remissio tamen pretij, siue totius, siue partis, est infirma, quia est verè donatio.

In aliquibus tamen casibus donatio inter coniuges est valida, & firma. Primò, donatio inter Imperatorem, & Imperatricem, vt constat ex leg. 26. C. de donat. inter virum, & vxorem. Et idē est de donatione inter Principes suppremos, vt admittunt communiter DD. Secūdò, donatio est valida, & firma, si fiat causa mortis seu relata ad tempus soluti matrimonij, vt constat ex leg. *si enim*, ff. de donat. inter virum, & vxorem, quod contra nonnullos credimus verum, quamuis traditio rei non fuerit facta, quia hæc traditio nullo iure requiritur, si tamen traditio fuerit facta retrotrahitur donatio, quoad fructus collectos ad tempus traditionis factę. Tertiò est valida, & firma, si maritus donans ob donationē factā vxori nō fiat pauperior, vt cōtingit, quādo maritus repudiat hæreditatē, vel legatū, vt vxori aliàs substitutæ, aut aliàs ab intestato succedenti obueniat, vt constat ex leg. *si sponsus*, ff. eodem, & ex leg. 5. Castellæ, tit. 11. p. 4. & idē contra non paucos credimus verū, quando cōiux renuntiat lucris acquirendis, nō verò, quādo iam acquisitis, vt aduertit Turrian. disp. 76. dub. 5. quia nec tunc fit pauperior. Quartò est valida & firma, quādo ob donationē donatarius nō fit ditior, etiā si donans fiat pauperior, ex dict. leg. *si sponsus*, & ex leg. 6 Castellæ, tit. 11. p. 4. vt cōtingit, quando coniux donat aliquid alteri cōiugi ea lege, vt donatū donet alij. Tūc autem si aliquid remanserit ex donato, poterit à donatore repeti. Et idem etiam contingit, quando coniux donat ad refectionem

ædium

ædium incendio consumptarum, vt constat ex lege, *quod si vir*, ff. eodem. Quintò, si donatio fiat, vt donatarius dignitatem aliquã consequatur, v.g. Doctoratum, aut nobilitatem, vt constat ex leg. 40. ff. codẽ. Sextò, si donatio fiat causa remunerationis, obsequijs proportionata, vt quando maritus senex, aut ignobilis donat aliquid vxori iuueni, aut nobili, quia ipsum senem, aut ignobilem duxit, aut ob alia obsequia, vt significatur in lege, *quod autem*, ff. eodem: quia iura tantum impediunt donationem, & quæ est remuneratoria, non est simpliciter, & in rigore donatio, quia non est purè liberalis, est autem firma quoad id, quoad quod est obsequijs proporcionata ad arbitrium viri prudentis. Septimò, si vir remittat vxori dotem promissam, vt constat ex leg. *si constante*, C. de donat. ante nuptias. Octauò, si coniux habitare permittatur in ædibus alterius coniugis, aut si vsus fuerit seruis, vel animalibus, vel vestibus illius, vt constat ex leg. *si vir vxoris*, ff. eodem dũ donatio non excedat valorem vtilitatis receptæ. Nonò, quãdo vxor constituit marito dotem, vel constitutam auget. Decimo, si maritus donet vxori quid annuum, vel menstruum ad alimenta, si donatio non excedat fructus dotis vxoris, vt constat ex leg. *ex animo*, ff. eodem.

Addimus, quamcumq; donationem inter coniuges firmari iuramento eam non reuocandi, vt aduertunt communiter Doctores,

Difficult. IX. Vtrùm donatio inter sponsos de futuro sit valida?

CONVENIVNT DD. donationem inter sponsos de futuro factam ob spem ineundi matrimonium (quæ Latine dicitur *sponsalitia largitas*, & etiam *donatio ante nuptias*, & Hispanice, joyas) esse validam, & firmam, quia nullo iure impeditur, est tamen donatio hæc iure communi, & Castellæ statim citandis, non absoluta, sed cõditionata, nempè facta tacitè sub cõditione futuri matrimonij, iure quidem cõmuni, sub conditione futuri matrimonij quamuis tantum rati: iure nouiori Castellæ sub conditione matrimonij cõsummati, ac proinde sequuto matrimonio, quãuis tatũ rato donatio iure cõmuni cõfirmatur, & res donata fit integre donatarij, & sequuto matrimonio cõsũmato, donatio iure Castellæ etiã cõ firmatur, & res donata fit integre donatarij, quãuis facta fuerit

ante benedictiones nuptiales: si tamen matrimonium modo dicto non sequatur culpa donantis, res donata etiam efficitur donatarij, & si aliquid accepit ab altero, est ei restituendum. Si verò culpa donatarij non sequatur totum quod accepit restituendum est donanti. Hæc omnia constant ex dicta lege si sponso, & ex leg. cũ veterum, C. de donat. ante nuptias, & ex lege Castellæ 52. Tauri, quæ est quarta, tit. 2. lib. 5. Recopil. & si matrimonium non sequatur absque culpa alicuius, vel quia, alter ex eis antea moritur, vel quia Religionem ingreditur, vel aliter: tunc si donatio facta fuit sponsæ ab sponso, & post sponsalia valida, & absoluta intercessit osculum, aut copula, dimidia pars donationis, vel donatiui pertinet ad sponsam, & altera dimidia redit ad sponsum; si verò non intercessit osculum, nec copula, quamuis intercesserit amplexus, totum donatiuum redit ad sponsum: & si donatio fuit facta sponso ab sponsa, totum redit ad sponsam, quamuis interueniat osculum, & copula, vt constat ex dicta lege, *si ab sponso*, & ex lege 3. Castellæ tit. 11. part. 4.

Obseruandum est primò, ea quæ sponsus ante matrimoniũ dicto modo sequutum mittit sponsæ, dum nõn cõstet missa esse animo illa ei donandi, non esse censenda donata per sponsalitiam largitatem, sed tantum ad vsum, vt aduertunt Mol. disp. 290. & Bonacin. q. 13. pun. 4. quia dum aliud non cõstat, potius præsumitur illa mittere non animo donandi, sed honorandi sponsam, vt ornatior sit, ac proinde nõ fieri ipsius sponsæ sequuto matrimonio: nec medietatem eorũ per osculũ, aut copulã ad sponsam pertinere.

Obseruandum est secundò, vt cõtra Iul. Clar. §. donatio, q. 10. Mol. disp. 430. & Sanc. 6. de matri. disp. 26. aduertunt Bald. vol. 4. cõs. 316. Menoch. de præsump. lib. 3. præsump. 26. n. 17. & Anton. Gom. in leg. 50. Tauri, ea quæ donantur sponsæ à consanguineis sponsi, acquiri sponsæ, & censeri sponsalitiam largitatẽ, & ea quę à consanguineis sponsæ donantur sponso, acquiri sponso, dũ aliud non constat de voluntate donantis, quia dum aliud non cõstat, verè donantur in priori casu ipsi sponsæ, & in posteriori ipsi sponso, quamuis ex motiuo complacendi sponso in priori casũ, & sponsę in posteriori.

Obseruandũ est tertiò, vt aduertit Mol. disp. 290. ad valorẽ donationis, seu largitatis sponsalitiæ, nõ requiri insinuationẽ, quamuis excedat valorẽ quingẽtorũ solidorũ, sicut nec est necessaria ad valorem collationis arrharũ, vt significatur in Authent. vt sponsalitia largitas in princ. & in leg. 52. Tauri.

Obseruandum est quartò, vt optimè Sanc. lib. 6. disp. 24. sponsalitiã largitatem iure cõmuni posse fieri in quacũq; quantitate, iure verò Castellæ, leg. 1. tit. 2. lib. 5. nouę Recop. spõsalitia largitas facta spõsę, nequit excedere octauã partẽ verę, & non fictæ dotis spõsæ, & si excedat esse nullã quoad excessum, nisi iuramento confirmetur, quod si spõsa nullam attulit dotẽ quãuis sint, qui existiment, tunc nullam posse illi fieri sponsalitiam largitatẽ, verisimilius tamen est, posse fieri in quantitate ad arbitrium prudentis, attendendo ad dotem, quæ esset proportionata statui, & qualitati vtriusque sponsi.

Nonnulla pertinentia ad donationem inter spõsos de futuro possunt videri apud Molinam disp. 290. Turrian. disp. 77. Bonacin. q. 13. punct. 4. & Sanc. lib. 6. à disp. 24.

Diffic. X. Vtrùm arrharum constitutio sit valida?

SVPPONIMVS Arrhã dupliciter sumi, vno modo pro re, quæ inter sponsos datur in pignus futuri matrimonij, qua ratione arrha sumitur iure cõmuni, & antiquo Castellæ, & de ea vt sic, tracta. de matrim. disp. 1. dif. 19. & 20. diximus posse validè cõstitui & in quacũq; quantitate. Altero modo sumitur pro donatione, quã facit sponsus sponsæ, in remunerationẽ, vel dotis receptæ ab ipsa, vel nobilitatis, vel pudicitiæ ipsius sponsæ, qua ratione sumitur apud Hispanos, & apud eos successit loco donationis propter nuptias, quę iam non est in vsu, & erat distincta ab arrhis, hoc posteriori modo sumptis, quia erat donatio facta fœminæ à viro pro oneribus matrimonij ad instar dotis, quæ confertur viro à fœmina, quæ matrimonio etiam consummato redibat ad ipsum virum, sicut dos redit ad ipsam fœminam, etiam si nunc aliquando etiam fiat donatio, quæ dicitur propter nuptias, nempè, quæ fit viro à suo patre, vel ab altero, vt ducat vxorem, quæ ob id clarius dicitur *donatio ad nuptias*, quam *propter nuptias*.

Hoc ergo supposito conueniunt DD. constitutionem arrhæ posteriori modo sumptæ esse validam ante matrimonium initũ, & in Hispania ante matrimoniũ consũmmatũ, quia nullo iure impeditur, sicut nec spõsalitiã largitas, à qua in eo distinguitur, quia hæc fit ob spem matrimonij, & vt coniugi complaceatur, arrha verò ob aliquid ex tribus dictis.

Disput. XI. De donatione.

Dos verò ab vtraque distinguitur, quod dos vt talis non fit aliquo modo ex dictis, sed fit regulariter viro à fœmina, vel ab alio loco fœminæ, vt vir vsufructu rei dotalis onera matrimonij sustentet, & aliquando fit à viro ipsi fœminæ, vt vsufructu rei à se donatæ fœminæ, siue relicto dicta onera sustentet; de quo legendi sunt Rebell.lib.5.& Bonacin.disp.3.q.11.

Est tamen difficultas, an constitutio dictæ arrhæ post matrimonium initum, & in Hispania post consummatum, sit valida?

Gregorius Lopez leg.1. titul.11.part.4. & Molina disput. 431. existimant, posse constitui validè, sed non firmiter, seu irreuocabiliter, quando ea constitutio sapit donationem, quia donatio inter coniuges non est firma: fortè tamen posse firmiter constitui, quando nobilitas, aut dos vxoris est magna.

Couarr. verò, 4. Decret. 2. part. cap. 3. §. 7. Sancius 6. de matrimonio, disp. 28. Turrian. disp. 78. dub. 3. & communiter DD. docent, & meritò posse validè, & firmiter constitui, & id significatur, leg. 1. Castellæ, tit. 11, part. 4. & leg. 87. tit. 18. part. 3. & ratione constat, quia donatio remuneratoria inter coniuges est valida, & firma, vt diximus dif. 8. sed arrhæ constitutio est donatio remuneratoria, vt pote facta in remunerationem dotis, aut nobilitatis, aut pudicitiæ sponsæ; ergo est valida & firma.

Obseruandum est primò, deficiente causa aliqua, ex eis ob quas arrhæ constituuntur vxori, eam teneri ad restitutionem illarum: quia deficiente causa ob quam donatio fit, donatio fit inualidè. Ac proinde, quando constituuntur in præmium virginitatis, vt verè constituuntur, quando in scriptura dotis id dicitur, & approbatur à contrahentibus, vt credendum est approbari, dum oppositum non constat, sponsa violata tenetur ad restitutionem arrharum, quando sponsus eum defectum ignorabat tempore constitutionis dotis; de quo legendi sunt Sancius, & Turrianus vbi supra. Sponsam autem eo defectu laborantem, quamuis ignorato ab sponso, posse licitè matrimonium cum eo contrahere, & eum defectum etiam artificio tegere, & dissimulare, non tamen fingere, & simulare, diximus tractat. de matrimonio, disput. 2. diffic. 17. quando autem in constitutione arrharum dicitur fieri in præmium pudicitiæ, si aliquando dicitur, nomine pudicitiæ, intelligitur pudor, quem sponsa patitur suum corpus tradendo sponso.

Obseruandum est secundò, quando arrhæ & sponsalitia largitas

gitas interueniunt in matrimonio, & eo consummato moritur vxor, vel maritus, vxorem non lucrari vtrumque; sed ipsi, aut suis hæredibus iure Castellæ dari optionem vt eligant, aut sponsalitiam largitatem, aut arrhas: & electio facienda est intra viginti dies post quam maritus, vel eius hæredes requisierint vxorem, aut eius hæredes; quod si intra eos non elegerint dari optionem marito, aut eius hæredibus, vt ex eis duobus dent quod voluerint, vt decernitur leg. 52. Tauri, quòd intelligitur, quando sponsalitia largitas fuit validè & firmiter facta, vt quando fuit facta ante consummationem matrimonij, quia quando fuit facta post, & ideo non fuit firma, quia tunc ante mortem donantis non confirmatur, tunc vxor vtrumque lucratur; nempè, arrhas, & etiam eam donationem morte mariti confirmatam, quia tunc ea donatio non est sponsalitia largitas, sed donatio inter coniuges: & dicto iure Castellæ tantùm conceditur optio inter sponsalitiam largitatem, & inter arrhas, & non inter arrhas, & inter donationem inter coniuges.

Obseruandum est tertiò, quando in matrimonio non fuit facta sponsalitia largitas, sed tantum fuerunt constitutæ arrhæ, vt aliquando fit in Hispania, tunc sponsam per osculum, aut copulam, nō consummato matrimonio, in Hispania nō lucrari medietatem arrharum, quia iure Castellæ, imò & communi citatis difficul. 9. id tantum conceditur quoad sponsalitiam largitatē. Vndè, quando interuenerunt sponsalitia largitas, & arrhæ, sponsa per osculum, aut copulam, non lucratur medietatem sponsalitiæ largitatis, & medietatem arrharū, sed tantum medietatē sponsalitiæ largitatis, de quo legendus est Sancius disput. 22. & Turrian. disput. 77. dub. 5.

Difficult. XI. In qua quantitate possint arrhæ constitui?

DIFFICVLTAS Hæc procedit de arrhis sumptis pro donatione sponsi facta sponsæ in remunerationem dotis, vel nobilitatis, vel pudicitiæ illius; & procedit de arrhis iure Castellæ constituendis, quia iure communi non constituuntur similes arrhæ.

Circa difficultatem ergo, conueniunt DD. iure Castellæ, virum

virum pro arrhis tantum posse fœminæ decimam partem suorum bonorum donare, vel promittere, si tamen donatio, aut promissio excedat, fit nulla, quamuis tantum quoad excessum, vt constat ex lege 1. tit. 2. *de las arrhas*, lib. 3. fori approbata per legem 50. Tauri, quæ hodie est lex 2. tit. 2. lib. 5. nouæ Recopilationis, vbi subditur non posse huic legi renuntiari.

Obseruandum est primò, non solum virum posse arrhas validè, & firmiter vxori constituere, sed etiam fœminam viro in nobilitatis, aut diuitiarum remunerationem, dum non excedat decimam partem bonorum vxoris, vt constat ex leg. 50. Tauri, quæ indistinctè de arrhis loquitur.

Obseruandum est secundò, arrhas posse promitti vxori à virò ex bonis præsentibus, & futuris, & non donari, nisi ex bonis præsentibus, & vxor potest eligere tempus, quo sibi debeant tradi, & non poterit excedere decimam partem bonorum, quæ eo tempore habeat maritus, vt constat ex leg. 2. tit. 2. *de las arrhas*, lib. 3. fori, quando autem tantum promittuntur, non exprimendo bona futura, solum promittuntur ex bonis præsentibus tempore promissionis, vt optimè Sancius: non potest autem promittens arrhas dictam decimampartem excedere, etiam si careat hæredibus necessarijs, vt significatur in dicta lege 2.

Obseruandum est tertiò, ea bona censeri viri, vt arrhæ decimam partem eorum non excedant, quæ ipsi supersunt, deducto ære alieno, nempè, deductis oneribus, debitis, & tributis, & inter ea computanda esse omnia, quæ ipsi debentur, & officia vendibilia, vt officium tabelionis.

Obseruandum est quartò, vt contra nonnullos aduertunt Sãcius, & Turrianus, tertium aliquem posse validè promittere, & donare vxori pro arrhis vltra decimam partem bonorum mariti, si illas promittat, aut donet, non pro marito, nec ex bonis illius, quia tunc non dicitur maritus promittere, aut donare, sed solus ille tertius, & solus maritus est impeditus decimam suorum bonorum excedere in constitutione arrharum, vt constat ex lege 1. tit. 2. *de las arrhas*, lib. 3. fori, approbata leg. 50. Tauri.

Obseruandum est quintò, vt etiam contra nonnullos aduertũt Sancius, lib. 6. disp. 36. & Turrian. disp. 78. dub. 7. arrhas promissas extrahendas esse ex ea parte bonorum, de qua promittẽs potest liberi disponere, vt in Castella ex quinta parte bonorum, si promittens, tempore promissionis habeat filios ex alio priori matri-

matrimonio, aut ex tertia, si tantum habeat ascendentes, quia donatio arrharum quæ promittitur, non est debita ex iustitia, sed tantum est remuneratoria: ac proinde tunc non potest fieri ex toto corpore bonorum, sed tantum ex dictis partibus. Si verò promissio arrharum facta fuit antequam promittens haberet filios, esse extrahendas ex toto corpore bonorum, quamuis postea habeat filios, quia tunc quando promittit, & obligatur, nullo iure est impeditus ad absolutè, & absque conditione disponendum de toto corpore suorum bonorum, quia ex vna parte non habet filios, & ex altera parte dicta donatio promissa, vt pote remuneratoria, & non purè liberalis non reuocatur, seu annullatur natiuitate superueniente filiorum: & idem quoad hæc duo dicendum est de sponsalitia largitate, vt etiam aduertunt Sancius, & Turrianus, quod scilicet si fiat quando sunt filij nati, extrahenda tantum sit ex ea parte bonorum de qua promittens, tunc potest liberè disponere: & si fiat antequam habeat filios, extrahenda sit donatio ex toto corpore bonorum, ob easdem omnino rationes.

Obseruandum est sextò, arrhas iure Castellæ ad vxorem pertinere, sicut alia bona aduentitia; & de eis posse disponere sicut de alijs aduentitijs. Vndè, soluto matrimonio, & non transeunte ad alias nuptias, si non habeat filios, nec ascendentes, potest de eis pro libito disponere; si verò habeat filios, potest quintam partem arrharum cuicumque etiam extraneo donare, & quemlibet filium in tertia, & quinta parte meliorare: & si solos habeat ascendentes, potest liberè de tertia parte earum disponere: si verò habens filios, ad alias nuptias transierit, ea quæ quacumque donatione à priori marito accepit, fieri filiorum prioris matrimonij, quoad dominium; & si vsusfructus apud matrem maneat, fieri æqualiter eorum, vt nullus eorum possit ex eis meliorari. De quo legendus est Sancius disput. 40. & 41. vbi idem docet de sponsalitia largitate.

(.?.)

TRACTA-

TRACTATVS DE IVDICIO Forensi.

AD IVDICIVM Forense, seu publicum, quatuor personarum genera principaliter concurrũt, nempè, Iudex, Actor, Reus, & Testis: & alia quotuor minus principaliter, & accessoriè, nempè, Tabellio, Procurator, Aduocatus, & Assessor, quamuis non semper hæc omnia quatuor posteriora.

DISPVTATIO PRIMA: de Iudice.

Difficult. I. Vtrùm ad iudicandum requiratur in iudice iurisdictio in eum quem iudicat?

CONVENIVNT DD. ad licitè, & etiam ad validè iudicandum, aliquem requisitam esse in iudicante iurisdictionem, aliquam in iudicatum, aut ordinariam ipsi conuenientem ex officio, aut delegatam ipsi conuenientem ex commissione iudicis Ordinarij, aut accessoriam ipsi conuenientem ratione territorij in quo fit delictum, aut arbitrariam ipsi conuenientem, ex arbitrio, seu electione litigantium, qui potest eligi, vel vt amicabiliter iuxta æquitatem iuris naturalis, litem componat: & hic dicitur arbitrator; vel vt iudicet rigorosè, iuxta ordinẽ Iuris etiam positiui, & hic dicitur arbiter. Ratio dictæ doctrinæ est, quia iudiciũ absque iurisdictione, aut arbitraria, aut superioritatis factũ, nec est superioris, cui iudicatus debeat ex obedientia stare, nec est arbitri, nec arbitratoris, cui iudicatus debeat ex fidelitate, aut ex iustitia commutatiua, ratione compromissionis litigantium stare, Ergo est nullum, seu nullius valoris ad obligandum: & etiam illicitum malitia vsurpationis iudicij, quia fit absque auctoritate circa iudicatum; vsurpatio autem iudicij ex suo genere est mortalis, quia ea vsurpatione fit iniuria, seu iniustitia liti-

litigantibus contra ius libertatis eorũ, & legitimo iudici, cuius iudicium assumitur, seu vsurpatur: ac proinde iudicans vsurpatione iudicij, tenetur ad restitutionem damni, si aliquod euenit sic iudicato, & legitimo iudici.

Vndè iudices sæculares inualidè, & consequenter illicitè iudicant personas Ecclesiasticas, non solum in criminalibus, sed etiam in ciuilibus; quia personæ Ecclesiasticæ in omnibus his exéptæ sunt à iudicio sæculari; & Pilatus inualidè iudicauit Christum, quia homo Christus nõ fuit subiectus Pilato, nec Cæsari, sed potius Cęsar & Pilatus homini Christo, quia Christ⁹ ex vi vnionis fuit, & est Rex Regũ, & Dominus domidantiũ; & non solum inualidè iudicauit Christum, sed etiam illum iudicãdo, peccauit, quia eum quem non nouit nocentem condemnauit, & etiam peccaret peccato vsurpationis iudicij, nisi ignorantia inuincibili exemptionis Christi ab omni humano iudicio laborasset.

Difficult. II. Vtrùm iudex putatiuus validè & licitè iudicet?

IVDEX Putatiuus dicitur, qui titulo colòrato iudicis gaudet, & commumuni errore putatur iudex.

Conueniunt ergo communiter DD. eum qui habet titulum coloratum iudicis, & communi errore putatur iudex, etiam si verè non sit iudex, valide iudicare in omni foro, tam sæculari, quã Ecclesiastico: tã interiori Confessionis, quàm exteriori (nisi illi deficiat aliquid, quòd iure naturali, aut diuino requisitum sit ad validè iudicandum, quod ab humana potestate suppleri nequeat) quod deducunt ex leg. Barbarius, ff. de officio Prætoris, & ex 3. quæst. 7. Can. infamis.

Ratio dictæ doctrinę est, quia in omni Republica, tam Ecclesiastica, quàm sæculari, receptum est, vt putatiuo iudici ab ipsa Republica, aut à superioribus ipsius tribuatur iurisdictio, vt deducitur ex dicta lege, & ex dicto Canone, & non absque rationabili causa, ne in Republica communiter decepta circa iudicem, (vt facile potest contingere, præsertim ratione censuræ) magna sit perturbatio, si omnia acta illius nulla sint.

Duo ergo ad id requirunt DD. & deducunt ex dicta lege, & ex dicto Canone. Vnũ ex parte iudicis putatiui, nempè, quod habeat titu-

titulum coloratum, id est, quod à superiore, siue vero, siue putatiuo acceperit iurisdictionem, siue verè eam acceperit, & iam eam occultè amisserit, siue eam tantum apparenter acceperit ob impedimentum aliquod ocultum: alterum ex parte populi, nēpè, quod communi errore existimetur legitimus iudex.

Vndè acta à Vicario, seu Prouisore Episcopi mortuo Episcopo, huius morte communiter ignorata sunt valida. Et acta ab excommunicato, quamuis vitando, & etiam ab eo, cui excommunicatus, quamuis vitandus contulit iurisdictionem, si excommunicatio communiter ignoretur.

Addunt Enriquez, lib. 2. de pœnitentia, cap. 14. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 8. Sancius, Becanus, & Bonacin. non solum communem errorem sufficere, sed etiam loco communis erroris sufficere opinionem probabilem, qua probabiliter iudicetur habere iurisdictionem, vt quando quis opinionem probabilem amplectens, absoluit à reseruatis. Nos tamē quamuis id probabile iudicemus, existimamus non esse verum, quia absque firmo fundamento doctrina communis erroris extenditur ad opinionem probabilem, quando etiam oppositi est opinio probabilis, quia tunc non ita vrget necessitas tribuendi iurisdictionem, ac quando populus communi errore deceptus nequit damna vitare.

Nihilominus, quamuis iudex putatiuus validè iudicet, quia iudicat iurisdictione, quamuis non permanēte, sed transeunte pro singulis actibus sibi collata, illicitè tamen iudicat peccato vsurpationis iudicij, quia iudicat iurisdictione incommodis extorta, & non sibi omnino liberaliter donata, in quo iniuriam irrogat non ipsis iudicatis, quia eos iudicat iurisdictione in eos accepta, sed vero superiori, quia vi extorquet iurisdictionem ab illo medijs incommodis.

Difficult. III. Vtrùm Princeps tyrannice occupans Principatum, validè, & licitè iudicet?

SOTVS lib. 3. quæst. 4. art. 6. & plures alij Theologi, & Iuristæ, & Summistæ docent, eum inualidè iudicare; quia eius iudicium est à non iudice, quia non est verus Princeps, nec putatiuus, ac

ac proinde iudicare illicitè peccato vſurpationis iudicij.

Victoria verò, relectione de poteſtate ciuili, n. 27. Leſsius c. 29. dub. 9. Becan. q. 12. Valenc. Bañ. Arag. & Salon, docẽt, dictũ Principem validè iudicare, & meritò, quia in ea tyrannica oppreſſione Reipublicæ ne pereat defectu iudicij, ex conſenſu interpretatiuo Principis ſpoliati, aut Reipublicæ, ſi hæc nullum recognoſcit Principem, accipit iuriſdictionem ab ipſo, aut à Republica, ergo iudicium illius eſt validum, quia eſt iudicium habentis iuriſdictionem non permanentẽ, ſed pro ſingulis actibus, eo modo quo diximus de iudice putatiuo. Vndè es verus, iudex non permanenter, ſed tranſeũter, ſicut putatiuus, nõ quia ſit putatiuus, ſed quia eſt tyrannus, ne Reſpublica defectu iudicij pereat, ex quo cõſtat ad rationem aduerſariorum.

Noſtram autem concluſionem exiſtimamus veram, quamuis tyrannus ille non ſit in pacifica poſſeſsione, quia ei reſiſtitur, vel à verò Principe, vel à Republica, dum ſit in poſſeſsione, quia etiã tunc eſt eadem neceſsitas iudicij.

Inter Auctores tamen noſtræ ſententiæ controuerſia eſt, an tyrannus ille illicitè iudicet peccato vſurpationis iudicij, quia quibuſdam placet eum non illicitè iudicare, quia iudicat iuriſdictione recepta. Valenc. verò, Leſs. & Becan. placet illum illicitè iudicare peccato vſurpationis iudicij, & meritò, quia iudicat iuriſdictione incommodis extorta ſuppoſita iniuſta occupatione Principatus: quamuis hac ſuppoſita minus peccet iudicando, quàm non iudicando, ſicut qui detinet rem alienam, & ea vtitur peccat, ea re vtendo, ſi tamen vſus ſit ipſi rei vtilis minus peccat quam non vtendo. Vndè, qui ab eo tyranno iudicium petit, non peccat, quia tunc ei offert materiam minoris peccati.

Tyrannus autem ille nullam ſubditis irrogat iniuriam in iudicando, etiam ſententia capitis (ſicut diximus de iudice putatiuo) quia iudicat iuriſdictione in eos accepta, ſed tantum irrogat iniuriam legitimo Principi, aut Reipublicæ, ſi hæc nullum recognoſcit, quia à Republica, vel à Principe vi extorquet iuriſdictionem medijs incommodis futuris ex defectu iudicij.

Iudices tamen inferiores à tyranno conſtituti non ſolum validè ſicut tyrannus ipſe iudicant, ſed etiam licitè, quia iudicant iuriſdictione accepta à Republica, vel à Principe abſque extorſione alicui facta.

Difficult. IIII. Vtrùm ad iudicandum requiratur ſtatus gratiæ?

CONVENIVNT Catholici contra hæreticos ad validè iudicandum non requiri ſtatum gratiæ, quia hic nō requiritur ad habēdam iuriſdictionem, vt definitur in Concilio Conſtant. Seſ. 8. cap. 15. quæ ſufficit ad validè iudicandum, & ad iudicandū abſq; peccato vſurpationis iudicij, quādo vi nō extorquetur, ſed eſto iudex in ſtatu peccati validè iudicet, & etiam licitè abſque peccato vſurpationis iudicij. Supereſt difficultas, an aliunde iudicet illicitè, nempè, qnia indigne?

Alex. Alenſ. docet quemcumque iudicem peccare mortaliter iudicando in ſtatu peccati mortalis, quod indicare videtur Paulus ad Roman. 2. dum ait: *In quo alium iudicas te ipſum condemnans*. Et quoad iudicem Eccleſiaſticum idē docuerunt Sanct. Thom. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 2. querela 2. Paluda. quæſt. 3. Syluеſ. verbo *correptio*, §. 16. & indicari videtur in cap. vltimo de temporibus ordinationum, dum in eo Prælatus exiſtens in peccato mortali, dicitur ſuſpenſus quoad ſe. Et ratione videtur probari, quia iudicium iudicis Eccleſiaſtici eſt quædam ſpiritualis functio, ergo debet dignè, & ſanctè exerceri, ſicut confectio Sacramenti.

Sanct. Thom. verò, quæſt. 60. art. 2. ad 3. Caiet. Salon, & Aragon, Valenc, & Bonauent. diſp. 10. quæſt. 2. punct. 7. docent, nullum iudicem, adhuc Eccleſiaſticum peccare mortaliter ex eo quod iudicet in ſtatu peccati mortalis, & meritô, quia nullum iudicium, adhuc Eccleſiaſticum, quamuis hoc ſit functio ſpiritualis, eſt actio ſacra in ſe, quia nec confert gratiam, nec requirit conſecrationem in miniſtro, ergo nec requirit ſtatum gratiæ, vt rectè exerceatur.

Addimus contra Caiet. Sotum, & Valenciam, vt optimè Bañez, Salon, Aragon, & Bonacina, iudicem ex eo, nec peccare venialiter ob rationem dictam. Ex qua conſtat ad rationem pro aduerſarijs.

Paulus verò, vbi ſupra pro aduerſarijs adductus tantum ſignificat eum, qui in altero peccatum aliquod condemnat, eo ſuo iudicio ſeipſum ſimile peccatum habentem condemnare. Et in capit. illo vltimo de temporibus, ordinationum adducto pro iudice Eccleſiaſtico tantum eſt ſermo de ſuſpenſione ab vſu ordinis, ſaltem

ſaltem ſacerdotij non iuriſdictionis, de quo procedit hæc difficultas.

Difficult. V. Vtrùm iudex teneatur iudicare ſecundum leges?

SVPPONIMVS, Quòd quando lex aliqua in caſu aliquo particulari deficit, ſeu fit iniqua ob circuſtantiam aliquam occurrentem, tunc iudex, adhuc inferior non teneatur, imò non poſsit licitè ſecundum eam iudicare, ſed tunc poſsit ad arbitrium viri prudentis iudicare, quia cum deficiat lex deſinit obligare. Procedit ergo difficultas, quando lex non deficit.

Circa quam etiam ſupponimus Principem ex rationali cauſa, quamuis ex ea non deficiat lex, ſed maneat iuſta, poſſe in ea diſpenſare, nempè, mitigando pœnam legis, imò eam relaxando, & bona quæ alicui competunt ex diſpoſitione alicuius legis, adiudicando parti aduerſæ, quamuis ad diſpenſandum in lege ex qua quis acquiſiuit ius maior cauſa requiratur, nulla tamen cauſa rationabili exiſtente tenetur Princeps ſecundum ſuam legem iudicare, quia ea tenetur quoad vim directiuam.

His ſuppoſitis, punctum difficultatis eſt de iudice inferiori, an teneatur ſemper iudicare ſecundum legem non deficientem?

Bonacina diſput. 10. quæſt. 2. puncto 7. Farinacius, Menochius, Clauis Regia, & Reginaldus, quos Bonacina refert, docent, iudicem poſſe iudicare contra verba legis non deficientis, quoties ob circunſtantiam aliquam in caſu aliquo particulari prudenter præſumitur aliam eſſe mentem Legiſlatoris; quia ſcilicet Legiſlator caſum illum exciperet à rigore legis, ſi menti occurriſſet. Ratio huius videtur eſſe, quia mens Legiſlatoris præferenda eſt verbis.

Sanct. Thom. verò, q. 60. art. 5. & Vazq. 12. diſp. 172. num. 20. docent, iudicem inferiorem teneri iudicare ſecundum legem latam non deficientem, etiam in eo caſu, quem Legiſlator exciperet, ſi menti occurriſſet, & meritò, quia etiam in eo caſu lex manet iuſta, ergo ſeruãda eſt à iudice inferiore, quia nequit in lege diſpẽſare. Et ea eſt mẽs abſoluta legiſlatoris, quia ea tulit lgẽ etiã cõpræhẽdentẽ caſum illũ, etiã ſi alia fuiſſet mens illius ſi mẽti illius caſus occurriſſet, ex quo patet ad rationem pro aduerſarijs.

 Con-

Constat ergo, iudicem inferiorem non posse pœnam legis relaxare, nec mitigare, etiam si pars læsa remittat, & Principem causa rationabili existente posse, quamuis pars læsa non remittat.

Difficult. VI. Vtrùm iudex non procedens ad pœnam legis taxatam, aut eam remittens teneatur ad satisfactionem?

CONVENIVNT DD. quòd si parte læsa proclamāte iudex non procedat, aut remittat reo pœnam necessariam ad satisfactionem damni illati, ipsi parti læsæ teneatur ipse ad satisfactionem damni, quia iudex ratione sui officij tenetur ex iustitia commutatiua in fauorem suorum subditorum vnicuique ius suū tribuere. Tenetur autem non primò loco, sed secundò in defectum rei, quia hic, adhuc perseuerat debitor parti læsæ.

Est ergo difficultas de pœna, quæ lege assignata est alijs, quibus non est debita in satisfactionem damni, qualis est pœna assignata Fisco, & denuntiatori, an scilicet iudex eam remittens, aut ad eam non procedens teneatur ad satisfactionem ipsi Fisco, & denuntiatori.

Syluester, verbo *iudex*, 1. quæst. 11. & alij docent, teneri, quia iudex tenetur ex iustitia commutatiua ad eam imponendam.

Vazquez verò, 12. disput. 175. cap. 1. Bonacina dispu. 10. quæst. 2. puncto 7. & alij, docent, non teneri, & meritò, quia quāuis iudex teneatur ex iustitia commutatiua ad eam pœnam imponendam, sed non in fauorem personæ, cui assignata est ob cōmodum illius, sed in fauorem Reipublicæ, vt punitione vitentur incommoda, & damna, & ideo tenetur ad ea damna, si quæ ex ea omissione eueniant. Ex quo patet ad rationem aduersariorum.

Quod verum credimus, quamuis ille cui assignata est pœna, eam petat in iudicio, quia non est ei debita ante sententiam; & hæc non est debita ferri ob commodum ipsius, vt nuper dicebamus.

Diffi.

Difficult. VII. Vtrùm iudex poſsit ad mortem cōdemnare probatum iuridice nocentem, quem certo nouit innocentem?

CONVENIVNT DD. iudicem tunc teneri omnes vias inire quibus abſque ſcandalo poſsit innocentem liberare, adhuc ordine iudiciario prætermiſſo, nempè, aut impediendo accuſationem, aut occultè aperiendo carcerem, aut ſi iudex ſit inferior, & viderit profuturum remittendo cauſam ſuperiori, & induendo perſonam teſtis coram eo, quamuis ad id ſit neceſſarium exuere ad tempus perſonam iudicis.

Procedit ergo difficultas, quando nulla via poteſt dictum innocentem abſque ſcandalo liberare, quod præſertim continget, ſi pars aduerſa vrgeat.

Sanct. Thom. q. 67. art. 2 & ibidē Salon, Arag. & Turrian. Valenc. diſp. 5. q. 11. punct. 2. Tolet. lib. 5. cap. 56. Reginald. lib. 21. num. 3. Clauis Regia lib. 12. cap. 8. & Couarr. 1. variar. cap. 1. docent, iudicem poſſe, & teneri illum ad mortem condemnare, quia iudex non iudicat, vt priuata perſona, ſed vt publica, ergo non poteſt ſequi ſuam priuatam notitiam, ſed tenetur publicam, ſeu iuridicam media informatione habitam ſequi.

Adrianus, verò quodlibeto 6. art. 3. Leſs. c. 29. dub. 10. Laym. lib. 3. tract. 6. c. 2 Becan. circa q. 67. q. 1. Bonac. diſp. 10. q. 2. pūct. 2. Lyr. in c. 23 Exod. & Panormit. in c. *Paſtor*. 28. de officio & poteſt. iudicis delegati, docent, iudicē non poſſe illū ad mortē condemnare, & meritò, quia per ſe, & directè occidere innocentem eſt ita intrinſecè malū, non minus quam accedere ad nō ſuā vt ob nullum finē, adhuc ob commune bonum, ob liberandā ſcilicet ciuitatem, ab excidio tyranni petentis innocentē, vt occidatur, fieri poſsit, ſicut nec accedere ad non ſuam, ſed condemnare innocentē ad mortem, quamuis probatum iuridice, nocētem eſt per ſe, & directè occideres eum, qui verè eſt innocens, quia ex eo quod iuridice probatus ſit nocens, non deſinit eſſe innocens, ergo id eſt, ita intrinſecè malum, vt ob nullum finem fieri poſsit à iudice, ſicut nec iudex poteſt ſua ſententia præcipere, aut cogere, vt quis accedat ad non ſuam, quam certò cognoſcit non eſſe illius, quamuis iuridice ſit probata illius. Et idem ob rationem

dictam dicendum est de mutilatione membri, vt aduertunt Less. & Bonacina.

Et ob eandem rationem minister iustitiæ conscius innocentiæ condemnati nequit talem sententiam exequi, quamuis lata sit secundum allegata & probata, & à iudice ignorante innocentiam condemnati.

Iudex ergo, siue inferior, siue suppremus, nequit eam sententiam proferre, quãuis ob id esset ab officio, & Principatu expellendus, imò, & occidendus. Et idem est de ministro, vt nequeat eam exequi. Sed an iudex, & eius minister teneantur relinquere officium, vt vitetur scandalum, quod inde ortum fuerit, aut oriũdum sit, si ad id sit necessarium relinquere officium, definiendum est ex principijs generalibus de scãdolo, de quo nos egimus tractat. de charit. disp. 10.

Ad rationem ergo, aduersariorum concedimus iudicem, vt personam publicam iudicare, & semper teneri sequi notitiam publicã, quando ipsi non constat eã esse contra veritatem: at quando ipsi constat, non potest eam sequi, si sit circa materiam ita intrisecè malam, vt circa eam Respublica, nec habeat, nec possit conferre auctoritatem, qualis est directa occisio, & etiam mutilatio membri verè innocentis.

Difficul. VIII. Vtrùm in causis ciuilibus, & in criminalibus leuioribus iudex conscius veritatis possit contra eam ferre sententiam secundum allegata, & probata?

CONVENIVNT DD. iudicem, ne ferat sententiam re ipsa iniustam contra veritatem, cuius est conscius, teneri ex officio omni industria curare, vt falsitas detegatur, vel vt processus impediatur, quod si non possit saltem absque graui suo incommodo procedit proposita dif.

Circa quam Ang. verbo *iudicare*, q. 7. Panorm. & Lyr. docet, non posse, quia ad iudicandum non minus requiritur veritas quã iurisdictio, ergo sicut quando re ipsa deficit iurisdictio, & id certo

to

to cognoscitur à iudice putatiuo, quamuis probetur ei, non deficere iurisdictionem, nequit iudicare, ita etiam nō poterit, si re ipsa deficiat veritas, quamuis oppositum iuridice probetur.

Lessius verò, cap. 29. dub. 10. Bonac. disp. 10. q. 2. punct. 2. Becan. & communiter DD. docent posse, & meritò, quia ex vna parte maioris momenti est bono communi, quod forma publici iudicij seruetur, quàm quod ea spreta contra iuridicam probationem, non condemnetur quis, aut ad spoliationem bonorum, aut exilium, aut ad aliam pœnam corporalem leuem, aut ad infamiam, & ex altera parte Respublica, aut qui ei præest ob bonum commune, potest de prædictis directè, & per se disponere, sicut quilibet potest ex rationabili causa de suis bonis, & de sua fama disponere, & seipsum corporaliter punire, ergo iudex auctoritate à Republica, aut ab eo qui ei præest, etiam poterit eū, quem iuxta iuridicam probationem inuenerit in eis condemnabilem condemnare, & consequenter etiam tenebitur si officium retineat. Ea tamen sententia in foro interiori non obligat reum, vt dicemus disp. 4. dif. 9. & idem est de ministro iustitiæ, vt eam exequi possit, & consequenter ad id tenetur, iuxta cap. *Pastoralis*, de officio & potestate iudicis delegati.

Est ergo magnum discrimen inter causas ciuiles, & criminales leues ex vna parte, & inter criminales graues ex altera, ob quod non potest in his condemnare contra propriam scientiam, benè tamen in prioribus, quia scilicet ad directè auferendam vitam, aut membrum absque delicto, non habet Respublica auctoritatem, benè tamē ad auferenda bona fortunæ, & famę, & ad aliqualiter cruciandum corporaliter absque delicto, quamuis non absq; rationabili causa.

Ad rationem ergo, aduersariorū respondemus, quòd quāuis ex natura rei, seu iure naturali, non minus requiratur veritas, quā iurisdictio ad obligandum in foro interiori, ex lege tamen humana, quæ extat pro veritate iuridice probata, & non pro iurisdictione probata, non ita requiritur veritas re ipsa in dictis causis ciuilibus, & leuioribus criminalibus, sicut requiritur iurisdictio, quando contra veritatem est iuridica probatio, & iudex possit iudicare in foro exteriori, & exterius cogere.

Difficultas IX. Vtrùm iudex possit aliquem ex priuata scientia absque iuridica probatione, aut non auditum, condemnare?

SVPPONIMVS, In quo Doctores conueniunt, quòd quando Principi, aut Reipublicæ, aut alij intentatur malum, aliàs sufficiens ad occidendum aggressorem, quod nequeat aliter impediri, possit Princeps ex sola priuata sciẽtia, & absque citatione, & absque omnibus alijs solemnitatibus occidere, vel præcipere occidi auctorem illius mali, quia Princeps tunc non tam vtitur auctoritate publica iudicis ad puniendum, quã iure priuato defendẽdi se, aut Rempublicam sibi commissam, aut innocẽtem, & ob eandem rationem, id etiam posse iudicem inferiorem, docẽt Bañez, & Arag. q. 67. art. 2. imò idem etiam posse existimamus quẽlibet alium priuatum iure defendendi innocentem.

Hoc supposito, difficultas est, non quando agitur de euitando malo, sed de puniendo delicto.

Circa quã etiam supponimus, iudicem inferiorem nõ posse, adhuc causa rationabili existente sententiã, adhuc absolutoriã proferre absq; maioribus solemnitatibus, nẽpè, absq; probatione iuridica per testes, nec absq; citatione rei, vt audiatur, imò nec absque minoribus, nẽpè, absq, scriptura publica, nec absq, exhibitione termini ex leg. assignati, quia omnes maiores, & minores requirũtur ex leg. Principis, in quã iudex inferior, adhuc existente causa rationabili dispensare non potest.

Est ergo diff. de Principe, circa quam conueniunt DD. Principem ex rationabili causa posse absq; minoribus solẽnitatibus cõdẽnare, & absoluere, quia ex sola sua lege positiua requiruntur, in qua ipse potest ex rationabili causa validè, & licitè dispensare.

Superest ergo difficultas, ân Princeps possit absque solemnitatibus maioribus, nempè, ex sola propria scientia absque probatione iuridica per testes, & absque citatione rei.

Circa quam conueniunt communiter DD. posse Principem ex rationabili causa absque dictis duabus solemtitatibus, reum condemnare, quando ipsi Principi est notum delictum, & potest plenè probari, quia tunc non aufertur reo iusta defensio sui, quia tunc

tunc non poteſt ſe iuſtè defendere, quia vt ſupponimus delictum, poteſt ſufficienter probari, vt poſsit ob illud condemnari, imò ali quando iudicem inferiorem id poſſe abſque omni ſolemnitate ex voluntate Principis præſumpta, quando ſcilicet delictum eſt ipſi iudici notum, & publicè notorium, & expedit illud ſtatim punire, & ita aliquando latrones infragranti furto publico reperti, puniũ tur etiam à iudice inferiore abſque omni ſolemnitate.

Punctum ergo difficultatis eſt, quando delictum eſt ita occultum, vt non poſsit iuridice probari ſaltem plenè, ſcitur tamen à Principe, an ſcilicet tunc poſsit Princeps rationabili cauſa exiſtente condemnare delinquentem, abſque dictis duabus ſolemnitatibus.

Circa priorem ſolemnitatem, nempè, iuridicam probationē per teſtes Caietan. verbo, *homicidium*, Sotus lib. 5. q. 1. art. 3. Nauarr. cap. 25. num. 9. & Bonac. diſp. 10. q. 2. punct. 2. docent, non poſſe, quia ſententia eſt actus publicus, ſeu iuridicus, ergo ad eam iure naturali (in quo Princeps nequit diſpenſare) requiritur notitia publica, ſeu iuridica, vt effectui, nempè, ſententiæ commenſu retur cauſa, nempè notitia.

Couarr. verò 1. variar. cap. 1. Gutierr. lib. 2. Canon. quæſt. c. 29. numer. 17. Cyn. & Barthol. in leg. 1. C. *vt quæ deſſunt*, Alberic. in leg. illicitas, §. veritas, ff. de officio Præſidis. Felinus in c. Paſtoralis, §. quia verò, Layman. lib. 3. tract. 6. cap. 2 docent, poſſe, quod probabile exiſtimant, Leſsius lib. 2. cap. 29. dub. 11. & Becan. circa quæſtionem 67. q. 3. & 4. & meritò, quia quod ſententia proferatur ſecundum publicam, ſeu iuridicam probationē per teſtes tãtũ, requiritur lege, ſeu diſpoſitione humana Principis in qua ipſe diſpenſare poteſt, & non requiritur iure naturali, ſeu ex natura rei, quia ex natura rei, ſola notitia iudicis ſufficit, quia hæc ſola ſufficit ad iuſtè iudicandum, & notitia iudicis ad id tantum eſt neceſſaria, ergo ex cauſa rationabili Princeps quando ipſi eſt nota veritas poteſt abſque probatione: imò & contrà eam condemnare, & multò melius abſoluere.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus, ſententiam eſſe actum publicum, ſeu iuridicum; ad eam tamen ſufficere ex natura rei ſcientiam iudicis: tum quia quamuis ſcientia iudicis ſit priuata, non tamen eſt neceſſarium omnes cauſas commenſuratas eſſe effectui, vt patet in cauſis naturalibus, quæ aliquando cũ ſupernaturali concurrunt ad ſupernaturalem effectum. Tum etiã

quia scientia propria iudicis, aut Principis, qui rempublicam gubernat, est, & dicitur publica, non minus quam sententia ab ipso prolata, quia sicut sententia dicitur publica, seu iuridica, quia est actus procedens ex iurisdictione publica, ita etiam notitia propria iudicis, qua Rempublicam gubernat, est, & dicitur publica; quia ex natura rei, & quantum est ex se, habet valorem, & sufficientiam ad iustè iudicandum.

Circa posteriorem solemnitatem; nempè, circa citationem rei, vt audiatur, conueniunt Doctores, quòd quando delictum est publicè notorium, aut factum in conspectu Principis, coram legitimis testibus, posset Princeps rationabili causa existente, absque citatione condemnare reum, quia in quouis casu ex dictis non requiritur ex natura rei citatio, sed tantum ex lege humana, in qua Princeps dispensare potest, quia tunc nulla superest reo spes probabilis se defendēdi, ad quod solū iure naturali, seu ex natura rei, requiritur citatio. Et idem ob eandem rationem potest Princeps quando delictum est ita plenè probatum, aut probabile, vt non appareat spes aliqua probabilis defensionis Rei, quia quando apperet est iure naturali necessaria, & fiet Reo iniuria contra illud, si non citetur.

Est ergo difficultas, quando delictum scitur à Principe, & nequit plenè probari, an tunc ex rationabili causa posit reus à Principe condemnari.

Circa quam, quamuis Doctores communiter doceant, quòd non posit, præsertim quando nullus est testis, quia tunc videtur fieri contra ius naturale defensionis rei, quia videtur, quòd tunc posit iustè se defendere negando delictum, quia occultum est, & improbabile. Couarr. tamen, & reliqui pro nostra sententia, circa publicam probationem per testes citati, significant, Principem posse, & non immerito, quia tunc ex natura rei, citatio est omnino inutilis Reo, quia Princeps ex natura rei sua lege per dispensationem ablata, existente ad id causa rationabili, potest sua propria scientia, quamuis reus neget, imò & contra publicam probationem absoluere, & condemnare, quia reus, nec licita negatione, nec publica probatione, in fauorem ipsius potest se defendere, quia neutra earum potest impedire propriam scientiam Principis, quæ ex natura rei sufficit ad iustè iudicandum.

Ad rationem ergo aduersariorum, constat, tunc non fieri contra ius naturale defensionis rei, eum non citando, quando Principi notum est delictum, quamuis reus possit illud licitè negare (de quo postea) quia nullo, nec licita negatione potest se defendere.

Difficul. X. Quot modis possit iudex procedere contra criminosos?

CONVENIVNT Communiter Doctores, quòd sit triplex modus, seu via procedendi criminaliter, seu ad punitionem, & vindictam. Alia accusationis; alia denunciationis; & alia inquisitionis. Via accusationis procedit iudex, quando procedit ad instantiam actoris, qui cum onere, aut sponsione probandi detulit ipsi vt iudici crimen alicuius, faciens se partem. Via denunciationis procedit, quando procedit excitatus simplici delatione criminis sibi, vt iudici facta ab eo, qui non suscipit onus probandi, quia non vult se facere partem: & hæc denunciatio dicitur iudicialis, à distinctione denunciationis, quæ fit iudici vt patri, ne crimen, quòd intenditur committatur, vel ne iteretur, quæ dicitur paterna, & charitatiua, & Euangelica. Via inquisitionis, prout distincta à præcedentibus, procedit, quando nullo crimen iuridice deferente, ex seipso ex officio procedit ad inquirendum crimen illud, aut auctorem illius, aut vtrumque.

2. Hæ tamen tres viæ criminaliter procedendi, ad duas reduci possunt, vt aduertunt Iulius Clarus libro 5. §. practica criminalis, quæst. 3. & Lessius capit. 29. dubio 12. Ex quibus, vna dicitur ad instantiam partis, & altera ex officio, seu per inquisitionem, tunc iudex dicitur procedere ad instantiam partis, quando ad instantiam eius, qui cum onere probandi detulit crimen, accipit informationem à testibus ab eo subministratis, & secundum eius probationes procedit, & ideo non dicitur inquirere. Tunc verò dicitur procedere ex officio, seu per inquisitionem, quando ex seipso, & non ad instantiam partis inquirit informationem, & procedit. Dicitur autem etiam procedere ex officio, seu per inqui-

inquisitionem, quando ad id excitatur enuntiatione, seu simplici querelà illius, qui non suscipit onus probandi, seu non fit pars, quia simplex delator, seu querelator, quamuis significet testes, eos tamen non producit, seu subministrat, sed ibi sistit, & ex tunc iudex incipit ex officio inquirere.

Obseruandum tamen est, ex Iulio Claro, vbi supra, generali consuetudine receptum esse, quod prædicti duo modi procedendi, nempè, *ad instantiam partis, & ex officio*, non se impediãt in eadem causa, seu quòd vnus non faciat cessare alterum, nec è contra, sed quòd ambo possint simul cõcurrere & misceri, & se inuicem iuuare.

Difficul. XI. Vtrùm ad inquisitionem generalem à testibus, debeat præcedere infamia?

INQVISITIO, Quæ est inuestigatio, aut criminis, aut criminosi, aut vtriusque est triplex. Alia omnino generalis, qua nulla mentione facta de particulari delicto, nec de particulari persona, inquiritur, vel à teste, vel per edictum, an sint crimina, & quę, & à quo sint commissa: alia est omnino specialis, qua inquiritur de certa persona, & de certo crimine. Alia est mixta ex particulari, & ex generali, qua inquiritur, vel de certo crimine nulla nominata persona, vel de certa persona, nullo nominato crimine.

Infamia (quam existimamus non distingui à clamorosa insinuatione) est rumor de aliquo crimine à probris, & honestis viris ortus, & inter multos sparsus, idest, per maiorem partem populi, aut collegij, aut viciniæ, in qua ad minus habitant decem, quamuis non sit iudicialiter probatus talis.

Conueniunt ergo DD. quòd vt iudex capiat informationem à testibus ad instantiam partis, etiam contra delinquentes in particulari, non prærequiratur infamia, sed sufficiat accusatio (id est, delatio criminis cum onere probandi) quia nullo iure amplius requiritur, quia non iure positiuo, quia vtrumque tam Canonicum, quàm ciuile contentum est accusatione, nec iure naturali, quia si ea acceptio informationis sit cũ iactura famæ rei, id ipse sibi imputet, quia deliquit, quia iudex ea accusatione prudenter excitatur

ad

ad procedendum contra illum, vt sic prospiciat bono communi, ne inualescant delinquentes: nec requiritur inscriptio qua accusator se obliget ad probandum sub pœna talionis, quia hęc inscriptio iam abijt indesuetudinem, adhuc in foro Ecclesiastico, nisi forsam in eo pro vna, aut altera causa, in quibus standum est consuetudini.

Superest tamen difficultas, quid requiratur, & sufficiat ad inquirendas informationes ex officio. Et nũc est difficultas quid requiratur, & sufficiat ad inquirendas informationes inquisitione generali.

Alciatus in cap. 1. de officio ordinarij, existimat ad eam generalem inquisitionem prærequiri infamiam delinquentis, quia absque præuia infamia videtur inutilis generalis inquisitio, quia ea infamia non existente, nullus testis interrogatus tenetur, imò non potest delinquentem manifestare.

Sotus verò, 5. de iust. q. 6. art. 2. Nauarr. cap. 18. nu. 38. Lessius cap. 29. dub. 13. Bonacin. punct. 5. & communiter DD. docent, & meritò, ad dictam generalem inquisitionem nullam prærequiri infamiam, quod indicatur in cap. *perniciosam*, de officio iudicis ordinarij; & in c. *Romana*, de censibus, in 6. & in leg. *congruit*, ff. de officio Præsidis. Et id maximè confirmat Prælatorũ, & iudicum consuetudo, qui absque eo quòd infamia aliqua, aut aliud præuium ad eorum notitiã peruenerit, ex suo officio statutis temporibus inquisitione generali interrogant sibi subditos, vt sic communitates, & Rempublicam à criminibus purgent.

Quod etiam ratione constat, quia inquisitio generalis sic facta nullo iure est prohibita, quia non positiuo, quia nullum extat, nec naturali, quia ea inquisitione nulli fit iniuria, quia ex ea vt pote generali nullus fit suspectus.

Quomodo autem se debeat gerere testis sic generaliter interrogatus, dicimus disp. 3. de teste, dif. 3.

Diffi. XII. Vtrùm ad inquisitionem mixtam à testibus debeat præcedere infamia?

DIFFICVLTAS Hæc nõ procedit de ea mixta inquisitione qua inquiritur cõtra personam in particulari, quia de ea inquisitione idẽ est dicẽdũ, ac de inquisitione omnino speciali, quia de vtraque quatenus est contra specialem, & determinatam personam

sonam, eodem modo loquūtur iura, & eadem est ratio: quia vtraque vt sic læditur fama illius contra quem inquiritur. Sed tantum procedit de ea inquisitione mixta, qua inquiritur de crimine in particulari, nulla persona in particulari nominata, vt contingit quando crimen est notorium, v. g. homicidium, & ignoratur Auctor.

Paludanus in 4. dist. 19. Adrian. quodlibeto 11 1. Caiet. q. 69. art. 1. & 2. & Sotus 5. de iust. q. 6. art. 2. docent, iudicem, nisi præcedat infamia Auctoris, aut æquiualens, non posse inquirere, *quis crimen illud commiserit*, (sed tantum circunstantias, & indicia) quia in cap. *cum oporteat*, & in cap. *inquisitionis*, & in cap. *qualiter & quando*, 1. & 2. de accusationibus, prohibetur ne procedatur ad inquisitionem, nisi de Auctore sit infamia.

Bañez verò, 22. quæst. 70. artic. 1. dub. 2. Molina tractat. 3. disput. 43. Lessius dub. 14. Layman. lib. 3. tractat. 6. cap. 2. & Bonacin. quæst. 2. punct. 5. docent, iudicem absque infamia Auctoris, & absque æquiualente, ex sola notitia criminis, posse inquirere quis crimen illud commiserit, & meritò, quia sic in generali de persona inquirere, non est contra ius aliquod, quia non est contra ius naturale, quia nullius fama læditur: nec contra ius positiuum, quia nullum extat nisi prohibens inquisitionem contra personam in particulari, adhuc in capitulis adductis ab aduersarijs, (ex quo patet ad fundamentum eorum ex illis desumptum) & quamuis extitisset, iam tamen omnium iudicum praxi à Pontificibus, & Principibus tollerata fuisset abrogatum.

Vndè, cùm iudex id licitè possit, ad id tenetur, vt suo muneri satisfaciat, & id iudicibus sæcularibus nostri Regni ordinatur, lib. 1. tit. 17. leg. 3. & lib. 8. tit. 1. leg. 6.

Quod autem, tunc testis sic interrogatus possit, & teneatur deponere de criminoso occulto, cuius nulla præcessit infamia, nec æquiualens, dicimus disp. 3. de teste, diff. 3.

Diffic. XIII. Vtrùm ad inquisitionem specialem à testibus debeat præcedere infamia?

SVPPONIMVS, Quòd quando inquiritur ad cognoscenda impedimenta, aut defectus ad matrimonium, & ad electionē, quan-

quandò quis vult contrahere matrimonium, aut eligi, vel eligere posſit iudex ex ſeipſo abſque infamia, & abſque alio præuio inquirere defectus illius etiam omnino occultos, & teſtis imò & qui id intendit, eos tenetur manifeſtare, ſi non deſiſtat ab intento, ne Reſpublica nefarijs coniugijs, & prauis miniſtris repleatur.

Hoc ſuppoſito, difficultas tantum procedit de ſpeciali inquiſitione tendente ad punitionem criminis, an ſcilicet ed eam debeat præcedere infamia.

Circa quam conueniunt DD. quòd quãdo nulla præcedit accuſatio, aut denuntiatio iudicialis, aut querela, debeat ad dictam inquiſitionem præcedere infamia criminoſi, quia ſic inſtitutum eſt pro iudicibus Eccleſiaſticis, in cap. *cum oporteat*, & in cap. *inquiſitionis*, & in cap. *qualiter*, el 2. de accuſationibus, quod conſuetudine, & praxi extenſum eſt etiam ad iudices ſæculares: infamia tamen eſt prius plenè probanda iuridice, quam iudex procedat ad inquirendam veritatem, vt ſupponitur in cap. 2. de accuſationibus, in 6.

Addimus, in quo DD. communiter conueniunt, eſſe alia diſtincta ab infamia, quæ iudici ſufficiunt ad inchoandam inquiſitionem ſpecialem, quia ſaltem ſunt æquiualentia infamię. Ea autem ſunt. Primò, notorietas delicti patrati in conſpectu populi, quæ quid maius eſt quàm infamia. Secundò, notorietas delicti patrati in conſpectu iudicis, & aliorum, quibus poſsit delictum plenè probari, quę etiam eſt quid maius, quàm infamia. Tertiò, ſuſpicio communis populi, aut communitatis contra aliquem, quia hæc æquiualet clamoroſę inſinuationi, & infamiæ, hæc tamen ſuſpicio eſt prius iuridice probanda ſicut infamia. Quartò, abſque infamia ſufficit manifeſtatio criminoſi facta iudici generaliter inquirenti, etiam ſi teſtis illum reuelauerit iniuſtè, quia tunc eſt notorietas iuris, quę non eſt minor quàm infamia, imò & quam notorietas facti. Quintò, ſufficit manifeſtatio criminoſi incidenter ab ipſo criminoſo, vel à teſte, facta coram iudice iuridice procedente, quia ea etiam eſt notorietas iuris. Sextò, ſufficiunt plura indicia probabilia iudicialiter inuenta contra aliquem, quia ea pariunt quãdam iuris infamiam. Septimò, abſque infamia, imò etiam abſque æquiualente, ſufficit vehemens ſuſpicio ad inquirendum contra eos à quibus impendet graue aliquod damnũ, ſiue cómune, ſiue priuatũ, quãdo id eſt neceſſariũ ad illud impediẽdũ, vt ad

impe-

impediendum delictum in iudicio, & ad impediendum peccatũ hæresis, & peccatum homicidij, & furti grauis, & delictum læsæ Maiestatis, etiam postquam commissa sunt, imò & emendata, vt terrore punitionis, non crescant similes criminosi.

Est tamen difficultas, an ex sola simplici querela partis offensæ, aut ex sola simplici denuntiatione fiscalis, aut alicuius priuati, qui nollunt onus probandi suscipere, possit iudex absque infamia, & absque æquiualente à testibus inquirere contra crimonosos, quamuis ab eis non impendat damnum publicum, nec priuatum alicuius.

Sotus de tegendo secreto, memb. 2. q. 6. Nauarr. in rubrica de iudicijs, à num. 92. Salon controuers. 6. & Sayrus lib. 12. cap. 11. partem negatiuam tuentur, quæ videtur expressa in supradictis Iuribus, & ratione probatur: quia contra ius naturale est infamare inordinatè proximum, & eum scandalizare. Iudex autem, quando absque infamia, aut æquiualente inquirit contra proximum, eum inordinatè infamat, quia eius delictum aliàs occultum publicat, & etiam proximum scandalizat, quia eo delicto publicato prouocat ad peccandum eos quibus publicatur.

Bañez verò, q. 69. art. 2. Azor lib. 13. cap. 12. Lessius cap. 29. num. 147. Toletus lib. 5. cap. 56. Iulius Clarus lib. 5. q. 21. Bonacin. disp. 10. q. 2. punct. 6. partem affirmatiuam tuentur, & meritò, quia quamuis in supradictis Iuribus statutum sit, ne iudices præsertim Ecclesiastici, procedãt ad inquisitionem specialem tendentem ad punitionem absque præuia infamia criminosi, vel æquiualente, iã tamen pro casu prædictæ denũtiationis, & querelæ, id nequit non esse abrogatum praxi generali iudicum in toto Orbe, à Pontificibus, & Principibus nota, & tolerata, qui ex simplici querela, aut denuntiatione, inchoant dictam inquisitionem specialem, quia id tantum est statutum lege humana, quàm legislatores abrogare possunt, & sua tolerantia abrogant: & non est statutum lege diuina, quia de ea non constat, nec lege, seu iure naturali, quia ex natura rei, sufficit prudens suspicio in iudice, quæ est quid minus quàm simplex querela, seu denuntiatio.

Infamia ergo, aut æquiualens, prærequiritur iure humano ad inquirendum inquisitione speciali, tendente ad punitionem, solum quando non præcedit denuntiatio, aut querela iuridica; non verò quando hæc præcedit, quia hæc, vt diximus, iam sufficit, & conformiter iuri humano, quia ex hoc iure ad procedendum crimi-

criminaliter sufficit accusatio, & quia ex duobus, quæ accusatio includit, nempè, denũtiationem, & obligationem probandi. Hæc obligatio abijt in desuetudinem, ideo ex sola denuntiatione, aut querela, quæ manet in vsu absque onere, seu obligatione probandi sufficienter procedit iudex sicut olim ex accusatione.

Ita tamẽ ad dictam inquisitionem prærequiritur infamia, aut denuntiatio iuridica, vt non sufficiat, quòd duo, vel tres testes affirmẽt extraiudicialiter se vidisse delinquentẽ delinquere, nec tũc eorũ testificationes sunt recipiendæ, vt dicitur in dicto c. *inquisitionis*, ni si id iurent iudici, aliàs iuridice procedenti.

Ad fundamentum ergo, aduersariorum ex supradictis iuribus desumptum, respondemus, in eis ad dictam inquisitionem requiri infamiam praxi tamen, & consuetudine tolerata à Pontificibus, & Principibus ea iura moderante, etiam sufficere simplicem denũtiationem, aut querelam, sicut etiam olim sufficiebat accusatio ad criminaliter procedendum.

Et ad rationem negamus, quòd inordinate infametur is contra quẽ ex dicta denũtiatione, aut querela inquiritur, quia ex fundamento non leui vt pote ex denuntiatione iuridica inquiritur, & ex causa satis rationabili, nempè, vt Respublica sit tuta, & tranquila, ne inualescant delinquentes, si sciant non esse puniendos, nisi sit accusator, aut infamia: nec iudex sic inquirendo, & publicando delictum, scandalizat, seu prouocat ad peccandum, quia inquirit ad punitionem, quo potius terret populum à delinquendo quam ad id prouocet.

Difficult. XIIII. Quid requiratur, & sufficiat ad interrogandum iuridice reum?

SVPPONIMVS, Ea quæ diximus prærequiri, vt iudex excitetur ad procedendum contra aliquem accipiendo informationes à testibus contra illum, etiam prærequiri ad interrogandum reum, quia durius est veritatem extorquere à reo contra ipsum quam ab alio.

Hoc supposito diff. est, an amplius requiratur ad interrogandũ ipsum reum, quam ad interrogandum testes contra illum.

Circa quam conueniunt DD. primò, accusationem, qua reus accusatur nõ sufficere ad interrogãdum ipsum, quamuis sufficiat

ad interrogandum testes, quia cum accusatio non sit probatio cõtra illum, cogeretur reus esse primus testis contra seipsum, quòd est contra rationem, quia est nimis durum, & humanæ imbecillitati minus consentaneum.

Conueniunt secundò, quod præsupposita accusatione sufficiat, adhuc in causa capitis semiplena probatio, vel æquiualens, vt vniuersalis praxis, & consuetudo ostendit. Et quidem nullo iure amplius requiritur, quia non iure aliquo positiuo, quia nullum extat, nec iure naturali, quia non est contra rationem, quód ob bonum commune ne inualescant criminosi, præcipiatur reo, vt manifestet veritatem iuridice probatam, quamuis tantum semiplenè.

Conueniunt tertiò, quòd præsupposita accusatione, etiam prærequiratur semiplena probatio, vel æquiualens ad interrogandũ reum, ne reus cogatur esse primus testis contra seipsum.

Et ob easdem rationes, quando proceditur ex sola simplici denuntiatione, aut querela, non minus prærequiritur semiplena probatio habita, siue ex depositione ipsius denuntiantis, qui potest esse integer testis, si non suscipiat causam tanquam propriam, siue ex depositione alius testis omni exceptione maioris, aut aliquid semiplenæ probationi æquiualens, & ea etiam sufficit quod est verum, quamuis dicta depositio, seu testificatio sit solũ incidenter, & quasi à casu facta, quia ex vna parte non minus probat, quàm quæ fit ex proposito, & ex altera etiã sufficit ad excitandum iudicem, vt procedat.

Superest tamen difficultas, an infamia, aut æquiualens sufficiens ad inquirendum à testibus, etiam sufficiat ad interrogandũ reum.

Caiet. 2.2. q. 69. art. 2. Arag. Salon, & Valen. & Bonac. disp. 10. q. 3. punct. 2. docent, sufficere quod significari videtur in cap. 1. de accusationibus, in 6. & in alijs dum dicitur infamiam sufficere, vt iudex posit procedere.

Bañez verò, q. 70. art. 1. Azor. lib. 13. cap. 26. dub. 1. Lessius cap. 31. n. 15. & Gregor. Lopez, docent, non sufficere, & meritò, quia quando proceditur ad punitionem, nullus absque depositione vnius integri testis, aut absque æquiualẽte interrogari potest, quia cogi nequit, vt sit primus testis contra seipsum, sed infamia in criminalibus, aut non probat, quia non substituitur pro teste, sed pro accusatore, aut si probat, quia est indicium, sed non probat semiplenè, quia est indicium valdè remotum a patratione criminis,

minis, & valdè fallax, ergo sola infamia non sufficit absque alijs adminiculis, aut indicijs, cum quibus æquiualeat semiplenæ probationi.

Vndè quacumque via, seu modo ex supradictis procedat iudex ad punitionem, semper ad interrogandum reum prærequisita est semiplena probatio, aut æquiualens. Dicitur semiplena probatio, depositio vnius testis oculati, & iurati, & omni exceptione maioris: est autem semiplenæ probotioni æquiualens, aut vnum indicium manifestum, aut tot probabilia, quæ non minus cõuincant, quam vnus integer testis. Indicium autem dicitur manifestum, quod parit præsumptionem moraliter certam, vt quando nudus cum nuda inuenitur in eodem lecto, est indicium manifestum, quòd concubuerint. Illa verò dicuntur probabilia, quæ pariunt præsumptionem probabilem, vt quando solus Petrus minatus fuit Ioannem, & postea Ioannes inuenitur occisus, & etiam detectio criminosi facta à vulnerato moriente, & detectio facta à socio in crimine, & præter indicia manifesta, & probabilia, etiã sunt alia indicia leuia, quæ leuem tantum generant suspitionem.

In dictis autem capitulis adductis pro aduersarijs, tantum supponitur, quod ad interrogandum reum sit requisita infamia, quando proceditur via inquisitionis, non tamen supponitur, quod sufficiat.

Difficult. XV. Quando posit iudex per torturam cogere reum, vt fateatur veritatem?

CONVENIVNT Primò communiter DD. ad torquendum reum, vt fateatur veritatẽ, ea ad minus requiri, quæ ad eũ simpliciter interrogandum, quia quando torquetur, interrogatur, & durius. Vndè secundum nostram sententiam, reus absque semiplena probatione, aut æquiualente, quamuis infamatus sit nequit torqueri, sicut nec simpliciter interrogari.

Conueniunt secundò, ea quæ sufficiũt ad simpliciter interrogãdũ etiã sufficere ad eũ torquendũ si neget, & eius cõfessio sit necessaria adiustã punitionẽ, & aliàs grauitas delicti torturã patiatur & reus torqueri posit, quia tũc iudex habet potestatẽ ad eruendã veritatẽ à reo, & ad eã eruendam eget tortura, quia negat, & eius cõfessio est necessaria ad eũ iustè puniẽdũ. Vndè secũdũ nostrã sententiam, ad torquendum reũ sufficit semiplena probatio,

aut æquiualens, & secundum alteram sententiam sufficit infamia, aut æquiualens.

Addidimus. Primò. *si neget*, quia si confiteatur nequit torqueri, quia tortura non fit in pœnam, sed in subsidium probationis requisitæ ad iustam punitionem, & ob hãc rationem quamuis neget, si eius confessio non est necessaria, quia aliàs est conuictus, nequit torqueri, nisi prudẽter timeatur, quod iniustè appellabit: quia tũc eius confessio est necessaria, ne appellatione differatur iusta punitio, & ideo, Secũdò, addidimus, *si eius confessio est necessaria ad iustam punitionẽ* Tertiò, addidimus, *si grauitas delicti torturã patiatur*, quia solũ potest adhiberi pro delicto digno maiori pœna, quã sit ipsa tortura. Tandẽ quartò, addidimus, *& reus torqueri possit*, quia sunt plures à tortura exẽpti, nempè, Doctor, & illustris, & in dignitate constitutus, & eorum liberi, & miles, nisi in hæresi, & in crimine læsæ Maiestatis, & proditionis, & beneficiorũ, quia in his torqueri possunt. Et etiam mulier prægans nequit torqueri. Senex verò, & impubes torqueri possunt, sed non grauiter.

Difficult. XVI. Vtrùm iudex reum conuictum de vno crimine, eo ipso absque alio præuio possit de quocumque alio interrogare?

PALVDANVS In 4. dist. 19. q. 4. Syuest. verbo *inquisitio*, 1. q. 3. dicto 4. & Antoninus, docent, quòd possit, quia iudex etiam si prohibeatur interrogare de occultis, sed nõ ob ipsa peccata, sed ob peccatorem, ne qui est occultus interrogatione infametur, ergo vbi iam est diffamatus in vno crimine, potest absque damno infamiæ interrogari de alijs.

Caiet. verò, Bañez, Salon, & Aragon, q. 69. art. 2. Sot. lib. 5. q. 6. art. 2. Laym. lib. 3. tract. 6. c. 5. & Bonac. disp. 10. q. 2. punct. 5. docent, quòd non possit, & meritò, quia ad id requiritur aliquid præuium circa crimen, vt de eo interroget, nempè, aut infamia, aut semiplena probatio, aut aliud iuxta varias opiniones, ne criminosus, aut noua diffamatione infametur, si infamia, aut æquiualens nõ præcessit, aut ne reus cogatur esse primus testis contra seipsum, si non sit semiplena probatio, aut æquiualens.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, eam prohibitionem tantum esse ob peccatorem, aut ne nouiter infametur,

aut

aut ne cogatur esse primus testis contra seipsum, negamus tamen id posse fieri absq; eo quod reus cogatur esse primus testis contra seipsum super nouo crimine, quando absq, semiplena probatione interrogatur de eo, & id posse fieri absque nouo damno infamię, quando de nouo peccato occulto interrogatur.

Difficult. XVII. Vtrùm iudex reum de crimine conuictum eo ipso posit de complicibus interrogare?

CONVENIVNT DD. iudicem in nullo crimine posse de cõplice in particulari interrogare, qui infamia, aut alio sufficiẽti præuio non laboret, quia tunc inquiritur à reo, vt à teste contra particularem complicem, vt reum.

Est tamen difficultas, an posit in communi, seu in generali interrogare, an habeat complices.

Circa quam etiam conueniunt, quòd posit in crimine, quod est in damnum graue imminens communitati, aut innocenti, quã quis posit sine socio committi, quia ad sic in communi interrogãdum sufficit notorietas delicti nociui, vt sic interrogando, posit bono communi, aut innocentis prospicere, & etiã posse in crimine non nociuo, quando sua natura exigit complicem, imò etiã in eo quòd ex circunstantijs prudenter, præsumitur etiam factum fuisse à complice.

Est ergo, punctum difficultatis, an etiam posit in alijs criminibus, nec nociuis, nec exigentibus complicem, nec quæ prudenter præsumuntur etiam facta à complice.

Caiet. Sotus, Azor. Iulius Clarus, Nauarr. & Bonac. disput. 10. q. 2. punct. 5. num. 17. docent, quòd non posit, quia nullum ad id habet fundamentum.

Idem verò, Caiet. opusculo 17. respons. 5. Salon q. 69. art. 2. & alij, docent, quòd posit & meritò, quia id nullo iure est iudici prohibitum, quia non naturali, quia nulli fit iniuria, cum ea interrogatio, seu inquisitio sit generalis quoad personam, nec iure positiuo, quia nullum extat nisi prohibens interrogationem, seu inquisitionem contra personam in particulari, non contra personã in communi, præsertim ea inquisitione, quæ est mixta, quia crimẽ

est iam notum, & in eo crimine, vt supponimus, possunt esse complices, quod sufficit pro fundamento ad eam inquisitionem.

Sed quamuis iudex possit dictum reum de complicibus interrogare, nequit tamen eum ad id torquere, vt aduertit Salon, nisi quando constat, aut prudenter præsumitur negare veritatem, & quam fateri teneatur, quia tortura nequit irrogari, nisi quando in negatione prudenter præsumitur culpa.

Quod autem reus sic interrogatus, vt pote tanquam testis possit, & teneatur manifestare complicem occultum, dicimus disput. 3. diff. 3.

Difficult. XVIII. Vtrùm iudex ex notitia criminis, quam iniustè extorsit possit vlterius procecedere, vel ad puniendum, vel ad inquirendum?

SVPPONIMVS Iudicem multis modis posse iniustè extorquere crimen à reo, vel à teste, nempè, illud absque prærequisitis extorquendo, aut tortura, aut metu, aut deceptione fingendo se ex prærequisitis procedere, aut reo promittendo impunitatem absque æquiuocatione, quia omnibus dictis modis extorquet in rigore crimen à rationabiliter, saltem virtualiter inuitis. Addidimus, promittendo impunitatem, *absque æquiuocatione*, quia quando iudex iuridice procedens timet reum malè negaturum veritatem, potest licitè, & iustè ei impunitatem cũ æquiuocatione, aut cum restrictione mentali promittere, vt sic deceptus confiteatur veritatem, vt contra Layman. aduertunt Couarr. Regin. & Bonacin. disp. 10. q. 3. punct. 2. n. 9.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem Syluest. verbo *inquisitio*, 1. q. 3. Glos. in cap. 1. de accusationibus, in 6. docent, iudicẽ ex notitia criminis, quamuis iniustè extorta posse vlterius procedere, adhuc, ad punitionem, quod etiam docet Petrus Nauarr. lib. 2. cap. 3. n. 242. quoad iudices inferiores, & significari videtur in dict. cap. 1. de accusationibus, in 6. dum dicitur, quod semel confessus, quamuis absque præuia infamia interrogatus, potest condemnari, etiam si id post confessionem opponat.

Bañez verò, & Salon, q. 33. art. 8. Less. cap. 29. dub. 18. Sot. &

& Nauarr. docent, & meritò, iudicem ex notitia iniustè extorta non posse vlterius procedere, quod significatur in cap. *qualiter*, el 1. de accusationibus, & ratione probatur, quia ea notitia non est iuridica, vt pote extorta absque iurisdictione, quia est contra ordinem iuris ad quod non est in iudice iurisdictio, ergo ex ea notitia nequit vlterius procedere, quando ad id requiritur, quòd sit iuridica, qualis requiritur, quod sit testificatio, & confessio ad cōdemnandum, & testificatio ad inquirendum.

In eo autem capit. 1. de accusationibus, in 6. pro aduersarijs adducto, tantum est sermo de confessione absque præuijs facta, non tamen iniustè extorta, quia reus sciens nullum esse præuium liberè confessus est nihil excipiens, quo verè iuri suo renuntiauit, ad recipiendam autem confessionem iuridicam, nullū requiritur præuium, quando liberè, & absque extorsione recipitur. Et in lege 10. tituli 17. Recopillationis ad vitandas dilationes statuitur pro iudicibus sæcularibus nostri Regni, quòd si fuerit processum absque solemnitate iuris, & eius defectus non fuerit ante litem conclusam obiectus, processus factus habeatur validus, & consequenter iuridicus, & ideo tunc possunt iudices, & tenentur procedere ad sententiam, si nondum est lata, vel ad executionem, si iam lata est.

Difficult. XIX. Vtrùm iudex teneatur ad restitutionem damni illati, quia non seruat ordinem iuris in iudicando?

CONVENIVNT DD. ad restitutionem teneri, quia non seruando ordinem iuris statutum in fauorem rei, dat causam iniustam, & iniuriosam reo damni ipsi illati, qui autem causam iniustam damni dat, damnum iniustè fecisse videtur, ac proinde tenetur ad satisfactionem, seu restitutionem illius.

Obseruandum tamen est, vt optimè Less. c. 29. dub. 18. Bona. disp. 10. q. 2. pun. 6. Sot. & Nauar. si ipsi iudici, aut alij suppetebāt rationes, quibus de facto reus erat iustè dānādus, si nō dānaretur iniustè, excusatur ab obligatione restitutionis, quia tunc iudex nō fuit causa noui damni, sed tantum eiusdem, quod aliàs ipsi reo inferendum erat, vel ab ipso iudice, vel ab alio, in quo reo nullum fit damnum, quoad substantiam, sed tantum, quoad

modum, quia scilicet fit, aut ea via, aut ab eo á quo nequit iustè fieri, sicut etiam excusatur ab obligatione restituendi, qui iniustè incendit segetes alienas, quæ aliàs erant absque iniustitia perituræ, vel inundatione, vel defectu pluuiæ. Et sicut etiam excusatur, qui iniustè occidit hominem statim moriturum, vel vi morbi, vel iusta sententia.

Iudicem autem non arbitrum posse in iudicando sequi opinionem probabilem, imò alienam contra propriam, diximus tractat. de bonitate, & malitia, disp. 4. diff. 21. quod est verum quamuis aliena opinio sit minus probabilis. Addimus, *non arbitrum*, quia iudicem arbitrum teneri in iudicando sequi propriam opinionem, diximus tract. de charit. disp. 9. dif. 6.

Difficult. XX. Vtrùm ministri iudicum possint & consequenter teneantur exequi iniustam sententiam?

DIFFICVLTAS Hæc procedit non solum de sententia iniusta secundum allegata, & probata, sed etiam de sententia re ipsa iniusta, iusta tamen secundum allegata, & probata in eis causis, in quibus iudex nequit eã licitè proferre, vt in causa sanguinis secũdũ nostram sententiã, quia in alijs causis, in quibus iudex eã potest licitè ferre, vt in ciuilibus, etiã minister poterit eã exequi.

Circa difficultatem ergo, cõueniunt DD. sententiam in suis verbis continentem manifestam iniustitiam, vt si condemnetur Paulus, quia est Christianus, non posse exequi á ministro, quia eã exequi esset cooperari manifestæ iniustitiæ.

Est ergo difficultas 1. an quando sententia in sua externa forma non continet manifestam iniustitiã, est tamen iniusta, vel quia excedit culpam, vel quia culpa non est sufficienter probata, vel quia re ipsa est iniusta quamuis iusta secundum allegata, & probata in eis causis, in quibus iudex nequit eam licitè ferre, & id constat ministro, an scilicet tunc possit eam exequi.

Non desunt, qui existiment posse quia in c. *Pastoralis*, de officio iudicis delegati definitur, quòd executor teneatur sententiã exequi, quamuis sciat esse iniustam.

Suarez verò, de censuris, disp. 3. sect. 15. & communiter DD. docent,

docent, non posse, & meritò, quia etiam tunc cooperatur manifestæ iniustitiæ.

In cap. autem *Pastoralis*, tantum est sermo de sententia re ipsa iniusta, iusta tamen secundum allegata, & probata in eis causis, in quibus iudex potest eã proferre, de quo diximus dif. 7. & 8.

Secundò est difficultas, an minister iustitiæ possit exequi sententiam, quando est dubius, an sit iusta, vel iniusta.

Circa quam conueniunt cõmuniter DD. quòd possit, & consequenter, quod teneatur, & meritò, quia in dubio præsumendum est pro superiore si prudens sit, quia dubiũ, quãuis rationabile sit deponi potest, & debet ob prudentiã superioris. Vndè conclusio hæc limitanda videtur, vt sit vera, quando dubiũ deponi potest, & deponitur, quia iudex, quia eã tulit cẽsetur prudens, & probus, aut aliter, quia si non deponitur, sed perseuerat, quamuis irrationabiliter non poterit exequi sententiam illam, iuxta ea quæ diximus tract. de bonitate, & malitia, disp. 4 dif. 12.

Difficult. XXI. Vtrùm licitum sit iudici aliquid à litigantibus accipere?

CONVENIVNT Primò DD. iudicem, siue sæcularem, siue Ecclesiasticum, siue ordinarium, siue delegatum, posse aliquid pro stipendio à litigantibus accipere, quia ex vna parte exerciciũ iudicandi est pretio æstimabile, & ex altera id nullo iure est prohibitum, Quod est verum quando iudici non est aliunde pretium iustum assignatum, vel à Republica, vel ab alio, quia si sit non potest, sicut nec potest aliquid vltra stipẽdiũ iustum accipere. Vndè, iudex Ecclesiasticus habẽs beneficiũ, cui annexa est iurisdictio nõ potest quidquã pro iudicando accipere, quia loco stipendij accipit fructus beneficij, quod verũ credimus, adhuc quãdo beneficiũ est tenue nõ sufficiens ad sustentationẽ, quia qui illud sciens accepit cesisse videtur æqualitati stipendij & esse minore contentus.

Hoc ergo supposito dif. est, an sit licitũ stipẽdiũ vltra iustũ, vel vltra illud, quo cõtẽtus fuit, munus aliquod à litigãtib⁹ accipere.

Circa quam etiam conueniunt 2. DD. licitum esse iudici tam Ecclesiastico, quàm laico, tam ordinario, quàm delegato accipere à litigantibus munera ad esum & potum pertinentia (quæ etiã dicũtur *esculenta, & poculenta*, & nomine communi, *xenia* dicũtur, quia eorum munerum acceptio nullo iure prohibita est, im-

permissa est iure Canonico in cap. *statutum*, §. insuper, de rescriptis, in 6. & iure ciuili, in l. *solent*, de offic. Proconsulis, & in l. *plebis cita*, de officio Præsidis, quòd Farinacius p. 3. crimin. q. 111. art. 13. nu. 337. id extendit, quamuis eorum acceptio fiat pro gratia, vel iustitia, in Curia Romana, apud Sedē Apostolicā. Permittitur autem eorum munerum acceptio, quia solent in parua quantitate dari, & ideo non solent animum iudicis corrumpere.

Conueniunt tertiò DD. nulli iudici licitum esse accipere alia munera, quæ *sportulæ* dicuntur, quia id prohibitum est iudici Ecclesiastico, in cap. *cum ab omni*, de vita & honest. Clericorum, & in dicto cap. *statutum*. Et iudici laico iure ciuili, in Authent. de iudicibus, §. Ne autem, collat. 6. tantum permittitur accipere à singulis litigantibus duos aureos in principio litis, & alios duos in fine, quando lis excedit centum aureos.

Sed quamuis dicta munerum acceptio prohibita sit nihilominus, vt aduertunt Clauis Regia, lib. 12. cap. 13. num. 15. & Bonacin. vbi infra, id non tollit posse licitè ea munera accipi, vbi id sit legitima consuetudine introductum; quia quodcumque ius humanum potest consuetudine contraria abrogari.

Addimus à Gregorio XIII. in Bulla ab ipso edita, anno 1574. mense Nouembri, specialiter sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Romano Pontifici reseruatæ, & sub alijs pœnis prohiberi dationem, & acceptionem munerum, & eorum pactionem, & promissionem, & acceptationem illius pro impetranda gratia, vel iustitia, siue pro se, siue pro alio facta apud Sedem Apostolicam in Curia Pontificia, & etiam collationem auxilij, vel consilij, vel fauoris ad aliquam actionem prohibitā, ex dictis. Et quia ea particula, *pro*, quādo dicitur pro gratia, vel iustitia, denotat munus datum tanquam pretium, non censetur prohibita datio muneris liberaliter facta, nec acceptio illius, de qua re agit Bonacina disp. 10. q. 2. puncto 8.

Circa expensas, quas aliquando iudex efficit, dum extra domicilium proficiscitur, conueniunt DD. iudicem laicū posse eas accipere, quia eas efficit in vtilitatem aliorum, & eas aliunde non habet: iudicem verò Ecclesiasticum proprietarium non posse, dum non exit à propria Diœcesi; quia ipse eas aliunde habet ex fructibus Beneficij, cui est annexa iurisdictio, & idem est de Ordinario iudicante loco proprietarij: posse tamen non habita ratione expensarum, quas domi fecisset, quando accedit ad consecrandam

dam aliquam Ecclesiam, iuxta cap. *cùm sit Romana*, de symonia, quia laborat in vtilitatem aliorum labore extraordinario, & non debito ex vi Beneficij. Sed an iudex Ecclesiasticus delegatus posit? Sub controuersia est, circa quam existimamus non posse, sicut nec Ordinarium, cuius vicem gerit. Azor cap. 23. excipit delegatum Papæ, vt posit ex cap. *statutum*, de rescriptis, in 6.

In visitatione tamen Ecclesiarũ, conceditur visitantibus, quòd posint etiam in pecunia accipere expensas necessarias ad victũ, in cap. *fœlicis* 3. de censibus, & exactionibus, in 6. ita tamen vt si aliud receperint, illud intra mensem in duplum restituant, quãuis eis fiat remissio, qui si Episcopi sint, interdicuntur ipso facto ab ingressu Ecclesiæ; & si inferiores sint, suspenduntur ab officio, & Beneficio, quousque in duplum restituant.

Quæ in hac disputatione dicta sunt de iudice, suo modo applicanda sunt Assessori, vt iudicet pro iudice, cui assidet, & ei indicet quid iuris sit in causa quam iudicat. Qui non potest stipendiũ sui laboris à litigantibus accipere, sed tantum à iudice, cui assidet. Qua autem opinione posit iudex vti in sententia ferenda diximus, de bonit. & malit. disp. 4. diffi. 21.

DISPVTATIO SECVNDA.

de accusatore, & denuntiatore.

Difficultas I. Quid sit accusatio, & denuntiatio?

ACCVSATIO Est, *delatio criminis facta iudici, vt iudici ad vindictam publicam, cum onere probandi.* Denuntiatio verò iuridica, seu iudicialis, de qua disputamus, est, *delatio criminis facta iudici, vt iudici ad vindictam publicam absque onere probandi.* Vndè accusatio, & denuntiatio iuridica, differunt tanquam includens, & inclusum. Vtraque autem differt à denuntiatione Euangelica, seu fraterna, seu paterna, quia hæc fit iudici, non vt iudici, sed vt patri, quia hac intenditur bonum priuatum fratris denuntiati, cui Prælatus vt pater prospicit. Accusatio verò, & denũtiatio iuridica, fiunt iudici vt iudici, quia eis intẽditur

permissa est iure Canonico in cap. *statutum*, §. insuper, de rescriptis, in 6. & iure ciuili, in l. *solent*, de offic. Proconsulis, & in l. *plebiscita*, de officio Præsidis, quòd Farinacius p. 3. crimin. q. 111. art. 13. nu. 337. id extendit, quamuis eorum acceptio fiat pro gratia, vel iustitia, in Curia Romana, apud Sedē Apostolicā. Permittitur autem eorum munerum acceptio, quia solent in parua quantitate dari, & ideo non solent animum iudicis corrumpere.

Conueniunt tertiò DD. nulli iudici licitum esse accipere alia munera, quæ *sportulæ* dicuntur, quia id prohibitum est iudici Ecclesiastico, in cap. *cum ab omni*, de vita & honest. Clericorum, & in dicto cap. *statutum*. Et iudici laico iure ciuili, in Authent. de iudicibus, §. Ne autem, collat. 6. tantum permittitur accipere à singulis litigantibus duos aureos in principio litis, & alios duos in fine, quando lis excedit centum aureos.

Sed quamuis dicta munerum acceptio prohibita sit nihilominus, vt aduertunt Clauis Regia, lib. 12. cap. 13. num. 15. & Bonacin. vbi infra, id non tollit posse licitè ea munera accipi, vbi id sit legitima consuetudine introductum; quia quodcumque ius humanum potest consuetudine contraria abrogari.

Addimus à Gregorio XIII. in Bulla ab ipso edita, anno 1574. mense Nouembri, specialiter sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Romano Pontifici reseruatæ, & sub alijs pœnis prohiberi dationem, & acceptionem munerum, & eorum pactionem, & promissionem, & acceptationem illius pro impetranda gratia, vel iustitia, siue pro se, siue pro alio facta apud Sedem Apostolicam in Curia Pontificia, & etiam collationem auxilij, vel consilij, vel fauoris ad aliquam actionem prohibitā, ex dictis. Et quia ea particula, *pro*, quādo dicitur pro gratia, vel iustitia, denotat munus datum tanquam pretium, non censetur prohibita datio muneris liberaliter facta, nec acceptio illius, de qua re agit Bonacina disp. 10. q. 2. puncto 8.

Circa expensas, quas aliquando iudex efficit, dum extra domicilium proficiscitur, conueniunt DD. iudicem laicū posse eas accipere, quia eas efficit in vtilitatem aliorum, & eas aliunde non habet: iudicem verò Ecclesiasticum proprietarium non posse, dum non exit à propria Diœcesi; quia ipse eas aliunde habet ex fructibus Beneficij, cui est annexa iurisdictio, & idem est de Ordinario iudicante loco proprietarij: posse tamen non habita ratione expensarum, quas domi fecisset, quando accedit ad consecrandam

dam aliquam Ecclesiam, iuxta cap. *cùm sit Romana*, de symonia, quia laborat in vtilitatem aliorum labore extraordinario, & non debito ex vi Beneficij. Sed an iudex Ecclesiasticus delegatus possit? Sub controuersia est, circa quam existimamus non posse, sicut nec Ordinarium, cuius vicem gerit. Azor cap. 23. excipit delegatum Papæ, vt possit ex cap. *statutum*, de rescriptis, in 6.

In visitatione tamen Ecclesiarũ, conceditur visitantibus, quòd possint etiam in pecunia accipere expensas necessarias ad victũ, in cap. *fælicis* 3. de censibus, & exactionibus, in 6. ita tamen vt si aliud receperint, illud intra mensem in duplum restituant, quãuis eis fiat remissio, qui si Episcopi sint, interdicuntur ipso facto ab ingressu Ecclesiæ; & si inferiores sint, suspenduntur ab officio, & Beneficio, quousque in duplum restituant.

Quæ in hac disputatione dicta sunt de iudice, suo modo applicanda sunt Assessori, vt iudicet pro iudice, cui assidet, & ei indicet quid iuris sit in causa quam iudicat. Qui non potest stipendiũ sui laboris à litigantibus accipere, sed tantum à iudice, cui assidet. Qua autem opinione possit iudex vti in sententia ferenda diximus, de bonit. & malit. disp. 4. diffi. 21.

DISPVTATIO SECVNDA.

de accusatore, & denuntiatore.

Difficultas I. Quid sit accusatio, & denuntiatio?

ACCVSATIO Est, *delatio criminis facta iudici, vt iudici ad vindictam publicam, cum onere probandi*. Denuntiatio verò iuridica, seu iudicialis, de qua disputamus, est, *delatio criminis facta iudici, vt iudici ad vindictam publicam absque onerè probandi*. Vndè accusatio, & denuntiatio iuridica, differunt tanquam includens, & inclusum. Vtraque autem differt à denuntiatione Euangelica, seu fraterna, seu paterna, quia hæc fit iudici, non vt iudici, sed vt patri, quia hac intenditur bonum priuatum fratris denuntiati, cui Prælatus vt pater prospicit. Accusatio verò, & denũtiatio iuridica, fiunt iudici vt iudici, quia eis intẽditur

tur bonum commune, & ius priuatorum, cui iudex vt iudex prospicit.

Obseruandum est, quòd quamuis ex vtroque iure Ecclesiastico, videlicet & laico, requiratur, quòd accusatio fiat in scriptis, saltem in causis grauibus: iam tamen ex consuetudine, cuius mentionem facit Iulius Clarus lib. 5. q. 12. sufficit quòd scribatur à Notario; & quòd quamuis etiam ex vtroque dicto iure ad accusationem, requiratur inscriptio ad pœnam talionis. Iam tamen abijt in desuetudinem, adhuc in foro Ecclesiastico, nisi forsan in hoc foro pro vna aut altera causa: imò & obligatio probandi est iam parum in vsu, & consequenter rigorosa accusatio, & ideo eius loco subrogatur simplex denuntiatio iudicialis, præsertim illius, qui suscipit causam tanquam propriam: standum tamen est consuetudini Prouinciarum, & Tribunalium.

Difficult. II. Vtrùm non tantum denuntiatio iudicialis sit licita, sed etiam accusatio?

CIRCA Denuntiationem iudicialem conueniunt DD. eam de quocumque crimine posse esse licitam, quia nullo iure prohibetur, nec positiuo, quia non extat; nec naturali, quia in ea denuntiatione nulla apparet turpitudo: imò est maximè expediens bono communi, vt non inualescant criminosi.

Circa accusationem non desunt, qui existiment nulli priuato esse licitam, (nisi de homicidio hæredi ipsius occisi) quia id videtur prohibitum iure diuino, Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

DD. tamen communiter docent, accusationē posse esse licitā etiam de injuria nobis facta, vt constat ex praxi totius Ecclesiæ, imò & totius Orbis. Et id ratione constat, quia nullo iure est prohibita, quia non iure naturali: quia nulla apparet turpitudo in eo quòd quis seruatis seruandis, adhuc tanquam pars deferat iudici crimen petens ab eo vindictam, & punitionem, quam iudex potest infligere; id enim nulli virtuti opponitur. Nec prohibetur iure diuino, quia nullibi extat prohibitio diuina deferendi crimina iudici ex zelo iustitiæ, quamuis in Euangelio nobis consulatur proprias iniurias quoad odium, & animi liborem dimittere, & forsan etiam quoad priuatam vindictam, & ad summum,

mum,etiam nobis consulatur, eas quoad vindictam iudicialem dimittere,non tamen prohibemur accusare: & multo minus prohibemur,imò nec nobis consulitur peccata bono communi, aut innocenti nociua non accusare. Ex quo patet ad fundamentum aduersariorum desumptum,ex illo Matth.6. Nec accusatio prohibetur iure humano, imò vtroque tam Ecclesiastico, quàm laico accusatio approbatur,& eius forma præscribitur.

Difficult. III. Quæ peccata liceat accusare,& iuridice denuntiare?

SVpponimus esse duo genera peccatorum, quia alia sunt, quæ tantum ipsi peccanti nocent vt odium. Et alia quæ etiam alijs nocent,vt furtum, & etiam peccatum inducens aliud ad peccandum: & quæcumque peccata ex dictis, posse dupliciter se habere,quia aut iam sunt emendata,aut sunt in procinctu,vt repetantur,vel vt nouiter fiant.

Hoc ergo supposito,conuenit DD. peccata publica posse ad iudicem deferri accusatione, vel denũtiatione,quia inducunt,seu prouocant alios ad peccãdum, quibus vt pote nocumentum patientibus potius est prospiciendum,quàm ipsi nocenti,seu prouocanti. Et ob eandem rationem idem docent DD. de peccatis etiã occultis,quæ nocẽt alijs,siue temporaliter,siue spiritualiter: hæc autem dicta sunt vera,quamuis peccator emendatus sit, quandiu non est obuiatum nocumento,aut scandalo, quia ignoratur emendatio,aut alij damno,quia ei nondum est satisfactum.

Prædicta autem doctrina,intelligenda est,quando depositione ipsius deferentis,vel alterius,vel alio sufficiente præuio,ex numeratis disput. 1. à diffi. 13. potest iudex excitari ad impediendum nocumentũ illud; aliàs frustra,& inutiliter,infamabitur peccator delatione iudici facta.

Est tamen difficultas de peccatis, quæ alijs non nocent. Et primò,de peccatis occultis,absque infamia, & absque alio æquiualente,& non emendatis, quibus nullus prouocatur ad peccandum, nec nocumentum aliud patitur.

Auila de censuris,2.p.cap.5.dist.4.dub.2. Corduba q.64. Gutierrez lib. Canon.qq.cap. 11. & Sylu.visitatio,n.6.docẽt,quòd nequeunt iuridicè deferri. Primò, quia iudex absque infamia, aut

aut alio æquiualente nequit excitari ad inquisitionem de illis, ergo frustra ei fiet delatio. Secundò, quia tunc iniustè infamatur criminosus, quia cùm sit occultus retinet suam famam, & ius ad illam.

Valencia verò, disp. 5. q. 12. punct. 1. Lessius cap. 30. nu. 12. & Nauarr. cap. 25. num. 33. docent, ea posse iuridicè deferri, & meritò, quia id nullo iure prohibetur: non naturali, quia id est maximè expediens bono communi, vt cæteri à peccando etiam occultè, arceantur, ergo id vnicuique licet ex natura rei, quia bonum commune præferendum est in iudicio impunitati, & famæ eius, qui ei se liberè exposuit, non minus quàm emendatio illius, quando ad eius emendationem est necessaria delatio: nec prohibetur iure positiuo; quia nullum extat, quia quamuis eo iure iudicibus ad eorum audaciam reprimendam prohibitum sit ex seipsis excitari ad specialiter inquirendum absque infamia, aut æquiualente, subditis tamen nullo iure prohibetur: occulta iudicibus reuelare, ad ea punienda, quando sic probari possunt, vt possint puniri, saltem aliqualiter vt possunt, Quando semiplenè probantut, adhuc sola delatione ipsius denuntiantis.

Ad priorem ergo rationem aduersariorum, respondemus in primis, ea non probari illicitam esse accusationem, quia ea sufficienter excitatur iudex, sed nec simplicem denuntiationem, aut querelam, quia ea absque infamia, & absque alio æquiualente excitari potest iudex, non obstante iure positiuo antiquo, quia consuetudine ei derogatum est, vt dicimus disp. 1. diffi. 13.

Et ad posteriorem negamus, quòd quando sic probari potest delictum vt possit puniri habeat peccator ius, vt non infametur in iudicio media delatione, quia ob bonũ commune illud amisit, quando deliquit, & consequenter tunc non infamatur iniustè; imò nec contra charitatẽ, quia damnum illud criminosi aliunde cõpensatur terrore alijs incusso, qui etiã ex charitate anteponi potest famæ, & impunitati eius qui libere deliquit, præsertim quòd contra charitatem nihil fit commissiue, nisi fiat ex odio.

Secũdò, est difficultas de peccatis, quæ omnino emẽdata sunt, etiã quoad damnũ, quãdo fuerint nociua, siue sint publica, siue nõ.

Syluest. verbo, correptio, q. 5. & alij, docent, non posse iuridicè deferri, quia tunc nullũ malũ superest impediendũ, ergo absq; rationabili causa negligitur impunitas peccatoris, & quãdo occulta

Valen-

Valencia verò, disp. 3. quæst. 10. & Azor lib. 13. cap. 19. in fine, docent, & meritò, posse iuridicè deferri, quamuis sint occulta (& id posse fieri absque iniustitia, docent Salon, & Lessius, & de peccatis publicis id docent communiter DD. & de peccato propriæ iniuriæ, nullus negat.) Ratio nostræ conclusionis est, quia quamuis nocumẽtum ex eis peccatis proueniens, si fuerunt nociua iam cessauerit, est tamen bono communi, maximè expediens, ea iuridicè deferre ad ea punienda, quando sic probari possunt, vt possint puniri, ne criminosi inualescant, cognoscentes ea peccata semel emendata, non posse iuridicè deferri. Ex quo constat ad rationem aduersariorum, nempè, tunc non negligi impunitatem peccatoris absque rationabili causa, nec eius famam, quando est occultus, quando scilicet delatio iuridica fit ob bonum commune, & non solum ad impediendum malum ex peccato proueniens, sed etiam ad puniendum peccatorem, vt timore pœnæ abstineant homines à delinquendo, quòd habet locũ, quamuis peccata sint omnino emendata, & occulta, si probari, & puniri possint.

Difficul. IIII. Vtrùm ante iudicialem delationem criminis debeat fieri secreta monitio?

DIFFICVLTAS Hæc tantum habet locum, quando crimen non est omnino emendatum, quia quando est omnino emendatum, non est necessarium, imò nec vtile, quòd præcedat secreta monitio.

Nomine autem iudicialis delationis, intelligimus accusationem, & simplicem delationẽ, quæ iam loco accusationis succedit. Durand. ergo in 4. dist. 19. q. 4. art. 1. Syluest. verbo, *accusatio*, pun. 3. Caiet. Adrian. Tolet. & Lorca, docent, debere præcedere, si sit prudens spes quòd ea monitione peccator emendabitur, & obuiabitur damno, si quod ex peccato supersit, vt si ea emẽdatio & obuiatio fiat nequeat peccatũ, iuridicè deferri. Ratio eorũ est, quia ad delationẽ Euangelicam, seu paternã, ex qua minus damni imminet peccatori, quã ex iudiciali debet præcedere, vt suauiori via, & cũ minori damno peccatoris ipse emendetur; ergo etiã ad iudicialẽ, vt cũ minori iactura peccatoris obuietur peccato, aliàs quando peccata sunt publica, fiet contra charitatem, & in occultis contra charitatem, & iustitiam.

Valen-

Valencia verò disp. 5. q. 12. punct. 1. Azor. 3. p. lib. 13. c. 3. dub. 3. Angles de correptione, art. 2. dif. 2. & Bonac. disp. 10. q. 3. pũcto 1. docent, & meritò, etiam quando peccata sunt occulta posse fieri delationem iudicialem, quamuis non præcedat monitio, quamuis ea monitione obuiandum esset peccato, & eius nocumẽto, & id probabile existimat Petr. Nauarr. lib. 2. c. 4. n. 257.

Et in primis, quòd id possit fieri absque iniustitia cõtra peccatorem, in quo nobiscum cõueniunt Petr. Nauarr. Salõ, & Less. probatur, quia licentia naturalis, quæ vnicuique inest ad iuridice deferendum peccatum, non solum est ob emendationem peccati, & ob obuiandum damno illius, sed etiam ob bonum Reipublicæ, nempè, ob punitionem iuridicam, quæ est maximè expediens Reipublicæ, ergo quamuis peccatum emendandum esset, & obuiãdum damno illius, secreta monitione, etiam superest alia legitima causa, vt absque iniustitia cõtra peccatorem fiat iuridica delatio absque præuia secreta monitione, nempè, vt pecatum commissum puniatur in terrorem, saltem aliorum.

Et quod id non sit contra charitatem probatur, quia punitio, & etiam infamia criminosi, maximè cõpensatur promotione boni communis proueniente ex delatione iuridica, quod absque læsione charitatis, & misericordiæ erga peccatorem anteponi potest impunitati, & famę ipsius, qui liberè deliquit: pręsertim quod non est peccatum aliquod commissionis contra charitatem, nisi fiat ex odio personæ.

Ex quo constat id non esse contra iustitiam, nec contra charitatem, & quamuis ad Euangelicam, seu paternam delationẽ, quę minus nociua est peccatori, quam iudicialis debeat ex iustitia, & ex charitate, vel ex misericordia pręmitti secreta monitio in peccatis occultis, & ex charitate, vel ex misericordia in publicis, vt si ea monitione emendandus sit peccator, nequit paterne denuntiare, non tamen debet præmitti ad denuntiationem iudicialẽ, quia hæc ordinatur ad publicam vindictam, seu punitionem, maximè expedientem Reipublicę, quæ ob hanc conuenientiam potest anteponi impunitati, & famæ peccatoris, paterna verò, seu Euãgelica tantum ordinatur ad emendationem peccatoris, & ideo quando hæc emendatio fieri potest secreta monitione absque infamia peccatoris apud superiorem, nequit saltem absque iniustitia ei deferri, ut apud ipsum infametur, sed tantum est secreto monẽdus.

Diffi.

Difficult. V. Vtrùm vt delictum posſit iuridice deferri requiratur, quod poſsit plenè probari?

SVPPONIMVS, Quòd quando peccatum non poteſt aliquomodo probari, nec adeſt præuiū aliquod ex enumeratis, diſp. 1. quo iudex poſsit ad procedendū excitari, nequeat peccatū ad iudicē deferri, quia tūc fruſtra infamabitur peccator, & quod poſſit ad iudicē deferri, ſi poſsit plenè probari, quia eo ipſo quod probatio peccati eſt plena, eſt ſufficiēs, & perfecta, ad plenā autem probationem, regulariter ſufficiunt duo teſtes omni exceptione maiores.

Hoc ergo ſuppoſito difficultas eſt, an ad delationem iuridicam peccati, ſufficiat minor probatio quam plena.

Circa quam exiſtimamus ad iuridicam delationem peccati ſufficere infamiam, vel aliud ei æquiualens, quo peccatum fit publicum, ſicut id etiam ſufficit iudici ad inquirendum ex ſe ipſo contra delinquentē, & ad iuridicā delationē peccati occulti (abſque publicitate iuris & facti) ex quo impendet aliquod malum ſpirituale, aut tēporale, quod diligētia iudicis poſsit impediri, & non ſuauiori modo ſufficere ſemiplenā probationē, imò & depoſitionē ſolius denūtiantis, quamuis non integri teſtis, quia tunc potius eſt proſpiciendum indemnitati eius, cui imminet damnum, quam famæ eius à quo imminet.

Punctū ergo dif. eſt, de peccatis occultis, ex quibus nō impendet alijs malū, aut ſi impēdet ei etiā poteſt ſuauiori modo occurri an ſcilicet ad eorū iuridicā delationem ſufficiat, quod poſsint ſemiplenè probari, ideſt, teſtimonio vnius tantum teſtis integri.

Circa quod, quamuis non pauci exiſtiment, ad id tunc requiri, quòd peccatum poſsit plena teſtium depoſitione probari. Nos tamen probabilius exiſtimamus, ad id ſufficere, quod poſsit ſemiplenè probari, vel ſola depoſitione denuntiantis (qui poteſt eſſe integer teſtis, quando non ſuſcipit cauſam, tanquam propriā) vel alterius integri teſtis, quia ea ſemiplena probatione poteſt perueniri vſq; ad punitionē peccati, quæ maximè expedit bono cōmuni Reipublicæ, quod præferendum eſt impunitati, & famæ peccatoris, qui liberè peccauit, & eis malis ſe liberè expoſuit, quod autem ſemiplena probatione poſsit ad punitionem perueniri, patet,

quia semiplena probatione perueniri potest ad conuincendũ reũ, quia potest iudex extorquere cõfessionem à reo, qua plenè conuincatur, imò ea sola semiplena probatione potest ex parte puniri (quamuis nõ integre) quod etiam maximè expedit Reipublicæ, & præferendum est impunitati, & famæ delinquentis.

Circa hanc difficultatem legendi sunt Azor. lib. 13. c. 31. dub. 8. Angles q. de rest. famæ, art. 1. Valenc. disp. 5. q. 12. Corduba q. 43. dub. 2. Less. c. 29. dub. 13. n. 111. & Bonac. in fin. tom. primi, qui ferè omnes cum alijs in prædictis nobis cum conueniunt.

Difficult. VI. Vtrùm iure naturali quamuis nullum existat superioris præceptum, nec edictum teneamur ad iuridice deferenda peccata aliqua?

CONVENIVNNT Communiter DD. quòd iure naturali teneamur denuntiatione ad iudicem deferre peccata, quæ cedunt in graue nocumentum spirituale, aut tẽporale, siue commune, vt dogmatizare, & coniuratio in proditionem Patriæ, siue particulare, vt furtum graue si nocumentum immineat, & possit à iudice impediri, & nõ aliter, & sit spes, quod impedietur à iudice, quia tunc id exigit, virtus misericordiæ. Et eadem est obligatio misericordiæ, quamuis peccata soli auctori ipsorum noceant, vt aduertit Valenc. punct. 3. q. 10.

At quando nocumentum, & peccatum iam cessauit, aut potest aliter impediri, quamuis sit peccatum hæresis, non tenemur iure naturali secluso præcepto positiuo superioris, illud denuntiare, exceptis Fiscalibus, qui ad id ratione sui officij ex iustitia tenentur ob solam publicam vtilitatem punitionis, quando delictũ probari potest saltem semiplenè.

Est tamẽ difficultas, an prædicta pecata nociua, quę iure naturali tenemur ad iudicem deferre aliquando etiam iure naturali teneamur illa ad iudicem rigorosa accusatione deferre.

Angel. verbo *accusatio*, Angles de correptione fraterna, art. 2. conclus. & Glos. 2. q. 6. Can. *qua propter*, docent, quod non teneamur, quamuis peccatum sit nociuũ bono communi; tùm, quia ad impediendum nocumentum illud sufficit denũtiatio simplex, tùm etiam, quia accusatio est nimis dura & periculosa accusanti, quia

quia se exponit periculo pœnæ si deficiat in probando.

Sanct. Tho. verò, q. 68. art. 1. & ibidē Caiet. Bañ. & Arag. Salon, & Valenc. disp. 5. q. 12. pun. 1. & Bonac. q. 3. pũ. 1. docent, nos aliquando teneri ad accusanda peccata bono communi directè nociua, & meritò, quia potest contingere, & quod ei damno communi, cui ex misericordia tenemur occurrere (si commodè possumus) non posit nisi accusatione obuiari, quia nostra delatio, siue iustè, siue iniustè nõ admittitur à iudice, nisi sub onere probãdi, & quod simus moraliter certi, quòd nõ deficiem' in probãdo, ergo tũc ad accusandũ tenemur iure naturali misericordiæ, cũ tunc accusatio sit facilis, & necessaria ad vitandum damnũ illud, ex quo patet ad vtramque partem rationis aduersariorum.

Et ob eandē rationē, vt aduertunt Sot. lib. 5. q. 5. art. 1. Bañ. Salõ. & Bona. idē dicendũ est quoad peccata priuatis grauiter nociua cõtra iustitiã, & vt insinuat Sot. idem dicendũ est, quoad alia peccata, quãuis solũ sint spiritualiter nociua priuatis, imò eãdem credimus esse obligationē accusandi peccata soli auctori nociua, quãdo accusatio est facilis, & absq; ea non vitabitur damnũ, quia iure naturali misericordiæ obligati sumus ad illud vitandum, si commodè possumus.

Diffi. VII. Quando obligemur ex edicto superioris ad deferenda iuridice peccata?

SVPPONIMVS Primò, quòd quãdo alias iure naturali tenemur peccata aliqua iuridice deferre, etiã teneamur posito superioris edicto (sub quo etiã cõpræhēdim' pręceptũ particulare) quia eo non aufertur obligatio iuris naturalis, & ei additur obligatio positiua. Vndè iuxta nostram sententiam, ex edicto superioris tenemur deferre quęcumq; peccata, ex quibus imminet graue nocumētũ etiam soli auctori, quando probari possunt, & nequeũt aliter impediri, quia iuxta nostram sententiam ad id tenemur iure naturali.

Supponimus secundò, quòd quando aliàs secluso edicto est illicitum deferre iuridice peccatum, nõ obligemur edicto ad illud deferendũ, quia tũc id edicto non præcipitur, nec præcipi potest.

Vndè in primis edicto non tenemur deferre peccatum in ordine ad punitionē, quãdo nõ potest semiplenè probari, nec in ordine ad cautionē nocumēti, quãdo nõ est aliquid præuiũ, ex quo

iudex posfit ad id excitari, quia tunc est illicitũ illud iuridice de ferre, imò tunc nõ obligamur edicto ad illud deferendũ superiori, vt patri, quando sub censura profertur edictum, vt aduertit Auila, 2. p. cap. 5. disp. 4. dub. 3. quia edictum sub censura prolatum dimanat à superiore, vt à iudice, non vt à patre, & ideo quando aliud non exprimitur, tantum præcipitur, vt ad superiorem tanquam ad iudicem deferatur.

Deinde secundò, ob supradictam rationem non obligamur edicto ad deferendum crimen, quod solum nouimus per confessionem, vt omnes conueniunt, quia deferendo illud magna irrogaretur iniuria Sacramento.

Tertiò, ob eandem rationem non obligamur edicto, quando sub secreto causa auxilij, vel consilij nouimus crimen, vt contra Sotum docent, communiter DD. quia oppositum est rationi, & humano conuictui dissonum, nisi delatio necessaria sit ad vitandũ damnum publicum, aut priuatum ex crimine imminens, quia tũc contra rationem esset seruare secretum, quamuis iuratum.

Est ergo dif. an edicto obligemur ad deferenda peccata, quæ licitè deferre possumus, & aliàs iure naturali non tenemur?

Sotus memb. 2 q. 6. docet, quòd non teneamur, quia superior nequit ad id edicto generali compellere, & inde infert nos non teneri deferre peccata omnino emendata, quamuis publica, in quo consentiunt Suar. Tolet. Arag. & Auila.

Bañez, q. 68. art. 1. Salon controuers. 2. reg. 3. & Nauarr. lib. 2. c. 4. docent, quòd teneamur, quia præceptum superioris quamuis generale, obligat ad id quod licite possumus.

Nos tamen existimamus, quod edicto iudicis Ecclesiastici nõ obligamur deferre crimina occulta, quamuis non emendata (etiã si licitè posfimus, quando probari possunt) benè tamen publica quamuis emendata. Ratio prioris partis est, quia quamuis licitè possumus peccata occulta iuridice deferre, si saltem semiplenè probari posfint, iudici tamẽ Ecclesiastico limitata est iurisdictio, vt edicto, seu præcepto generali nequeat peccata occulta extorquere, in cap. *qualiter & quando*, 1. de accusat. ergo eo edicto id non præcipit, nec præcipere potest. Ratio posterioris partis est, quia iudex Ecclesiasticus habet potestatem edicto extorquendi peccata publica, quamuis omnino emendata, quia ex vna parte nullibi est illi limitata, & ex altera expedit ea peccata punire in terrorem aliorum, ergo cum in edicto illa non excipiat absque

dubio

dubio ea præcipit sibi deferri. Ex quibus patet ad rationes primæ, & secundæ sententiæ, quatenus nobis aduersantur.

A peccatis occultis excipimus peccata hæresis, & solicitationis in confessione factę, à Sacerdote, & alia peccata ad Tribunal Sanctæ Inquisionis pertinentia, quæ quando edicto Inquisitorũ præcipiuntur deferri, deferenda sunt, quamuis sint occulta, quia quoad ea concessa est Inquisitoribus iurisdictio absque limitatione, Iudex autem ex vi sui officij habet iurisdictionem in crimina etiam occulta, & quamuis nulli nociua. Quod verum existimamus contra Sotum, & alios, quamuis dicta peccata sint emendata, vt aduertunt Azor. Suar, Bonacin. Diana, & Ioannes Sancius, quia delatio non tantum intenditur ab Inquisitoribus ob emendationem eorum, sed etiam ob punitionem in terrorem. Et generaliter credimus ea duo etiam intendi edictis aliorum iudicum Ecclesiasticorum. Et ob id diximus peccata publica, quamuis emendata esse ex vi edicti illorum deferenda, quia quamuis emendata, puniri possunt.

Circa peccatum hæresis obseruandum est, etiam secluso edicto Inquisitorum esse obligationem ex iure Canonico illud deferendi iuridice, vt constat ex Bulla 18. Innocentij Quarti, & ex Bulla 2. Nicolai Quinti, & ex Extrauagant. Gregorij IX. quæ incipit, *Excõmunicamus*, eo tamen iure nõ imponitur, non deferenti pœna aliqua, quam ipso facto incurrat. Edictis tamẽ Inquisitorum in Hispania imponitur excommunicatio ipso facto incurrenda.

Circa peccatum solicitationis, seu prouocationis, quæ fit fœminæ in confessione à Sacerdote ad actum mortalem venereum, siue fiat verbis, siue factis, obseruandum est, esse obligationem in Hispania deferẽdi illud Inquisitoribus ex Bulla Pij. IIII. & Pauli Quinti, & Clementis Octaui & ex edicto Inquisitorum Hispaniæ, si fiat in confessione, vel proximè ad ipsam, & in eo edicto additur prohibitio, qua confessarij prohibentur absoluere personam solicitatam, antequam deferat solicitationem Inquisitoribus. Et ex Bulla Gregorij XV. pro toto Orbe lata, quæ iam in Hispania est recepta, esse obligationem deferendi dictum peccatum Inquisitoribus, vel Ordinarijs in Prouincijs vbi non sunt Inquisitores. Et non solum peccatum solicitationis factæ in confessione, sed etiam immediatè ante, vel immediatè post, imò etiam factæ occasione, seu prætex-

tu confessionis, adhuc confessione non sequuta, & etiam factæ extra confessionem, si fiat in confessonario à Sacerdote simulante confessionem audire, & non solum peccatum solicitationis ad peccandum secum, sed etiam ad peccandum cum alia tertia persona: & ex eadem Bulla, non solum peccatum solicitationis, qua solicitatur fœmina, sed etiam qua solicitatur masculus. Dicitur autem solicitatio facta proximè, seu immediatè ad confessioně, siue ante, siue post, quando inter confessionem, & solicitationě, nec pœnitens, nec confessarius diuertitur ad aliud loquendum, vel faciendum. Sacerdos autem dicitur solicitare pœnitentem, quando sacerdos prouocat pœnitentem, non verò quando prouocatus à pœnitente, siue fœmina, siue masculo, consentit cum ipso.

Obseruandum est, quòd quando Inquisitores suis edictis præcipiunt denuntiationem sibi fieri, absque eo quod communicetur id cum aliquo, id intelligunt, quando denuntianti certo constat, peccatum in edicto contineri, quia quando ei non constat, optimè potest de eo confessarium interrogare, imò & virum doctum extra confessionem.

Addidimus supra in conclusione, *edicto iudicis Ecclesiastici nos non obligari deferre crimina occulta, quamuis non emendata*, quia non est à ratione alienum, quòd edicto iudicis laici, si aliquando publicatur, obligentur subditi ad ea peccata iuridice deferenda, si semiplenè probari possunt, quia iudicibus laicis non est limitata iurisdictio, quam aliàs habent ad extorquendũ crimina etiã emendata, quæ possunt iuridice probari, & sic probata puniri, vel aliqualiter, si tantum semiplenè probentur, vel integre, si plenè probentur.

Difficult. VIII. Quando excusemur ab obligatione deferendi iuridice peccata?

CONVENIVNT Communiter DD. primô, quando ipsi deferenti, aut suis imminet graue malum, ex eo quod deferat peccatum aliquod, excusari à delatione illius, nisi aliàs bonum commune exigat, quod fit, vt exigit, quando peccatũ est in detrimentum commune, vt dogmatizare, & nequit ei peccato alia via obuiari.

Et quia fœminæ in confessione solicitatę, quæ confessario solicitan-

licitanti consensit in actibus turpibus imminet damnum graue in fama, quia prudenter timeri potest confessarium in tribunali confessurum se actus inhonestos cum ea non repugnante habuisse, ideo plures DD. eam tũc probabiliter excusant à delatione peccati dictæ solicitationis. Et ob similem rationẽ etiam excusant à delatione hæresis eum qui fuit socius in eo crimine.

Secundò, conueniunt cõmuniter DD. parentes, & reliquos ascendentes, excusari à delatione peccati suorum descendentium & filios, & etiam reliquos descendentes à delatione peccati suorum ascendentium, & etiã excusari fratres, & fratrum filios, & reliquos consanguineos vsque ad quartum gradum inclusiuè: coniugem quoque, & socerum, & generum, & vitricum, & priuignũ (quod etiam ad personas eiusdem familiæ, quamuis non consanguineas, nec affines, extendunt Angelus, & Syluester, & Marcus Antonius) quia ob coniunctionem cum ipsis esset quodammodò seipsum deferre, quod est valdè durum, nisi quando peccatum est in detrimentum commune, & nequit ei peccato alia via obuiari, nisi delatione, quia in hoc casu, etiam filius tenetur tale crimen patris deferre, non alia peccata, imò Gutierrez cap. 11. num. 57. & Tostatus existimant, nec priuatam hæresim, quibus quoad hãc DD. communiter opponuntur.

Tertiò, conueniunt communiter DD. excusari à delatione peccati, eum qui illud tantum audiuit à personis leuibus, seu non fidedignis, quia qui sic illud nouit, non dicitur illud scire. Et quãdo præcipitur deferri eum, qui aliquid accepit excusare scientẽ à delatione, si qui illud accepit, accepit causa iustæ compensationis, quia tunc id præcipitur deferri ex falsa præsumptione iniustitiæ in accipiente. Et etiam excusari à delatione eum, qui prudenter credit delationem fore inutilem, vel malitia, vel negligentia iudicis, vel aliter, quia nemo obligatur ad inutile. Et ob eandem rationem excusari eum, qui non aliter scit peccatum, nisi quia illud audiuit ab eo, qui iam illud detulit, quia tunc eius delatio, seu testimonium nihil vtilitatis addit supra delationem eius à quo illud audiuit, quando autem excusetur, seu non obligetur, qui scit peccatum sub secreto diximus, difficult. 7.

(.?.)

Difficult. IX. Vtrùm edictum obliget pro statim deferre peccata absque licentia differendi delationem?

SVPPONIMVS, Quòd quando iure naturali obligamur ad delationem, vt contingit, quando est necessaria ad obuiandũ damno communi, vel alicuius tertij, pro eo tempore est facienda delatio, absque libertate differendi, quo est necessaria ad obuiandum dicto damno.

Hoc ergo supposito, difficultas est, pro quo tempore obliget edictum vi sua positiua absque licentia differendi.

2. Circa quam conueniunt DD. quòd quando in edicto præfigitur terminus, vt intra eum fiat delatio, v. g. intra sex dies: tunc delatio differri possit, vsque in finem termini præfixi, non vltra, quia ad id præfigitur terminus ille, vt vsque ad illum, & non vltra liceat differre delationem.

Dies autem pro termino in edicto assignati, sunt naturales viginti quatuor horarum, vt aduertunt Suar. de censuris, disp. 20. sect. 3. & Enriq. lib. 13. c. 18. & numerari debent à die, & hora publicationis edicti, vt aduertunt Paramus lib. 3. q. 5. & Suar. contra Enriq. & contra Bonac. disp. 6. punct. 1. §. 7. qui probabiliter existimant, non numerari à die publicationis, sed à sequenti die, eadẽ hora. Imò Abbas, & Clauis Regia, & Lazarius, addunt, quòd si vltimus dies termini præfixi incidat in diem festum, terminus præfixus differatur in sequentem diem non festum, quod probabile censet Bonac. vbi sup.

3. Quod si edictum indefinite promulgetur nullo præfixo termino, tunc pro statim incipit obligare, ita vt quam primùm commodè possit debeat fieri delatio, quia tunc nullum cõceditur spatiũ, intra quod liberum sit differre delationem, & consequenter existimamus, quod qui pro eo statim notabiliter elapso, non detulit incurrit censuram, si sub ea feratur, quamuis Paramus insinuet eam non incurri nisi transacto integro anno.

(.?.)

Diffi.

Difficult. X. Quanto tempore duret obligatio edicti?

SVPPONIMVS Obligationem deferendi, peccatum prouenientem ex iure naturali tandiù durare quandiù durat necessitas obuiandi mali, ob quod obuiandum, obligamur.

Hoc ergo supposito, difficultas tantum est de obligatione ex edicto proueniente; quanto scilicet tempore duret.

Circa quam Armilla, verbo, excommunicatio; 1.n.34. docet, obligationem edicti finiri finito termino præfixo, quod etiam insinuat Salon, quia ad id videtur præfigi terminus, vt scilicet vsq; ad eum tantum duret obligatio.

DD. tamen communiter docent, obligationem edicti non finiri finito termino præfixo, & meritò, qui à terminis non præfigitur ad finiendam obligationem, sed tantum ad finiendam libertatem, seu licentiam non deferendi peccatum.

Superest tamen difficultas, quanto tempore duret obligatio edicti post finitum terminum præfixum.

Circa quam existimamus, vt optimè Enriquez, Salon, Suar. & Auila 2. part. capit. 5. disput. 5. dubio 5. quod quando edictum promulgatur in particularibus visitationibus; siue in eo assignetur terminus, siue non, eius obligatio finitur finito tempore visitationis, quia tantum promulgatur ad effectum visitationis, & quod non finitur antea, quia non est vndè deducatur finiri antea.

Ex quo deducimus eum, qui ignorauit edictum per spatium termini assignati, teneri postea, quando sciat edictum si duret visitatio, quia tunc, adhuc durat obligatio edicti. Addũt Enriquez, Suarez, Alterius, & Bonacina, disput. 6. puncto 1. §17. terminũ assignatum inchoari à die notitiæ edicti, quod non videtur à ratione alienum, quia qui ignorauit edictum non videtur esse peioris conditionis, quoad terminum concessum. Et idem est de eo, qui post publicationem edicti incipit esse subditus illius, qui illud tulit, nempè, quod terminus assignatus incipiat illi à die, in quo fit subditus, vt aduertunt prædicti.

Quando verò edicta publicantur extra particulares visitationis, vt edicta, quæ singulis annis ferũtur ab Inquisitoribus, & ab Ordinarijs in oppidis tribunalis ordinarij, eorũ obligatio durat pro toto anno vsq; ad nouam publicationem (vt docent Suar. Salõ, &

Paramus,) siue in eo assignetur terminus, quia non assignatur ad finiendam obligationem, siue non assignetur, quia feruntur absq; termino, quia cum sint iudices ordinarij, semper habentes Tribunal absque dubio intendunt, quasi in visitatione perseuerare, & quòd sibi semper deferantur crimina. Id ergo quòd docet Enriquez; nempè, ea edicta non obligare pro toto anno: Sed edicta ordinariorum obligare tantum pro duobus aut tribus mensibus, (quod etiam docet Auila) & Inquisitorum pro longiori tempore, ob maius eorum territorium ad arbitrium viri prudentis, attenta magnitudine territorij, quia existimat ea edicta ferri tantum pro visitatione, ad quam videtur sufficere minus tempus, quàm integri anni: id ergo falsum credimus, & eius fundamentum, ob rationem à nobis adductam.

Addit Bonacina §. 9. eum qui non detulit intra terminum præfixum, totius incurrere excommunicationem in edicto impositam, quoties potest commode deferre, & non defert: immerito tamen; & contra communem sententiam, quia quamuis multoties peccet contra edictum, toties videlicet, quoties moraliter discontinuatur omissio delationis; excommunicatio tamen semel tantum incurritur, quoties violatio præcepti, ob quam imponitur est materialiter vna, quamuis ob discontinuationem aduertentiæ, aut alius requisiri ad malitiam peccati, discontinuetur moraliter, seu in esse peccati, sicut etiam excommunicatio imposita ob fornicationem, semel tantum incurritur, quoties fornicatio est vna tantum materialiter, seu physicè, quamuis moraliter, seu in esse peccati sit duplex, vt contingit quando in medio fornicationis deficit aduertentia requisita.

Difficult. XI. Vtrùm, quando indicitur vt omnes conueniant ad audiendum edictum, aut concionem omnes obligentur?

CONVENIVNT DD. omnes rationabiliter impeditos, vel pro custodia domus, vel pro ætate, vel alio rationabili impedimento deobligari, seu excusari, quia id potest benignè præsumi de intentione superiorum; addit tamen Enriquez, satis esse aliquos de familia conuenire, vt reliquis edictum referant: quod

quod nos libenter admittimus in oppidis populosis, quia in eis non videtur amplius præcipi.

Addunt Enriquez, Salon, & Paramus, quòd si ob magnitudinē populi edictum pluries legatur, siue in eodem, siue in diuersis tēplis, sufficiet semel edictū audire, quia eo contētus erit superior.

Addit Salon, Religiosos non teneri exire ex conuentu, vt audiant edicta, siue Inquisitorum, siue aliorum iudicum Apostolicorum, quamuis illis superiorum, vt obtinuit consuetudo.

Difficult. XII. Vtrùm priuatus qui ex edicto tenetur deferre crimina, & non defert, teneatur ad satisfactionem damni secuti, aut non reparati ob omissionem delationis?

SVPPONIMVS, Eum qui tantū tenetur iure naturali ad deferendū crimē, v.g. furtū, vel factū, vel quod prudēter timetur faciendū, & non defert, non teneri ad restitutionē damni, quāuis impediendū, aut reparandū esset, si fieret delatio, quia ad id non tenetur ex iustitia, sed tantum ex misericordia, vel ex charitate.

Hoc supposito, difficultas tantū est de eo, qui ex edicto tenetur ad deferendum crimen, v.g. furtum.

Nauar. cap. 17. n. 134. Salon q. 7. art. 1. controuers. 3. & Auila 2. p. cap. 5. disp. 4. dub. 3. docent, teneri ad restitutionem damni secuti, aut non reparati ob omissionem delationis præceptæ edicto, quia superior eo dicto applicat delationem subditi illi, qui ea eget, & ei tribuit ius iustitiæ ad illam; sicut quando edicto præcipit exhiberi scripturam propriam in fauorem alicuius ei tribuit ius iustitiæ ad illam; ergo subditus cui præcipitur, tenetur ex iustitia commutatiua ad deferendum peccatum, sicut & ad exhibendam propriam scripturam, & consequenter ad recompensationē damni secuti, aut non reparati ob omissionem delationis, sicut & dominus scripturæ ad compensationem damni secuti, aut non reparati ob missionem exhibitionis suæ scripturæ.

Bañez verò, q. 70. art. 1. dub. 3. docet, non teneri, & idē à fortiori sentiunt Molina disp. 83. & Bonacina disp. 10. q. 3. punct. 3.

dum

dum id docent de teste, qui iussus testificari non testificatur, & meritò, quia priuatus homo edicto superioris, non obligatur ex iustitia commutatiua ad deferendum, quia superior suo edicto non tribuit ius iustitiæ in delationem faciendam à priuato: tùm quia id non intendit, sed tantùm præcipere, quia hoc sufficit: tū etiam, quia non potest, vt optimè Bañez, & Lessius, cap. 30. in fine; quia superior non potest dare ius iustitiæ in functiones liberas alterius, nisi ipsemet suo pacto, aut promissione, quamuis admitteremus quòd possit dare in res externas, vt in scripturam, & in alias res, quia de eis possit disponere, quando subest rationabilis causa, præsertim per sententiam condemnatoriam.

Ex quo constat ad rationem aduersariorum, & etiam constat disparitas inter delationem, quæ est functio libera, & inter scripturam, quæ est res externa; ob quam quãuis à superiore potuerit appropriari scriptura, non tamē delatio: imò difficile iudicamus dominum scripturæ, qui eam hæreditauit, aut propria pecunia confici fecit, teneri ex iustitia ratione edicti ad eam exhibendam: tū, quia nullus superior id intendit, quia sufficit id præcipere intuitu misericordiæ vt subueniatur proximo, cuius ius in scriptura aliena continetur: tum etiam, quia difficile est, quòd iudex Principe inferior ius illud, possit edicto, absque sententia condemnatoria concedere.

Difficul. XIII. Vtrùm officialis non deferens crimen, teneatur ad restitutionem damni?

PLVRES Sunt in Republica ministri iustitiæ, vt custodes ciuitatis, & stagnorum, & vinearum, & hortorum, qui ex vi sui officij tenentur ex iustitia commutatiua res sibi creditas indemnes præstare, & consequenter ad restitutionem damni ob eorum negligentiam, & omissionem secuti, aut non reparati. Et custodes itinerum, qui ex vi sui officij tenentur ex iustitia commutatiua ad recipienda vectigalia, & consequenter ad restitutionem eorum, quæ ob negligentiam ipsorum non soluuntur, si iusta sint; & insuper omnes prædicti ex vi sui officij, tenentur ex iustitia deferre crimina, circa res sibi creditas.

Est tamen difficultas, an officialis qui non defert crimina, quæ ex suo officio tenetur deferre, teneatur ad satisfactionem, seu resti-

restitutionem pœnæ, qua criminosus damnaretur, si delatus fuisset faciendam ei, cui applicanda erat.

Salon, & Aragon, q. 68. art. 1. Nauarr. lib. 3. cap. 4. Angelus, Molina, Azor, & alij, docent teneri, quia ex iustitia commutatiua, tenetur ad eam delationem faciendam, ergo etiam ad restitutionem lucri cessantis, quod ex ea delatione, si fieret, eueniret.

Nauarr. verò, cap. 25. num. 34. Vazquez 1. 2. disp. 175. cap. 1. Lessius cap. 13. dub. 10. Moure part. 4. cap. 8. §. 1. Bonacina disp. 10. q. 3. punct. 1. num. 8. Syluest. Couarr. Cordub. & Filliucius, docent, non teneri, & meritò: quia officialis quamuis ex iustitia commutatiua, teneatur ad crimina deferenda, non tamen ob commodum alicuius ad eum locupletandum, sed ob bonum Reipublicæ, vt criminosi puniantur, & alij terreantur; ergo non tenetur ad restitutionem lucri cessantis, ex omissione deferendi, quia non tenetur deferre ob illud lucrum.

Et ob eandem rationem, vt optimè Lessius, Fiscalis non deferens violatorem legis, non tenetur ad compensandum Fisco emolumentum pœnæ, quia scilicet non constituitur Fiscalis, vt prospiciat emolumentis Fisci, vt mulctis ditescat, sed ob bonum commune, vt legum violatores puniantur.

Diffi. XIIII. Vtrùm pactum, & iuramentum non deferendi iuridicè sit licitum, & obligans?

CONVENIVNT Primò DD. quòd quando delatio est sub præcepto, siue naturali, siue positiuo pactũ, & iuramẽtũ de nõ deferendo, est illicitũ, quia est de peccando, & nullã inducit obligationẽ, quia ad peccandum nullus potest obligari. Vndè pactũ & iuramentum non deferendi peccatũ, siue præteritũ, siue futurum, quòd non est emendandum, nisi delatione, est illicitũ, & nullum, seu non obligãs, quia tunc delatio est sub præcepto saltẽ naturali.

Conueniunt secundò, quòd quando delatio non est sub præcepto aliquo pactum, & iuramentum de non deferendo, est licitum & validum; quia materia quæ potest absque peccato fieri, est apta, non solum ad pactum, sed etiam ad iuramentum, quia ad reuerentiam Dei spectat, vt id quòd per ipsum iuratur, verificetur, si potest absque peccato, ne fiat testis falsi, quamuis oppositum sit melius: & ideo iuramentum contrahendi matrimonium

est

est licitum & validum, quamuis celebratus, cui matrimonium op ponitur sit perfectior.

Vndè pactum, & iuramentum non deferendi peccatum, sæpè est licitum & validum, quia sæpè omisio delationis est licita, vt supra diximus.

Diffi. XV. Vtrùm poßit quis validè accipere pecuniam, vel æquiualens, ne deferat iuridice crimen.

CONVENIVNT DD. partẽ lęsã vltra satisfactionẽ sibi debitã ratione iniurię, posse validè, imò & licitè aliquid accipere, ne querelã offerat, quia cedere iuri ad eã offerẽdã orto ex iniuria accepta, nõ solũ è criminoso, qui læsit tẽporaliter vtile, sed etiam est communi iudicio æstimabile pretio, ergo potest validè, & absque iniustitia, & absq; obligatione restitutionis aliquid accipere: imò potest licitè, quia potest non esse contra virtutẽ aliquã.

Est tamen difficultas de eo, qui non est iniuriatus, an posit aliquid accipere ne deferat crimen.

Salon q. 68 art. 1. controuers. 2. docet, non posse licitè, nec validè, seu absque obligatione restitutionis, & quia ius deferendi crimen est quid spirituale, & quia est quædam gratia: & id specialiter probat de eo, qui deferre tenetur, quia nihil accipi potest pro omittendo id, quòd quis facere tenetur.

Nauarr. verò, cap. 25. n. 34. & Moure p. 1. cap. 19. §. 4. docent, non solum eũ qui nõ tenetur deferre, sed etiã eũ qui tenetur, posse validè, & absq; obligatione restitutionis aliquid accipere, ne deferat, & meritò, quia ea omisio delationis est vtilis tẽporaliter criminoso; ergo absq; iustitia cõtra eũ potest pretio æstimari, & ipsi vendi ab eo qui poterat non omittere, quãuis iste teneatur non omittere, quia ex eo quòd teneatur nõ desinit esse vtilis criminoso, etiã si ex eo sit, seu fiat illicita ei, qui tenetur deferre, quia non est illicita contra iustitiam fauentem criminoso, sed aliunde.

Et ad rationẽ Salonis, negamus ius illud esse spirituale, quãuis sit ad id quòd potest esse actus virtutis, & quod ipsi iuri cedere, sit ita materia gratiæ, & donationis, vt nequeat esse materia venditionis, etiam ab eo qui tenetur deferre, quia pro omittendo etiã id quòd quis facere tenetur, potest aliquid validè accipi absque iniu-

iniustitia; quãuis pro omittẽdo quòd facere tenetur nequeat licitè, seu absq; peccato contra eã virtutẽ, cõtra quã est omissio illa.

Difficult. XVI. Quot modis contingat accusatorem peccare?

NOMINE Accusatoris, etiam comprehendimus iuridicè, delatorem, absque onere probandi, & absque inscriptione ad pœnam talionis.

Conueniunt ergo DD. accusatorem posse tripliciter peccare, nempè, calumniando, præuaricando, & tergiuersando, vt habetur 2.q.3. Can. *Si quem pœnituerit*, & ff. ad Senatum Consultum Turpilianum, leg. accusatorum.

Tunc accusator dicitur peccare calumniando, quando obijcit crimen falsum, in quo accusator peccat peccato iniustitiæ, mortali, aut veniali, pro qualitate criminis obiecti. Vndè, qui obijcit crimen verum, quamuis sciat probari non posse, nõ calumniatur, quia non obijcit falsum. Nihilominus in iure præsumitur calumniare, & peccat cõtra iustitiam, quia absque iure nocet accusato. Nec calumniatur, qui ex errore quamuis vincibili obijcit falsum, quia non obijcit scienter, etiam si quãdo ex errore vincibili obijcit illud, peccet contra iustitiam.

Tunc accusator dicitur peccare præuaricando, vt ex eisdem iuribus constat, quando abscondit vera crimina, id est, quãdo veras probationes dissimulat, vel falsas excusationes, seu exceptiones admittit, vt Reus non conuincatur. Solet autem prẹuaricatio dici collusio, quasi tunc accusator, & Reus colludant, seu ex conuentione illudant Reipublicæ, vel parti læsæ. Tunc autẽ præuaricatio est peccatũ, quando est obligatio accusandi, & conuincẽdi Reum: & est peccatum contra eam virtutẽ ex qua tenetur ad id.

Tunc accusator dicitur peccare tergiuersando, quãdo omnino ab accusatione desistit, ab ea scilicet, in qua persistere tenetur, siue ex vi officij, siue ex vi præcepti superioris, siue quia id exegit bonũ cõmune, aut priuatũ. Vndè quando quis accusat absq; obligatione, vt contingit in propria iniuria, aut quando in progressu causæ cognoscit crimẽ, quod detulit esse falsum, vel improbabile, non peccat tergiuersando, quia tunc non tenetur in accusatione persistere, imò in dicto posteriori casu, tenetur ab accusatione desistere.

Difficultas XVII. Vtrùm iudex possit accusationem aliàs legitimam rescindere?

SVPPONIMVS Primò, quòd quando lex procedendi via accusationis, & punitionis deficit in casu aliquo particulari ob circunstantiam aliquam, ita vt fiat iniqua, tunc iudex, adhuc inferior potest accusationem aliàs legitimam, vt pote iniquam non admittere, aut semel admissam rescindere, quamuis facta fuerit à parte læsa ad satisfactionem propriæ iniuriæ.

Supponimus secundò, quòd quando adest rationabilis causa, quamuis insufficiens, vt ob eam dicta lex deficiat, & accusatio sit iniqua, quia tunc punitio non est iniqua, possit Princeps non admittere accusationem, aut iam admissam rescindere, quia Princeps potest ex rationabili causa in lege sua dispensare, quamuis agatur de iniuria partis, si id expediat bono communi, quamuis tunc curandum sit, vt quatenus fieri possit ipsi satisfiat. Addidimus, *quando adest rationabilis causa*, quia quando nulla subest, nõ potest, quia Princeps sua lege tenetur quoad vim directiuam.

His suppositis superest difficultas, an quando adest rationabilis causa, & ob eam non deficit lex, possit etiam iudex inferior non admittere accusationem, aut iam admissam rescindere.

Circa quam conueniunt DD. quòd non possit, quando agitur de iniuria partis, quia iudex inferior institutus est, vt reddat vnicuique quod suum est, & ipsi debetur, quando id potest iustè, & licitè, vt potest in hoc casu.

Punctum difficultatis, est de accusatione quæ non versatur circa iniuriam partis.

Caiet. & Aragon, q. 68. art. 3. docent, quòd possit eam non admittere, & eam semel admissam rescindere: Salon verò, & Less. cap. 30. dub. 3. docẽt, quòd possit eam non admittere, non tamẽ semel admissam rescindere.

Nos tamen existimamus, quòd non possit eam non admittere, & eam semel admissam rescindere, quia existente, adhuc rationabili causa lex procedendi ex accusatione, & puniendi manet iusta, ergo debet seruari à iudice inferiore, quia nequit in lege Principis dispensare.

Diffi-

Difficult. XVIII. Qui possint accusare?

CONVENIVNT DD. quemlibet, qui non est iure positiuo expressè prohibitus, posse in rigore accusare, quia cuilibet, iure naturali licitum est deferre ad iudicem crimen alterius, & cum onere probandi, quando ita potest probari, vt possit puniri, sicut, & iudex ipse potest crimen probatum punire, quia id maximè expedit bono communi.

Iure tamen positiuo plures prohibētur, & repelluntur ab accusando in rigore, nempè infames, & excommunicati, & filij prohibentur accusare parentes, & ècontra, & serui dominos, & subditi Prælatos, & laici Clericos, & ècontra, & plures alij, ratione sexus, & ætatis, & conditionis, de quo videri potest Bonacin. disp. 10. q. 3. punct. 1. num. 10.

Omnes tamen prædicti admittuntur ad iuridice denuntiandum, vt docent communiter DD. quia id eis non prohibetur, imò Clerici possunt absque irregularitate iuridice conqueri de malefactoribus sui, & suorum, & etiam sibi commissorum, quod etiam non pauci probabiliter extendunt ad delationem factam ad impediendum damnum publicum, aut priuatum innocentis, quamuis malefactores, aut id intendentes occidantur à iudice, protestando tamen expressè, quòd non intendunt ad pœnam sanguinis, etiam si ea protestatione mentiantur, de quo diximus tract. de irregularitate, disp. 2. dif. 11.

Obseruandũ est accusatorem in rigore, qui obijcit falsũ, aut id quod probare non potuit, ex iure Canonico, & ex ciuili, puniri pœna talionis, id est tali, qualẽ ipse intendebat accusato, nisi constet bona fide, & prudenter accusasse, existimando videlicet prudenter id quod obijcit esse verum & probandum, & insuper ex iure Canonico infamia puniri. Iam tamen ex desuetudine in plerisque locis non punitur pœna talionis, sed mitiori, in Hispania autem testis falsus pœna talionis punitur in causa capitis, quando innocens pœna capitis punitus est.

(.?.)

DISPVTATIO TERTIA.
De Teste.

Difficult. I. Quando posſit quis abſque peccato iuridice teſtificari?

CONVENIVNT DD. teſtificationem iuridicam (quæ eſt depoſitio in iudicio facta) poſſe abſque peccato fieri, vt praxis totius Orbis oſtendit, eſt enim bono cõmuni maximè expediẽs, & nullo iure prohibita. Eſt ergo dif. quãdo fiat licitè abſq; peccato?

Circa quam conueniunt cõmuniter DD. licitum ſeu iuridice teſtificari peccata etiam emendata, quoties iudex contra aliquẽ ſpecialiter iuridice interrogat, ſicut tunc iudex poteſt contra illum, quamuis emendatum iuridice procedere. Poteſt autem iudex contra aliquam iuridice procedere (& conſequenter etiã teſtis interrogatus teſtificari) non ſolum ob impediendum malũ ab illo imminens, vt patet, ſed etiam ob ſolam punitionẽ, vt alij terreantur, quia punitio criminoſi maximè expedit Reipublicæ. Vndè Bañez q. 70. art. 1. falſo aſſerit peccata emendata, aut quæ aliter poſſunt emendari non poſſe à teſte patefieri, quod falſum eſt, quia poſt emendationẽ ſupereſt punitio, qua alij terreantur, quã quilibet ob bonũ cõmune inde reſultãs, poteſt licitè procurare.

Prædicta autem doctrina eſt vera, quãuis ſola præcedat accuſatio, aut denuntiatio iuridica, aut querela abſque infamia, & abſq; æquiualente, imò quãuis non ſit niſi vnicus teſtis, qui ſolus viderit, vt aduertunt Sot. lib. 5. q. 7. art. 1. Angles de corrept. fraterna, art. 2. dif. 7. Leſs. c. 30. n. 49. & Bonac. diſp. 10. q. 3. pun. 3. n. 5. quia ſola teſtificatione vnius, quando eſt integri teſtis poteſt reus puniri aliqualiter, imò ea poteſt ad punitionem integrã perueniri, quia ea poteſt cogi reus, vt fateatur veritatem.

Et ob eandem rationem exiſtimamus, quod quando iudex, adhuc, abſq; accuſatione, & abſq; denuntiatione iuridica, & abſq; infamia, & abſq; æquiualente procedit inquiſitione mixta, ſpeciali quidem quoad delictum notorium, & generali quoad perſonam delinquentem occultam, poſſit teſtis ſi ſit integer, ſeu omni exceptione maior, quamuis ſolus viderit patefacere crimen occultum, vt aduertunt Reginaldus, lib. 24. cap. 7. ſect. 9. Aragon,

Azor,

Azor, Laym, & alij, quamuis non pauci oppositum doceat, quasi in eum criminosum, vt pote occultum iudex humanus nō habeat iurisdictionem, immeritò tamen id docent, quia iudex, adhuc Ecclesiasticus iurisdictionem habet in eum, qui potest iuridice media inquisitione mixta criminosus probari, quamuis solum semiplena testificatione, sicut etiam potest contra eum, quamuis solū semiplenè probatum criminosum, procedere, & aliqualiter punire, imò & integrè punire, si tandem sua confessione, quæ ab ipso, semiplena testificatione probato criminoso extorqueri potest, conuincatur.

Et ob eandem rationem (quamuis DD. communiter oppositum doceant) non caret probabilitate, posse à teste integro, qui solus vidit, patefieri criminosum occultum, adhuc absque infamia, quando inquisitione omnino generali interrogatur. Et id fieri in toto Orbe, aduertit Lessius, cap. 29. num. 111. ex Iulio Claro, q. 7. nec id omnino displicet Lessio, & id expressè docent Reginal. lib. 24. num. 158. & Sepulueda, qui vt refert Salon, q. 69. art. 2. controuersia 5. existimat, ad id teneri subditum generaliter interrogatum à iudice.

Addimus, quòd si verum est peccata omnino occulta à solo teste integro nota, posse patefieri, quando iuridice interrogatur, etiam erit verum posse ab ipso sponte, seu non interrogato patefieri iudici, vt in toto Orbe fieri refert Lessius, & exprimit Reginaldus, quia si non potuisset, quando non interrogatur, nec interrogatus posset.

Difficult. II. Vtrùm aliquando iure naturali teneamur testificari iuridice?

CONVENIVNT DD. quòd quando testificatio iuridica est necessaria ad liberandum innocentem ab aliquo damno graui, teneamur iure naturali misericordiæ, aut charitatis ad testificandum, quamuis non simus ad id requisiti, quia id exigit misecordia, aut charitas.

Et ob eandem rationem conueniunt communiter Doctores, quòd eodem iure naturali teneamur, quamuis non requisiti ad testificandum de crimine, ex quo impendet notabile damnum commune, aut priuatum, adhuc cum iactura criminosi, quia ea testificatio est necessaria ad impediendum damnum illud imminens. Prædicta autem sunt vera, quamuis crimen sit

occultum, & soli testificanti notum, vt aduertuntSalon, Toletus, Lessius, & alij, & ob prædictam rationem etiam eodem iure naturali est obligatio, etiam si peccatum tantum noceat ipsi peccatori, quamuis occultum, & soli testificanti notum, quando ea testificatio est necessaria ad illud peccatum impediendum.

Est tamen difficultas, an iure naturali teneamur ad testificandum quamuis non simus requisiti, quando testificatio est necessaria ad liberãdum accusatorem à pœna graui, quam incurrit, quia deficit in probando?

Circa quam conueniunt DD. quòd nòn teneamur, quãdo accusator inique, & temerariè accusauit non prouidendo antea de testibus, quia tunc ipse liberè, & inique se ingesit in tale periculũ, & quod teneamur, quando ipse ex obligatione accusauit, vt quando tenetur ex officio, quia misericordia, aut charitas exigit, vt ei subueniatur contra eum, qui dignus est pœna.

Punctum ergo difficultatis in eo est, an teneamur, quando licitè accusauit, sed absque obligatione?

Valencia disp. 5. q. 14. punct. 1. docet, quòd teneamur, quia æquum non est, quod grauiter puniatur inns ocen accusator, quia deficit in probando.

Caietan. verò, Bañez, Aragon, & Salon, quæst. 70. art. 1. & communiter Doctores docent, quòd non teneamur, & meritò, quia quamuis in eo casu melius sit subuenire accusatori, quia innocens est, oppositum tamen non est contra rationem, & misericordiam, quia ipse accusator liberè, & absque obligatione se ingesit in tale periculum, & ei nequit subueniri absque graui iactura rei, quamuis digni ea iactura. Ex quo patet ad rationem Valentiæ.

Difficult. III. Quando teneamur testificari iudice præcipiente?

SVPPONIMVS, quòd teneamur, quando aliàs iure naturali tenemur, vt patet, vt quãdo testificatio est necessaria ad impediẽdum damnum commune, aut priuatum, & quod non teneamur, quando aliàs non possumus licitè, vt patet. Vndè quamuis iudex præcipiat non tenemur testificari, quod tatũ nouimus ex cõfessione Sacramentali. Nec quod nequit, ita probari, vt posit ad punitionem peruenire, vel ad impediendum damnum, nec id quod

quod sub secreto auxilij, vel consilij causa nouimus (vt contra Sotum, docent communiter DD.) nisi necessarium sit ad impediendum damnum commune, aut priuatum imminens ex ea persona contra quam inquiritur.

Est ergo difficultas, quando teneamur ex puro præcepto iudicis, non existente obligatione iuris naturalis.

Circa quam supponimus primò, quòd quando iudex procedit accusatione excitatus, vel simplici querela, vel denuntiatione iuridica, quæ accusationi iam in desuetudinem abeunti succedunt. Testis ab eo iudice interrogatus teneatur testificari, si delictũ possit plenè probari, quia tũc iudex iuridice, & legitimè procedit.

Superest tamen difficultas, an testis interrogatus teneatur testificari, si delictum tantum possit semiplenè probari testificatione ipsius, quia ipsi soli notum est.

Syluest. verbo *testis*, q. 8. Armil. n. 10. Angel. nu. 28. Bañez, q. 70. art. 1. & Less. c. 30. n. 49. partem negatiuam tuentur, quia tunc iudex non procedit legitimè, quia delatio delicti, ex qua procedit non est legitima.

Sot. verò, lib. 5. de iust. q. 7. art. 1. Azor. c. 28. Salõ, & Arag. q. 70. art. 1. Angles, & Valenc. & Clauis Regia, & Bonacin. disput. 10. q. 3. pũct. 3. n. 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia tunc iudex legitimè procedit, & interrogat, quia tunc delatio iuridica ex qua procedit est legitima, quia tunc delictum ea testificatione quãuis sola potest aliqualiter puniri, imò ex ea potest reus ad integram punitionem peruenire, quia ex ea potest cogi, vt fateatur veritatẽ, cuius cõfessione conuictus potest integre puniri.

Supponimus secũdò, quòd quãdo iudex procedit via inquisitionis omnino specialis, tunc tantũ tenemur testificari quãdo iudex procedit excitatus infamia, aut alio præuio ex dictis disp. 1. dif. 13. quai solũ tunc legitimè, & iuridice procedit, vt ibidẽ diximus.

Supponimus tertiò, quòd quando iudex procedit via inquisitionis mixtę, specialis quidẽ quoad delictum, & generalis quoad personam, tunc ipsi interrogati teneamur patefacere criminosum infamia laborantem, quia ex vna parte tunc iudex iuridice procedit, & interrogat, & ex altera nõ est illi limitata iurisdictio ad extorquendum à teste talẽ criminosum, quando crimẽ est notorium.

Superest tamen difficultas, an teneamur testificari, seu patefacere talem criminosum, quando est occultus absq; infamia, & absque alio æquiualente, Salon, quæst. 69 art. 2. controuers. 3. &

alij existimant non solum quod non teneamur, quia iudici limitata est iurisdictio in cap. qualiter 1. de accusationib. ad extorquendam patefactionem talis criminosi, sed etiam quod nō possimus licitè, quia tunc absque rationabili causa læderetur fama criminosi occulti.

Aragon verò, q. 69. art. 2. Azor. lib. 3. c. 16. Laym. tract. 6. cap. 2. Ioannes Andr. & Ginef. Sepul. existimant, & meritò, non solum quod licitè possimus, sed etiam quod teneamur, quod etiam sentit S. Thom. vt refert Syluest. verbo correptio, num. 6. & in primis, quod id possit testis quando potest semiplenè probari depositione ipsius, aut alterius, diximus dif. 1. quia tunc non læditur fama criminosi, absque rationabili causa, quia tunc læditur ob punitionem, quæ est maximè expediens Reipublicæ, ne criminosi inualescant: bonum autem commune Reipublicæ rationabiliter præfertur famę criminosi, qui suo crimine causā dedit ad id. Quod verò etiam teneatur probatur, quia ex vna parte iudex iuridice interrogat, & ex altera nulli iudici, adhuc Ecclesiastico est limitata iurisdictio ad extorquendam patefactionem criminosi occulti, quandò crimen est notorium, vt contingit, quando fit inquisitio mixta, sed tantum quando crimen est etiam occultum, & id soli iudici Ecclesiastico limitatur in dict. c. qualiter.

Supponimus quartò, quòd quando iudex procedit via inquisitionis generalis, testis à iudice generaliter interrogatus teneatur patefacere criminosum infamia, aut æquiualente laborantem.

Est tamen difficultas, an teneatur quando criminosus est occultus absque infamia, & absque ei æquiualente.

Circa quam conueniunt Doctores, teneri manifestare criminosum etiam omnino occultum absque infamia, & æquiualente, quando ab eius crimine imminet graue aliquod damnum, siue cōmune, siue priuatum, quod sola opera iudicis possit auerti, quia tunc iure naturali potius prospiciendum est euitationi dicti damni communis, aut innocentis, quam famæ nocentis.

Circa alia peccata occulta, nulli alij nociua, aut si nociua, iam tamen emendata, aut aliter, quam opera iudicis emendabilia, docent communiter Doctores (contra Sepuluedam, quem refert Salon controuersia 5.) subditum generaliter interrogatum, non teneri illa manifestare, quod nos verum existimamus, quando inquisitio fit à iudicibus Ecclesiasticis, quia eis in capit. qualiter 1. de accusationibus limitata est iurisdictio ad extorquen-

quendam à subdito generali inquisitione interrogato crimina occulta, non verò quando inquisitio generalis fit à iudicibus laicis, quia eis non est limitata iurisdictio & iudex, vt ait Angles de correptione fraterna, art. 3. cõncl. 2. ex natura rei iurisdictionem habet in crimina etiam occulta, quando sunt semiplenè probabilia, quamuis nulli nociua.

Addimus, quòd quamuis subditus generaliter interrogatus à iudice Ecclesiastico non teneatur patefacere criminosum occultum, potest tamen licitè, quando depositione ipsius, vel aliter, potest semiplenè probari, quia eo ipso potest perueniri ad punitionem, quæ vt pote bono communi, maximè expediens præferenda est famæ criminosi occulti, qui liberè se tali periculo exposuit.

A iudicibus autem Ecclesiasticis excipimus inquisitores, quia eis specialiter est concessa iurisdictio absolutè, & absque limitatione in crimina ad ipsos pertinentia.

Obseruandum tamen est, omnibus septem modis, quibus disput. 2. dif. 8. diximus excusari aliquem à delatione criminis eisdẽ etiã excusari testẽ à testificando ob easdem omnino rationes.

Difficult. IIII. Vtrùm testis, qui præcipiente iudice non testificatur, teneatur ad restitutionem damni secuti, aut non reparati ex defectu suæ testificationis?

SVPPONIMVS, Eum qui solo iure naturali tenetur ad testificandum, & non testificatur, nõ teneri ad restitutionem, quia non tenetur ex iustitia commutatiua ad testificandum, sed tantũ ex misericordia, aut ex charitate, ex quarum neutra oritur obligatio restituendi.

Est ergo dif. de eo, qui ex præcepto superioris, siue solo, siue etiã ex iure naturali tenetur ad testificandũ, an teneatur ad restitutionẽ damni secuti, aut non reparati ex defectu testificationis.

Sotus lib. 5. q. 7. art. 1. Nauar. cap. 25. n. 41. Aragon, & Salon, quæst. 70. art. 1. Valencia, Azor, & Reginaldus, docent, teneri ad restitutionem, quia tunc testis tenetur ex iustitia commutatiua ad testificandum, quia ex pręcepto superioris applicatur testimonium testis ei, qui eo indiget, & ei tribuitur ius iustitię ad illud, sicut quando quis ex præcepto superioris instituitur tutor pupilli, tenetur ex iustitia commutatiua ad exercendum officium

tutoris,& ad restitutionem damni secuti,aut non reparati, ex defectu exercicij sui officij.

Bañez verò,q.70.art.1.dub.3.Molin.disp.83.cap.1. Bonacin.disp.10.q.3.punct.3.docent,non teneri ad dicti damni restitutionem(quod satis indicat Syluest.verbo *testis*, num. 8. & non displicet Less.c.30 dub.vltimo)& meritò, quia priuatus homo præcepto superioris non obligatur ex iustitia cõmutatiua ad testificandum,quia superior eo præcepto non tribuit ius aliquod iustitiæ in testificationem testis, tùm quia id non intendit, sed tantum præcipere,tùm etiam,quia non potest,quia iudex nequit tribuere ius iustitiæ in functiones liberas alterius , sicut nec præcipiens alicui,vt suscipiat officium tutoris, & illud exerceat imponit illi obligationẽ iustitiæ cõmutatiuæ ad id,sed tantũ alterius virtutis, v.g.misericordiæ,vel charitatis,vel pietatis,erga pupillũ,&ideo si illud non suscipit,non est iniustus contra pupillum , nec si illud non exerceat quousque acceptet officium,quamuis si non acceptet posset puniri à superiore interesse lucri cessantis,& dãni emergentis. Ex quo patet ad rationem aduersariorum.

Diffi.V. Vtrùm testis testificans falsum, teneatur ad restitutionem damni inde prouenientis?

CONVENIVNT DD.eum qui scienter , aut ex ignorantia perfectè vincibili testificatur falsum,ratione cuius alter dãnificatus est,teneri ad restitutionẽ totius damni , quia iniustæ fuit causa efficax illius : aut si damnum nondum est illatum, sed inferẽdum,quia sententia nondum est executioni mandata, teneri ad retractandum testimonium,quando retractatio pro futura,est quãuis ipsi ex retractatione immineat simile periculum,non solum in fortuna,& infama, & in honore,vt omnes conueniunt, sed etiam in vita,vt contra nonnullos docent communiter DD.quia in pari damno melior est conditio innocentis,quam nocentis,& eũ,qui alios induxit ad ferendũ falsum testimoniũ, teneri procurare , vt inducti testimoniũ retractent,& eis recusantibus , teneri aperire iudici fraudem, si id pro futurum est,quamuis ipsi immeneat periculum mortis.

Addidimus primò,in conclusione, *quãdo ratione testificationis falsæ damnificatus est, aut damnificãdus*,quia si iam erat per alios sufficienter conuictus,ita vt testimonium falsum postea accedẽs , nihil

nihil ad condemnationem faciat, ad neutrũ tenetur, nempè, nec ad restitutionem, nec ad retractationem, quia tunc nõ est, nec erit causa efficax damni.

Addidimus secundò, *quando scienter, aut ex ignorantia vincibili testificatus est falsum*, quia si ex ignorantia, vel inaduertentia inuincibili, non tenetur ad restitutionem damni illati, quia tunc nõ tenetur ratione rei acceptæ, quia nihil accepit, nec habet, nec tenetur ratione iniustæ damnificationis, quia non damnificauit liberè. Vndè nec tenetur retractare suum testimonium, si ob retractationem ipsi immineat periculum vitæ, aut aliud, quo aliàs excusaretur à liberando innocentem.

Addidimus tertiò, *ex ignorantia perfectè vincibili*, quia quãdo dicitur testimonium falsum ex ignorãtia imperfectè vincibili, ita vt testificatio falsi, quamuis in materia graui non sit mortalis, quia fit cũ ignorãtia imperfectè vincibili, non cõuenit inter Doctores esse obligationem restitutionis damni grauis, quia nõnulli generaliter negant ex damnificatione veniali in materia graui oriri obligationem restitutionis. Nos verò alios sequuti affirmamus oriri.

Sed an testis, qui veritatem negauit, seu testificatus est falsum in fauorem rei, teneatur ad restitutionem pœnæ pecuniariæ, qua nocens condemnandus erat, dicemus disput. 4. dif. 6.

Addimus testem, qui veritatem negauit non teneri se offerre, vt eam testificetur (nisi quando ex ea negatione impendet damnum graue in futurum, quod teneatur impedire, aut quando iterum interrogatur) quia non tenetur, quia negauit, quia negatio illa non est contra iustitiam, nec tenetur ratione præcepti iudicis, qui præceptiuè interrogauit, quia præceptum illud tantum fuit transiens, seu tantum fuit latum pro tunc, quod in simili dicimus de reo, qui negauit veritatem, disput. 4. difficult. 4.

Difficult. VI. Quot testes in criminalibus requirantur, & sufficiant ad condemnandum reum?

CONVENIVNT Doctores, quòd quando veritas per testes inquiritur, requiratur, & sufficiant duo testes omni

exceptione maiores, ad puniendum Reum pœna ordinaria graui. Et in primis, quod requirantur duo, ita vt vnus non sufficiat pluribus iuribus, apud omnes fere nationes decretum est, quia quamuis iure naturali, seu ex natura rei sæpè vnus sufficeret, vt aduertit Lessius capit. 30. num. 25. quia ex natura rei ad iudicandum sufficit notitia moraliter certa, præsertim si sit certior quam notitia habita pro opposita parte; ex testimonio autem viri fidedigni notitia moraliter certa habetur, & certior quam notitia habita ex dicto Rei, qui in sua causa suspectus est: quamuis non semper qualiscumque certitudo ex testimonio vnius habita, sufficiat ex natura rei, quia in grauissima causa vt in causa mortis, non semper sufficit, quæ ex vnius fidedigni testimonio habetur, nisi sit extraordinariæ authoritatis, quia pro qualitate causarum maior, aut minor certitudo sufficit, aut requiritur ex natura rei.

Addidimus, *ad puniendum Reum pœna ordinaria graui*, quia ad puniendum illum pœna leui, siue ordinaria, siue minori quam ordinaria, vt pœna pecuniaria, & pœna corporali leui, absque infamia; sufficit adhuc ex iure positiuo, testimonium vnius omni exceptione maioris, quod quamuis tantum sit vnius, non desinit esse publicum, quale ad publicum iudicium requiritur, quia habetur, & extorquetur à iudice, vt à persona publica, de quo legendus est Filliucius tract. 40. cap. 8.

Deinde, quòd sufficiant duo testes constat, quia ex natura rei sufficiunt, quia ex testimonio duorum notitia sufficienter, certa haberi potest, & iuribus humanis non requiruntur plures quàm duo, (quamuis ob reuerentiam Ecclesiasticis congruam pro eorum condemnatione plures requirantur, iure Canonico in cap. Præsul. 2. q. 5. quod iam in praxi non seruatur) iure quoque diuino veteri Deutor. 17. & 19. non requirebâtur nisi duo testes, quod quia iudiciale erat, iam cessauit, & non fuit confirmatum à Christo Domino, Matth. 18. dum dixit: *Vt in ore duorum, vel triũ stet omne verbum*, quia Christus tantum adduxit illud, quia loquebatur cum populo, qui tunc eo iure tenebatur. Nec huic obstat Alexander, dum in cap. *cum esses*, de testament. ait, esse alienum à lege diuina exigere in testamentis quinque testes, intellige pro apertis, quia pro clausis septem requiruntur) quia in eo sensu, dixit esse alienum à diuina lege, quia non sit conforme veteri: non verò quia modo sit lex aliqua diuina, alias

ipse malè contra eam legem exigeret pro testamentis, præter duos vel tres testes, personam Parrochi, quàm requirit pro sibi temporaliter subditis. Pro legatis tamen pijs, relictis in quolibet testamento, sufficiunt duo vel tres, vt constat ex cap. *relatum*, de testamentis, & aduertunt Syluester, Bañez, & Aragon.

Difficult. VII. Quæ requirantur vt in criminalibus duo testes plenè probent ad pœnam ordinariam?

IN Primis, iure Canonico requiritur, quòd testificentur iurati, ex cap. *fraternitatis*, & ex cap. *nuper*, & ex cap. *tuis*, de testib. Et idem requiritur iure ciuili, vt veritas certius inuestigetur. Secundò, iure Canonico requiritur, quòd testificētur se sensu aliquo externo percepisse factum, vel dictum, v. g. se vidisse occidere, & audiuisse blasphemare, ex cap. *si testis*, 4. q. 3. & ex lege *solam*, C. de testibus, quod est maximè conforme iuri naturali, vt nullus puniatur saltem integre, absque morali certitudine.

Tertiò requiritur, quòd sint contestes, id est, quòd testificentur de eodem numero actu, (nisi quando aliud iure exprimitur) aliàs delictum non probatur per plures testes; quia tunc quilibet testificatur de delicto diuerso, siue diuerso secundum speciem, siue secundum numerum. Vndè, quando testes testificantur contra aliquem, de diuersis propositionibus hæreticis, quilibet de distincta, non probant plenè contra illum.

Quartò requiritur, quòd testes sint omni exceptione maiores, id est, tales vt contra eos nihil posit excipi, seu obijci, quòd iure positiuo, aut naturali eorum fidem eneruet, seu minuat: tales autem sunt, quibus sequentes conditiones conueniunt, nempè, *conditio, sexus, ætas, discretio, fama, fortuna, fides, seiunctio à familia, à graui inimicitia, à consanguinitate, ab affinitate & à societate in crimine*: excipimus socium in aliquibus criminibus, in quibus potest esse idoneus testis, nempè, in hæresi, in crimine læsæ Maiestatis, in maleficio, in furto famoso, in sodomia, & in alijs, quæ nequeunt sine socio committi. Super quarum cōditionum declaratione, legendi sunt Syluester, verbo, *testis*, Lessius cap. 30. dub. 5. Filliucius tract. 4. cap. 8. & Bonacina disp. 10. q. 3. punct. 3.

Obser-

Obseruandum est primò, quòd quando testes, Actoris, & Rei adinuicem discordant circa substantiam delicti, iudicandum est in fauorem Rei, tùm, quia in dubio, quale tunc est, potius fauendum est Reo, quàm Actori: tum etiam, quia nullus præsumitur delinquens nisi probetur. Et quòd quando testes vnius partis dissentiunt inter se, non dissentientibus testibus alterius partis. Et etiam quando testes alterius partis inter se dissentiunt, tunc videndum est, quæ pars præualeat, attentis numero testium, & eorum, dignitate, & fauorabilitate causæ, & alijs circunstantijs, & secundum id est iudicandum.

Obseruandum est secundò, quòd quando testis bis testificatus est, & vnum testimonium alteri contrariatur, standũ est priori testimonio, nisi quando posterius factum est in articulo mortis coram iudice, & cum iuramento.

DISPVTATIO QVARTA. de Reo.

Difficult. I. Vtrùm Reo licitum sit, testi etiam vero, & iustè testificanti obijcere crimen occultum ad infirmandum eius testimonium?

CONVENIVNT Communiter DD. quòd id sit licitũ Reo, & meritò, quia etiam si aliàs, quia occultum est, non liceret, ea tamen detectio criminis occulti ordinata est ad propriã defensionem aliàs licitam, præsertim, quod ea detectio, & delatio criminis occulti facta iudici, quando crimen probari potest, licita est, vt diximus disp. 2. diff. 3.

Doctrina tamen hæc communiter restringitur, vt tantum sit vera. Primò, quando obiectio criminis est necessaria ad infirmandum testimonium. Secundò, quando nequit alia via minus noxia infirmari. Tertiò, quando in causa leui testi coacto à iudice ad testificandum, non obijcitur grauissimum crimen. Hanc tamen tertiam restrictionem tantùm admittimus, quando obiectio criminis occulti, tantum potest deseruire ad infirmandum testimonium testis,, non verò admittimus quando etiam crimen occul-

cultum, poteſt à iudice puniri, vt vere poteſt quando poteſt ſaltem ſemiplenè probari, quia tunc licitè obijci poteſt, vt diximus in ea difficult. 3.

Difficult. II. Vtrùm ſit contra iuſtitiam teſti falſo & iniquo, obijcere falſum crimen ad infirmandum eius teſtimonium?

SVPPONIMVS In ea obiectione falſi criminis, reperiri peccatum veniale mendacij, & peccatum mortale periurij, ſi fit cum iuramento. Eſt tamen difficultas, an etiam ſit peccatum iniuſtitiæ?

Salon, & Aragon, q. 70. art. 3. docent, id eſſe contra iuſtitiam, quia tunc falſo infamatur teſtis, & abſque iure, quia ad falſum, & mendacium, nequit eſſe ius.

Nos tamen exiſtimamus, non eſſe contra iuſtitiam, ſeruatis tamen tribus reſtrictionibus adductis difficultate præcedenti, (& conſequenter, non eſſe obligationem reſtitutionis) quod verius exiſtimat Bañez, ea ſola reſtrictione contentus, quod obiectio falſi criminis proſit ad infirmandum teſtimonium teſtis iniqui.

Ratio noſtræ doctrinæ eſt, quia vnicuique ineſt ius iuſtitiæ, vt ſeruatis tribus dictis conditionibus ſe defendat ab iniquo inuaſore, adhuc vi, & damnificatione illius, ergo & obiectione falſi criminis, quamuis hæc, quia aliàs opponitur veracitati, habeat malitiam mendacij, quia ad malum, ſeu peccatum contra aliam virtutem, quàm contra iuſtitiam, optimè poteſt eſſe ius iuſtitiæ, vt verè quis habet ad prodigaliter elargiendam ſuam pecuniam. Et etiam coniux voto caſtitatis obſtrictus, verè habet ad accedendum ad propriam coniugem: & ideo quamuis petens accedat, non peccat contra caſtitatem, quia accedit habens ius iuſtitiæ ad eum acceſum, etiam ſi peccet peccato ſacrilegij contra Religionem voti.

Difficult.

Difficult. III. Vtrùm Reus à iudice interrogatus teneatur fateri veritatem?

CONVENIVNT DD. Primò, quòd non teneatur quando iudex non seruato ordine iuris interrogat, quia ad sic interrogandum nullam habet iurisdictionem.

Conueniunt secundò, quòd quamuis iudex seruato ordine iuris interroget, non teneatur Reus fateri veritatem, ob quā re ipsa iniustè damnaretur, vt si occidit inuasorem cum moderamine inculpatæ tutellæ, aut saltem absque notabili excessu, & id non possit probari: & si Reus non occidit aliquem, non tenetur fateri circunstantias, ex quibus cōtra eum orietur vehemens suspitio, v.g. hunc pugionē esse suū, ne ex falsa præsumptione condēnetur.

Conueniunt tertiò, Reum plenè conuictum teneri fateri veritatem, quia tunc confessio non est dura, quia quamuis neget, puniendus est pœna ordinaria.

Est tamen difficultas, an teneatur fateri veritatem, quando iuridice interrogatur, & verè est auctor criminis, & non est re ipsa iniustè damnandus, nec est plenè conuictus.

Petrus Nauarr. lib. 2. cap. 4. num. 141. & Saa verbo, *Reus*, docēnt, in causa sanguinis, præsertim capitis Reum non plenè conuinctum, non teneri, sed posse veritatem negare, vtendo æquiuocatione, vel restrictione mentali; quia confessio criminis, ob quam Reus puniendus est morte, aut mutilatione, est nimis dura, & humanæ imbecilitati non accomodata, ergo nequit imponi sub obligatione & præcepto. Et confirmatur primò, quia nemo potest obligari ad testificandum, quando inde graue sibi damnum imminet; ergo nec ad fatendum contra se in causa graui. Et cōfirmatur secundò, quia nemo potest cogi ad testificandum contra sanguine iunctum, ergo multo minus contra seipsum.

Opinionem hanc adhuc in causa non capitali, in qua imponēda est grauis admodum pœna, vt condemnatio ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, vel confiscatio bonorū, existimant probabilem, & meritò, Lessius cap. 31. dub. 3. Bonac. disp. 10. q. 3. pun. 2. Rodriguez, Reginald. & Filliuc. & quia est probabilis, confessarius tenetur absoluere pœnitentem Reum, qui est in proposito negandi veritatem, vtendo restrictione mentali, vel æquiuocatione, quando si fateatur condemnandus est pœna aliqua ex assignatis,

natis, vel alia æquiualente, cùm Reus possit tuta consciẽtia absq; peccato, negare modo dicto, vt pote opinione probabili ductus.

Addunt Syluest. verbo, *confessio delicti*, q. 1. Angelus nu. 1. Armilla nu. 8. Panormit. in cap. *cùm super*, de confessis, col. pen. & alij recentiores, Reum non teneri fateri veritatem, quando si fateatur puniendus est pœna temporali, quæcumq; sit quia durũ est obligare, vt quis seipsum condemnet, & contra seipsum arma ministret: teneri tamen, quando tantum est puniendus pœna spirituali, vt censura, quia potius est medicina, quàm pœna.

S. Thom. verò, Caiet. Bañez, Aragon, & Salon, q. 69. art. 1. Nauarr. cap. 25. num. 35. Bonacina q. 3. punct. 2. Layman, & plures alij, docent, Reum iuridicè interrogatum, teneri veritatem fateri, quamuis ob confessionem sit capite plectendus, & meritò, quia subditus tenetur obedire superiori, verè & legitimè præcipienti, quia verum & legitimum præceptũ, quamuis difficile sit, obligationem inducit, dum ob difficultatem non desinit esse verum præceptum, sed quando iudex iuridice interrogat, adhuc in causa capitis, verè, & legitimè præcipit, quia ob maximam Reipublicæ vtilitatem habet ad id veram iurisdictionem, & superioritatem, ergo Reus tenetur ei respondere veritatem ex vi solius præcepti iudicis, quamuis non iuret.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, eam confessionem in causa pœnæ temporalis, quamuis sanguinis, imò quamuis capitis esse duram, quando Reus vere commisit crimẽ, ob quod factus est dignus pœna qua condemnandus est, & est semiconuictus, ob quod nequit se honestè, & decore defendere; secus est de testificatione testis, qui non est dignus pati damnum ob testificationem, siue ex redundantia sui cognati, siue aliunde.

Sed quamuis Reus iuridicè interrogatus, quia saltem semiconuictus interrogatur, teneatur fateri veritatem, si tamen eam negauit, non tenetur postea eam fateri, nisi iterum iuridicè interrogetur, vt contra Bañez, & Salon q. 69. artic. 2. aduertunt Azor lib. 13. cap. 25. dub. 5. Sancius in Sum. lib. 3. cap. 7. à num. 8. & Philliarcus de officio Sacerdotis, quia præceptum superioris, quo prçceptiuè interrogat Reũ, nõ est permanẽs, sed trãsiens, & non solũ non tenetur post sententiã latam ante eius executionem, quamuis sit mortis, in quo etiam alij DD. conueniunt, ob rationem dictam: & quia ex taciturnitate veritatis in Reo, adhuc in articulo mortis nullum damnum sequitur iudici, nec delatori, nec testi-

testibus, quia pro eis semper stat prudēs præsumptio, sed nec ante sententiam latam ob rationes dictas.

Difficult. IIII. Vtrùm reus dubitans, an iudex iuridice interroget, teneatur fateri veritatem?

PALVDANVS In 4. dist. 19. quæst. 4. Syluest. verbo *inquisitio*, 1. quæst. 3. & Bonacin. quæst. 3. punct. 2. docēt teneri, quādiù ipsi non constat iudicem illegitimè interrogare, quia præsumendum est pro iudice, & idem ob eandem rationem docent de teste.

Caiet. verò Bañez, Aragon, & Salon, quæst. 69. art. 1. Nauar. cap. 25. nu. 36. Lessius cap. 31. num. 10. Reginaldus, Filliucius, & Layman. docent, non teneri & meritò, quia durum est, præsertim reo ob confessionem puniēdo obedire superiori in eo, in quo est dubium, an habeat auctoritatem præcipiendi, & obligandi ad id, & idem docent de teste, Less. Salon, & alij.

Difficult. V. Vtrùm reus, qui delatori impingit mendacium, seu calumniam peccet, & tenetur ad restitutionem?

SVPPONIMVS, Reum cui falsò obiectum est crimen nullam irrogare iniuriam delatori, negando crimen, etiam si ex eo delator notetur mendax, seu calumniator, imò communiter addūt DD. non irrogare illi iniuriam quamuis directè notet illum mendacem, dicendo fuisse mentitum, quia verè est mendax, seu calumniator, & talis habetur, dum non probat crimen, illud autem verè probare non potest.

Hoc supposito difficultas est, quando delator verè, & nō falsò obijcit crimen, & quia id fieri potest duobus modis. Vno modo iniustè, vel quia id non potest probare, vel quia ei patefactum est sub secreto causa auxilij, vel consilij, vel aliter: altero modo iustè, seu iuridice, ideo in vtroque casu examinanda est dif.

Circa

Circa difficultatẽ ergo in priori casu, quando scilicet Reo verè, & iniustè obiectum est crimen, Caietan. q. 62. art. 2. & in Sum. verbo, *restitutio*, §. vlt. docet Reum, non solum quando ait, delatorem mentiri, sed etiam quando negat crimen, iniuriam irrogare delatori, & teneri ad restitutionem famæ, quia etiam ex negatione Rei delator notatur mendax, & verè non est mendax.

Reliqui tamen DD. docent, Reum nullã irrogare iniuriã, delatori iniusto, quãuis ex eo quod neget crimẽ infametur, & consequẽter non teneri ad restitutionẽ famæ delatoris, & meritò quia quamuis iudex iuridicè interroget (vt potest contingere) & ideo tunc Reus negando peccet, & sit inobediens iudici, nullam tamẽ irrogat iniuriam delatori, quia tunc negando vtitur iure, quo potitur cõtra delatorẽ, vt se defendat ab ininstitia ipsius, quia aliter non potest se defendere à damno, quod ex iniustitia illius timet.

Et idem docent DD. quando quis extra iudicium negat dixisse, aut fecisse aliquid, quòd alius iniustè, quamuis verè narrauit, ex quo potest damnũ nasci ei, de quo narratur, quod scilicet tunc possit negare absque iniuria detractoris.

Dicimus, vt optimè Lessius, c. 31. dub. 2 Petr. Nauarr. lib. 2. cap. 4. & Angles de restitutione famæ, art. 1. Reum nullam irrogare iniuriam delatori iniusto, quamuis dicat illum mentiri, & calumniari, quia in iure mendax, & calumniator habetur, qui defert id, quod potest negari.

Circa dif. in posteriori casu, quando scilicet Reo crimen est verè, & iustè obiectum, DD. communiter docent, Reum non posse absque iniuria, seu iniustitia in delatorem dicere eum fuisse mẽtitum (ac proinde teneri ad restitutionem famæ illius) quia tunc absque iure aliquo contra delatorem eum notat mendatio. Et idem docent non pauci de Reo, qui tunc negat crimen, quod nos falsum existimamus, imò & quod Reus re ipsa, & in effectu peccet contra iustitiam in delatorem, dicendo eum esse mendacem, & teneri ad restitutionem famæ, quia Reus non creditur in sui fauorem, cum omnibus sit notissimum Reos solitos esse negare veritatem, imò & affirmare delatorem mentitum fuisse, si delatoris recordetur (nisi quando rarissimè ob varias circunstancias in fauorem Rei, & contra delatorem, qui à Reo dicitur fuisse mẽtitus, id efficiatur credibile, quia tunc id non potest dici absque iniustitia re ipsa, & in effectu) etiam si peccet contra iustitiam in affectu, quando intendit illum notare mendatio.

Quæ autem dicta sunt de Reo erga delatorem suo modo sunt vera de Reo erga testem.

Difficult. VI. Vtrùm Reus, qui iuridicè interrogatus negat veritatem, teneatur ad restitutionem pœnæ pecuniariæ, qua puniendus erat?

SOTVS Verò de iust.q.6.art.6.docet, teneri ad restitutionem ei, cui applicanda erat, quia eam pœnā iniustè impediuit, quia eam impedit mendacio, sicut qui mendacio impedit, nequis emolumentum aliquod acquirat, v.g. donationem, tenetur ad restitutionem illius, quia vterque est causa iniusta damni.

Nauarr. verò.c.18.n.48.Vazq. 1.2.disp.175.c.2. Sancius in Sum.lib.2.cap.22. Lessius cap.31.dub.8.& Bonac.q.3. pun. 2.docent, non teneri, & meritò, quia Reus ex eo quòd neget, non dicitur pœnam illam, seu lucrum illud positiue impedire, quia illa negatione, seu deceptione non destruit informationem aliàs sufficientem ad condemnationem illam (sicut destruit, & impedit voluntatem efficacem donandi, qui decipit positiue eum, qui donaturus erat) quia Reus negando veritatem non alio modo nocet, quàm si taceret, & non fateretur veritatem, ac proinde potius dicitur non iuuare ad condemnationem, quàm eam positiuè impedire, & quia non tenetur iuuare ex iustitia commutatiua ob commodum eius, cui ea ex pœna applicanda erat, sed tantum ex iustitia vindicatiua ob punitionem delictorum, quia non alio modo tenetur fateri, & iuuare, quam si imponenda esset pœna corporalis, ideo non tenetur restituere lucrum illud, quod ex non confessione veritatis cessat.

Et idem vt optimè Bañ.q.69.art.2.dub.2. dicendum est de teste negante veritatem, quia ea negatione non impedit pœnam, seu lucrum, sed tantum dicitur non iuuare ad eam; ad quod nō tenetur ex iustitia cōmutatiua: secus esset, si suo testimonio sic qualificaret positiuè Reum, vt eo euanesceret veritas, & informatio aliàs sufficiens ad eam pœnam. Ex quo patet ad fundamētum Soti, & etiam discrimen inter Reum, & testem negantes ex vna parte,

te, quia hi non decipiunt positiuè, & inter decipientem eum, qui donaturus erat ex altera, quia hic decipit positiuè.

Difficult. VII. Vtrùm mendacium in iudicio sit semper mortale?

CAIETAN. Quæst. 69. art. 1. docet semper esse mortale, adhuc circa ea ad quæ Reus non tenetur respondere, quia iudicium mendacio innitens falsificatur, in eo autem deformitas grauis reperitur.

Bañez verò, Aragon, & Salon q. 69. art. 1. Bonac. q. 1. punct. 2. n. 7. Couar. var. c. 1. & communiter DD. docent, non semper esse mortale, adhuc circa ea ad quæ respondere tenetur, & meritò, quia quamuis materia circa quam versatur, subsit iudicio, non tamen semper est grauis formaliter, seu vt subest iudicio, quia nõ semper est grauiter necessaria ad iudicium, sed tantum quando id exigit bonum commune, aut bonum graue partis læsæ.

Et ad rationem Caiet. respondemus, quòd quamuis iudicium mendacio innitens falsificetur, in hoc tamen non semper reperitur grauis deformitas, nisi quando falsificatur in re grauiter necessaria.

Diffi. VIII. Quibus vijs, seu modis Reus, & testis, qui non tenentur fateri, possint licitè occultare, seu negare veritatem?

SVPPONIMVS Duobus modis posse veritatẽ occultare, nẽpè, aut æquiuocatione exteriori, seu verbis æquiuocis, aut restrictione mentali.

Conueniunt ergo DD. subditum, siue Reum, siue testem contra ordinem iuris interrogatum, posse licitè veritatem occultare verbis æquiuocis, quãuis eis iudex decipiatur, quia ea deceptio est passiua, & sibi soli imputanda, quia subditus ab eo coactus veritatem, quam manifestare, non tenetur, nequit aliter occultare, & idem est, vt aduertunt Suar. de iuramento, lib. 3. c. 10. Valenc. & alij, quando quis extra iudicium importunè, quamuis non iniustè cogitur manifestare veritatem, quam manifestare non expedit, quia ex eius manifestatione incommodum aliquod orietur.

Est tamen difficultas, an subditus possit licitè vti restrictione interius addita verbis vniuocis, v. g. non feci, non vidi, sub intelligendo interius, seu mentaliter aliquid, quo verbum exterius fiat verum, nempè, vel, *vt dicam tibi*, vel *tali tempore*, vel *in tali loco*, mentaliter assignando aliud tempus, vel alium locum.

Sotus 5. de iustitia, quæst. 6. art. 2. Couarr & Aragon docét, non posse, quia id est apertum mēdacium, quia scienter, proferūtur verba contradicentia veritati.

Bañez, & Salon, quæst. 69. art. 2. Lessius capit. 42. dub. 9. Nauarr. Valenc. Toletus, Suarez, & communiter Doctores docent, posse & meritò, quia verba exteriora non proferuntur, vt integra propositio quā intendatur aliquid perfectè, & vltimatè significari, sed tatum proferuntur, vt pars qua significetur pars aliqua eius, quod intenditur integre significari: quia subditus respódens, *non feci*, intendit significare, quod non fecerit hodie cuius vnam partem exterius exprimit, nempè, *non feci*, & alteram interius tantum, nempe, *hodie*, totum autem hoc coniunctum est verum, sicut quando Christus Ioann. 7. dixit: *Ego non ascendam ad diem festum*, id protulit, non vt perfectam propositionem, sed vt partem, cui interius addidit, vel *publicè sicut soleo*, vel *vobiscū*, vel *nūc*. Vndè in prolatione eorū verborū nō reperitur mēdacium (& consequenter nec periurium, quamuis iuramento confirmetur) quia ea verba, vt proferuntur, non contradicunt veritati, quia proferuntur, vt pars propositionis veræ, & non vt totalis propositio.

Prædicta autem doctrina est vera, quamuis absque rationabili causa sic proferantur: nihilominus quamuis tunc non sit mendacium (& consequenter, nec periurium, quamuis iuramento cōfirmetur) erit tamen contra veritatem, quia tunc proferens decipit actiuè, quia non est causa ob quam alter cum quo loquitur, quamuis prudenter segerat, suspendat assensum, vt non decipiatur: & quamuis iuramentum ei superadditum non sit periurium, est tamen irrreligiosum (quamuis tantum leuiter, seu venialiter) quia rei vanæ adiungitur.

(?.)

Diffi.

Difficult. IX. Vtrùm Reus teneatur obedire sententiæ re ipsa iniustæ, latæ tamen secundum allegata, & probata?

CONVENIVNT Cōmuniter DD. sententiā re ipsa iniustā, quāuis iustā secūdū allegata, & probata nō tenere re ipsa, seu in foro cōscientiæ, idest, re ipsa non tribuere, nec auferre ius, nec obligationem in foro conscientiæ inducere, quia fundatur in falsa præsumptione in eo casu singulari, & ideo ruit, sicut & eius fundamentum. Vndè, qui per sententiam re ipsa iniustam priuatur re aliqua, vt legato, vel mulctatur pecunia, nō tenetur in foro cōscientiæ ad solutionem, & ille cui applicata est, tenetur ad restitutionem illius.

Doctrinam dictam existimamus verā, vt optimè Sot. 3. de iust. q. 4 art. 5. Less. c. 31. dub. 4. Valenc. Salon, & Arag. quāuis pars condemnata non appellet (quidquid dicant Innoc. & Panorm.) quia ob eam omissionem non amittit suum ius, quamuis in foro exteriori tempore transacto non admittatur appellatio, nec ex eo quòd non appellet visus est cedere iuri suo, quia regula illa, *qui tacet consentire videtur*, intelligitur, vel de superioribus, vel si etiam de priuatis tunc solum, quando possunt, & debent nō tacere, vel si etiam extra hunc casum, tamen in eis tantum rebus, quæ non cedunt in damnum proprium, vt aduertit Salon.

Sot, tamen Lessius, Valenc. Arag. & Bañez excipiunt à dicta communi doctrina sententiam, qua quis priuatur beneficio, quam existimant tenere etiam in foro conscientiæ, & consequenter alterum, cui beneficium confertur, illud tuta conscientia retinere, quod etiam extendit Bañ. ad sententiam declaratoriam, qua vnus ex litigantibus declaratur beneficiarius, seu habuisse ius acquisitum ad beneficium, & Less. ad sententiam qua quis priuatur officio sęculari, immeritò tamē fiunt prædictæ exceptiones, quia omnium sententiarū eadē est ratio, quia omnes, siue circa hanc, siue circa illā materiā innituntur falsæ præsumptioni in casu singulari, ex qua iudex, nec intēdit, nec potest obligare, vt optimè Vazq. 1. 2. disp. 175. c. vlt. quamuis ob commune bonum aliquādo, quādo necessarium sit ad bonum commune, possit circa aliquas materias ex ea præsumptione proferre sententiam, & eam exequi.

Nihilominus beneficiarij,& alij officiales,quamuis per eam sententiam re ipsa iniustam facti, & ideo eis deficiat vera iurisdictio,poterunt in suis iudicijs validè procedere ratione tituli colorati communi errore existimati, qualis ea sententia confertur.

Difficult. X. Vtrùm reo liceat superiorem appellare?

CONVENIVNT Primò,DD.quòd à sententia iusta absq; opinione,aut dubio rationabili in oppositum nō liceat Reo appellare,quia id nullo iure conceditur.Vndè tunc Reus non solum est inobediens iudici à cuius sententia appellat, sed etiam iniuriam infert parti aduersæ, & ei tenetur recompensare omnes expensas,& alia damna ex appellatione illi accrescentia. Bañez tamē art.3.existimat,quòd licitum sit ab ea supplicare, quod nos approbamus,si sit locus misericordiæ, & mitigationi,& si sit spes aliqua eam impetrandi.

Conueniunt secundò,quòd à sententia re ipsa iniusta cognita,absque dubio rationabili in oppositum posfit reus appellare, quamuis sit iusta secundum allegata,& probata, quando reo superest noua probatio iuris,aut facti,quam non potuit in tempore proponere,imò etiam potest appellare, quando dubium est, an sententia sit iusta,vt aduertunt Sotus, Aragon,& Valentia,saltem ex voluntate superiorum,qui nolunt quod tunc facta appellatione inferiores obligentur.

Est tamen difficultas,an quando circa causam litis sunt variæ opiniones probabiles,& reus scit superiorem ad quem appellandum est amplecti opinionem sibi fauentem,posfit appellare ad illum à sententia contra se latam, iuxta opinionem probabilem?

Sot.5.de iustitia quæst.6.art.3.& Aragon, quæst. 69. art. 3. docent,quòd non posfit,quia delicta manebunt impunita, quia iudices dilatione corrumpuntur.

Bañ.verò,& Salon,q.69.art.3.docent,quòd posfit & meritò,quia ea appellatio non est moratoria, & frustratoria, quia fit cum spe consequendi sententiam fauorabilem,iure autem Cæsareo,& etiam Canonico,cap.*quicumque*,2.quæst.6.sola appellatio mora-

moratoria reijcitur. Addimus, posse à reo fieri appellationem, quamuis opinio superioris ad quem fit appellatio sit minus probabilis: quia quamuis talis, tamen secundum eam potest superior sententiam ferre, imò posse reum appellare, quamuis ipsi non constet, quam opinionem ex eis sequuturus sit superior, quia hic fortè amplectetur opinionem reo appellanti fauentem.

Nec ex eo, quòd in casibus dictis possit appellari, fiet quod delicta maneant impunita, quia ad minus punientur, quando res est absque opinione, & sæpè quando circa eam sunt oppositæ opiniones, nec ex eo quod res differatur iudices sunt regulariter corrumpendi, & si aliquando id contingat.

Obseruandum est, Religiosis ob eorum decorem, & tranquilitatem prohibitum esse appellare à suis Prælatis, ad extraneos in cap. *ad nostram*, & in cap. *irreprahensibilis*, & in cap. *cum speciali*, de appellationibus, non tamen ad alios Prælatos superiores eiusdem Religionis, si tamen hi grauamen, seu iniuriam nõ auferunt, licitum est Religiosis ad extraneos, eorum tamen iudices competentes, vt ad Romanum Pontificem, & ad Nuntiũ appellare. De hac tamen re legatur Sancius in Sum. lib. 6. cap. 8. q. vltima.

Difficult. XI. Vtrùm reo ad mortem damnato liceat vi, & armis à iudice, & ab eius ministris se defendere?

CONVENIVNT DD. quòd reus damnatus ad mortem possit, quando sententia est re ipsa iniusta, & secundum allegata, & probata, vel quia pœna excedit culpam probatam, vel quia culpa non est sufficienter probata, quamuis ad id sit necessarium iudicem, & eius ministros occidere, quia eum iniustè inuadunt in re tanti momenti, & id etiam potest, vt optimè Vazquez, 1.2. disput. 174. capit. 1. quando damnatus est ad infamiam, vel ad triremes, vel ad amissionem rei familiaris notabilis valoris, quia tunc eum inuadunt iniustè in re notabilis momenti.

Est tamen difficultas, an reus innocens, qui re ipsa iniustè damnatur ad mortem, iuste tamen iuxta allegata, & pro-

bata posſit vi, & armis ſe defendere à iudice, & ab eius miniſtris.

Arag. & Salon quæſt. 69. art. 4. Couarr. lib. 1. variar. cap. 2. num. 13. Leſsius cap. 21. dub. 4. Suar. lib. 5. de legis, cap. 10. & Bonacin. diſp. 10. quæſt. 3. punct. 2. docent. quòd nō poſsit (quod certum exiſtimat Vazq.) quia iudex quamuis ſciat reum eſſe innocentem, poteſt imo & tenetur eum condemnare, & eius miniſtri ſententiam exequi, ergo ei nullam inferunt iniuriam, ergo nequit ſe ab eis cum ipſorum iniuria defendere.

Bañez verò, q. 64. art. 4. Valenc. diſp. 5. q. 13. punct. 4. Angles, quæſt. de reſt. in iudicio, dif. 3. dub. 2. Ledeſma tract. de iuſt. commutatiua cap. 8. concluſ. 8. Villalob. tract. 16. de reo, cap. 9. Pariſ. à Puteo, Lucas Pen. & Hypollitus, quod refert Couarr. docent, quòd poſsit adhuc iudicem, & eius miniſtros occidendo, ſi neceſſarium ſit, quod dicitur docuiſſe Franciſ. Victoria, & non diſplicet Becano, quæſt. 3. circa quæſt. 69. nec Leſsio vbi ſupra, & merito, quia vt diximus diſp. 1. dif. 7. abſque iniuſtitia in innocentem nequit iudex, nec eius miniſtri eum occidere, imò nec mutilare, ergo vi, & armis poteſt eam iniuſtitiam propulſare, etiā ſi iudex, & eius miniſtri innocentiam illius ignorent, ſicut poteſt innocens vi ſe defendere ab inuaſore furioſo, & etiam ab exiſtimante inuincibiliter, quod poſsit ipſum occidere, imò & mutilare. Ex quo patet ad rationem aduerſariorum, id autē poteſt reus, ſi poſsit abſque Reipublicæ perturbatione, & abſque ſcandalo.

Sed quamuis vi, & armis poſsit ſe in cauſa mortis, & mutilationis membri defendere, non tamen in reliquis cauſis, quia in aliis, vt diximus diſput. 1. difficult. 8. iudex & eius miniſtri nullam ei irrogant iniuſtitiam, quia etiam ſi cognoſcant innocentiam illius poſſunt, imò & tenentur ſic ſe gerere, ac proinde non inuaditur iniuſtè ab illis.

Diffi. XII. Vtrùm reus ita parere debeat ſententiæ iuſtæ, vt ad eius executionē teneatur?

COVAR. Lib. 1. var. c. 2. n. 1. docent reum ad nullius pœnæ, adhuc non corporalis executionem teneri, ſed tantū ad eā ſuſtinendam, quia rigidum ſit, quod idem ſit patiens & actor reus & executor, ex quo infert condemnatum ad exilium non teneri.

neri in exilium exire,& condemnatum ad pecuniam non teneri eam soluere,nisi ab ipso exigatur.

Corduba lib. 1. q. 36. ad 3. ex opposito existimat condemnatum ad pœnam,non solum non corporalem,vt exilij, & solutionis pecuniæ,sed etiam ad corporalem,adhuc mortis sibi inferendam, vt si condemnetur,vt bibat venenum,teneri ad executionē illius,quia etiam condemnatio ad inferendam sibi pœnam corporalem, adhuc mortis potest esse iusta pro qualitate criminis, & personæ,ergo reus obligari potest vt ei obediat.

Sotus verò,lib. 1. quæst. 6. art. 6. & Vazquez 1. 2. disp. 173. cap. 9. docent,& meritò,condemnatum ad pœnam mortis, aut mutilationis non teneri ad executionem illius. Condemnatum verò ad pœnam corporalē minorem teneri ad executionem illius,si ad executionem illius condemnetur,& multò melius condemnatum ad pœnam non corporalem teneri ad executionem illius.

Et in primis,condemnatum ad pœnam mortis, aut mutilationis,non teneri ad executionem illius. Probatur,quia non condemnatur ad executionem illius,sed tantum ad eam sustinendā. Imò nequit ad executionem illius condemnari,nisi raro, quia ea pœna ex modo sibi inferendi regulariter est crudelis, & inhumana,nisi quando suauificatur, vel ex optione rei, vt euitet pœnam crudeliorem,vel quia maximè expediat reum secreto occidi, & nequeat secreto fieri ab altero,quia tunc non esset crudele reum ad executionem mortis obligare media sumptione veneni, vel aliter.

Deinde condemnatum ad pœnam corporalem minus graue, vt flagellorum,& ieiunij,teneri ad eius executionem, si ad eam condemnetur. Probatur, quia executio illius, nec ex obiecto, nec ex modo est crudelis,nec insolita,quia eam homines passim assumunt,ergo si aliàs sit delicto proportionata,& iusta,vt esse potest obediendum est. Vndè,qui condemnatur, vt ieiunet, tenetur ieiunare.

Tandem condemnatum ad pœnam non corporalem,v.g. exilij,& solutionis pecuniæ obligari ad executionem illius. Probatur,quia ex vna parte condemnatur ad executionem illius, & ex altera non est rigida, & inhumana, ergo si aliàs sit iusta,& delicto proportionata,vt esse potest, ei tenetur obedire.

Difficult. XIII. Vtrùm Reus poßit licitè cooperari ad pœnam iustam mortis, quamuis nequeat ad id obligari?

CONVENIVNT DD. Reum damnatum ad mortem, posse ad eam remotè, & per accidens cooperari, vt scalam ascendendo, & laqueum gutturi applicando, quia id nihil habet crudelitatis. Imò Couar. primo variar. cap. 2. addit id fieri posse, etiam quando quis damnatus est iniustè, vt faciebant Martyres, quia vbi non est spes euadendi laudabilius est mortem alacriter subire, quàm inuitum trahi.

Est tamen difficultas, an damnato iuste ad mortem, liceat ad eam immediatè, & per se cooperari, vt se iugulando, aut suspendendo, aut abstinendo à cibo oblato.

Couarr. existimat, id non esse licitum Reo, vel quia id est crudele contra clementiam, vel temerarium contra fortitudinem.

Corduba lib. 1. q. 36. & Victoria, existimant, id esse licitum Reo, quia ea sententia est iusta, ad iustum autem licitum est immediate cooperari.

Sotus lib. 5. quæst. 6. art. 4. existimat, condemnatum vt fame pereat, posse licitè abstinere à cibo oblato; non tamen posse seipsum iugulare, nec posse venenum sumere, quamuis ad id condemnetur, vbi eam rationem, & id discrimen insinuare videtur, quia scilicet, qui non sumit cibum oblatum, non se occidit positiuè, bene tamen, qui seipsum iugulat, & qui venenum sumit.

Vazquez verò, 1. 2. disp. 173. cap. vltim. existimat, tunc non posse licitè cooperari immediatè, & per se, & positiuè ad pœnam mortis, quoties ea cooperatio est crudelis, & inhumana, & meritò, quia tunc id nō fiet absque seuitia, & crudelitate, que est cōtra virtutem clementiæ.

Tunc autem cooperatio immediata, & positiua ad mortem, imò & ad mutilationē membri censenda est crudelis, & cōtra clementiam, quoties non fit, vel optione Rei ad euitandam mortem crudeliorem, vel ob aliquam maximam vtilitatem, vt quando maximè expedit Reum secreto occidi, & non potest sic fieri, nisi fiat ab ipso Reo. Vndè executio, & cooperatio positiua

ad

ad mortem propriam, non semper est crudelis. Ex quo constat ad rationem Couarr. & quamuis damnatio ad substinendam pœnam mortis sit iusta, non tamen est semper iustum ad eam damnatum positiuè cooperari. Ex quoconstat ad rationem Cordubæ.

Addimus, abstinere se à cibo ablato, esse seipsum positiuè occidere, quia deficiente alimento propria principia intrinseca corrumpunt humidum radicale, & substantiam.

Difficult. XIIII. Vtrùm, Reus possit è carcere fugere?

CONVENIVNT DD. quòd si sententia contra Reum lata sit iniusta, aut talis prudenter timeatur ferenda, possit è carcere fugere, quamuis custodi carceris damnũ immineat, quia tunc Reus vtitur iure suo, & damnum non infertur ab ipso, sed per accidens sequitur, imò si necessarium sit, posse carcerem effringere, & vim inferre custodi, quamuis ignoranter procedẽti, vt ab iniustitia sibi imminente liberetur.

Est tamen difficultas de Reo, qui legitimè in carcere detinetur absque timore prudente sententiæ iniustæ latæ, & ferendæ, an possit è carcere fugere?

Bartolus, & Abbas, vt refert Vazquez 1. 2. disp. 174. cap. 2. docuerunt, non posse, quia iure quasi seruitutis est carceri addictus.

Caietan. verò, Salon, & Aragon, q. 69. art. 4. Vazquez disp. 173. Lessius cap. 31. dub. 5. Bonacina q. 3. punct. 2. num. 13. & communiter DD. docent, posse fugere, & meritò, quia Reo non pręcipitur manere in carcere, sed in eo violenter detinetur (quãuis iustè) non quasi in seruitute, vt falso existimant aduersarij, sed in custodia, vt executione sententiæ puniatur. Quod communiter DD. & nos existimamus verum, adhuc post sententiam latam, nisi Reus fuga se substrahat ab executione sententiæ intimatæ, cui teneatur cooperari: imò tunc in rigore non peccat, quia fugit, sed quia non cooperatur ei sententiæ. Id quoque Doctores communiter, & nos, existimamus verum contra Maiorem, quamuis ex fuga damnum immineat custodi, quia ex vna parte Reus vtitur iure suo, & ex altera ipse non infert damnum illud.

DD.

DD. communiter excipiunt Religiosos à suis Prælatis incarceratos, vt nequeāt fugere extra claustra, & meritò, quia propria sponte se abdicarunt libertate vagandi: quod etiam credimus verùm, quamuis agatur de morte, quamuis pro hoc casu mortis, Bañez, Salon, & alij in oppositum, satis probabiliter inclinent.

Superest tamen controuersia. Primò, an qui damnatus est ad triremes, possit fugere?

Bañez, & Salon, art. 4. Lessius dub. 3. Sancius in Summ. lib. 6. cap. 8. & Bonacin. punct. 2. num. 14. docent, & satis probabiliter, quòd possit, & quia non damnatur, vt sponte maneat in triremibus, sed vt detineatur, & quia id est graue, & acerbum, & quia est seruitus grauior quā serui capti in bello, qui potest licitè fugere.

Caietanus verò, Azor cap. 24. dub. 2. Vazquez vbi supra, Valenc. disp. 5. q. 13. punct. 4. docent, quòd non possit, & meritò, quia ex vna parte seruire in triremibus, adhuc absque stipendio, quamuis sit graue, & acerbum, non est inhumanum & crudele: & ex altera parte, ad id iustè damnatur, ergo tenebitur ad id exequendum, dum est intra territorium Principis, à quo, vel à cuius ministris fuit damnatus, quod addimus, quia si iam sit extra, solutus manet ab obedientia illius, & ministrorum ipsius.

Ad fundamentum ergo aduersariorum, negamus Reum non damnari, vt sponte maneat, cùm damnetur, vt seruiat. Et si seruus bello captus potest fugere, vt nos existimamus, ideo est, non quia ea seruitus sit grauis, sed quia eo modo, & quasi sub ea conditione communi gentium sensu introducta est: damnatio verò ad triremes, facta est absolutè, & absque ea conditione.

Secundò, est controuersia, an damnatus ad carcerem perpetuum possit fugere? Bañez, Salon, Lessius, Sancius, Saa, & Bonacina, docent, & satis probabiliter, quòd possit, quia est damnatio dura.

Caiet. verò, Sotus, Azor, Vazquez, Valencia, & Couarr. docent, quòd nō possit, & meritò, quia quamuis sit dura damnatio, non tamen est inhumana & crudelis, & potest iustè fieri; ergo si iustè fiat, tenebitur Reus ad ei obediendum.

Quod si damnatus ad carcerem perpetuum non potest fugere, multo minus poterit damnatus ad carcerem temporaneum, vt contra Syluestrum, Caiet. Couar. Sotum, & Azor, docent Lessius, Angelus, Saa, Bonacina, & reliqui, qui id sentiunt de damnato ad carcerem perpetuum, quia carcer temporaneus est pœna

na

na multo minus grauis, quàm carcer perpetuus; quod vt optimè Caiet. & Valenc. verum existimamus contra Syluest. Sotum, & Lessium, quamuis simul damnetur ad mortẽ, si aliàs tota ea pœna sit iusta delicto proportionata, quia etiã in eo casu non fugere non est inhumanum & crudele, & id potest Reus laudabiliter facere, expectans mortem, cuius est dignus.

Difficultas XV. Vtrùm licitum sit Reo fugere, vincula, & carcerem confringendo?

DIFFICVLTAS Hæc procedit inter eos, qui existimant Reum posse è carcere fugere.

Couarr. primo variar. cap. 2. nu. 13. Syluest. & Angelus, verbo, *fugere*, Maior, & Rosella, docent, quòd non possit eo modo fugere. Primò, quia eorum effractione iniuria irrogatur iudici, sicut quando infertur vis custodibus, quia iudex vtrisque vtitur tanquam instrumentis. Secundò, quia si id posset licitè fieri, non posset ita grauiter puniri. Tertiò, quia tenetur ad restitutionem damni effractione ipsa illati, ergo effractio illa est culpabilis.

Caiet. verò, Bañez, Salon, & Aragon, q. 69. art. 4. Nauar. cap. 17. num. 102. Valencia, Vazquez, & Bonacina, q. 3. punct. 2. nu. 16. docent, quòd possit eo modo fugere, & meritò, quia ea effractione nullam irrogat iniuriam iudici, nec custodi carceris, quia ea effractione nullũ illis damnũ in honore infert, vt patet, nec in alio: damnũ verò tẽporale, quod effractione carceris, & vinculorũ fit Reipublicæ, cuius ea sunt, non obstat, vel quia restituendum est si debeat restitui, vt credimus, & existimãt Caiet. Sotus, Salõ, Aragon, Nauarr. Toletus, & Bonac. num. 17. vel quia non debet restitui, vt existimant Valenc. Clauis Regia, Bañez, & Reginald. lib. 24. nu. 152. quia fuga est licita Reo, & consequenter ea effractio, quia est medium necessarium ad fugam.

Ad priamm ergo rationem aduersariorum respondemus, quòd etiam si quandò infertur vis custodi fiat iniuria, non solum ipsi, vt patet, sed etiam iudici, qui vtitur custode tanquam instrumento rationali authoritate à iudice accepta; quando verò effrin-

gun-

guntur vincula,& carcer,nulla fit iudici iniuria, quia nullam habent à iudice authoritatem.

Ad secundam concedimus,effractionem carceris posse grauiter puniri absque culpa, quia adest rationabilis causa ad id, nempè, vt ob timorem punitionis custodia carceris sit maior.

Ad tertiam concedimus antecedens(quamuis prædicti illud negent)negamus tamen consequentiam,quia non tenetur ratione iniustæ acceptionis,vel destructionis,seu ratione culpæ,sed tãtum ratione rei,quasi acceptæ,nempè,ratione rei ab ipso destructæ in sui commodum.

Existimamus tamen,Reum quamuis condemnatum ad mortem non posse licitè fugere inferendo damnum admodum notabile, quod nequeat restituere, quia tunc dominus erit rationabiliter inuitus, quia æquum non est, vt tantum damnum patiatur à Reo, qui iustè damnatus est,quamuis ad mortem, vt eam fugiat; secus est quando damnum non sit tantum,& Reus damnatus sit ad mortem,imò quamuis solum sit ad triremes, vel ad flagella.

Addimus(quidquid Vazq.dicat)vt optimè Salon, Aragon, Lessius,Reginaldus,Saa,& Bonacin.num.18. Reum qui fugit, effringendo carcerem, etiam si occasione inde inuenta fugiant, alij detenti ob debita pecuniaria, & ideo non soluat, non teneri ad satisfactionem aliquam creditoribus,quia Reus non infert dãnum illud creditoribus, sed tantum sequitur per accidens ex ea effractione ad quam Reus habet ius.

Difficultas XVI. Vtrùm licitum sit opem ferrè incarcerato,qui licitè potest fugere, vt fugiat?

DOCTORES Qui existimant, Reum posse licitè fugere conueniunt. Primò, quòd nec iudici, nec custodi, nec alijs,ministris iudicis licitum sit opem ferrè Reo, imò nec ei consilium præbere, vt fugiat, quia ex suo officio tenentur,quantum possint illum in custodia tenere.

Conueniunt secundò, quòd cuicumque alij distincto à prædictis

dictis licitum sit consulere, & suadere Reo fugam, & effractionē carceris licitam, & modū quo id faciat, quia consilium, & suasio est quædam actio instrumentaria, & secundaria, quæ nequit aliunde tanquam ex obiecto malitiam sumere, quàm ex actione principali ad quam dirigitur.

Conueniunt tertiò, quòd nullus nisi Reus possit se solo, seu vt causa totalis carcerem, & vincula effringere, aliàs custodia carceris mille pateret in cursibus, & nihil esset in Republica tutum.

Conueniunt quartò (forsan excepto Angelo, verbo, fugere) quòd nulli liceat cooperari cum Reo, seu eum proprijs manibus iuuare ad effractionē carceris, nec vinculorū, quia qui sic cooperatur, & iuuat est causa principalis, & primaria, & immediata effractionis (quamuis non totalis, sed partialis) ac proinde malitia, aut bonitas illius non tantum debet sumi ex actione Rei, ad quā iuuat, & partialiter cooperatur, sed etiam ex ipsa actione respectu ipsius cooperantis, quia hic etiam est causa principalis, & immediata, & primaria: actio autem hæc respectu ipsius cooperantis nequit esse licita, sicut est Reo, quia ipsi cooperanti non imminet pœna, sicut imminet Reo, ob quod id est Reo licitum.

Est tamen difficultas, an alijs à ministris licitum sit tribuere Reo instrumenta ad dictam effractionem.

Sotus lib. 5. quæst. 6. art. 6. Valen. disp. 5. q. 13. punct. 4. Toler. lib. 5. cap. 58. & Syluester, verbo, fugere, docent, quòd non sit licitum, quia si esset licitum magna esset in Republica perturbatio, & nihil esset in ea tutum.

Caietan. verò, quæst. 69. artic. 5. Bañez, Salon, & Aragon, artic. 4. Vazquez 1. 2. disput. 174. capit. 5. Turrianus disput. 51. dubio 3. & Bonacina puncto 2. numer. 19. docent, quòd sit licitum, & meritò, quia præbens instrumenta ad aliquam principalem actionem non committit aliud peccatum, quam quod est in ipsa principali actione, quia ad hanc exhibitio illa instrumentorum tanquam instrumentaria, & secundaria dirigitur, ergo si Reo licita est dicta effractio, etiam erit cuicumque alij, cui ex suo officio, non repugnet exhibitio instrumentorum ad illam, nec ex eo custodia carceris fit infirma, quia contra eam exhibitionem instrumentorum regulariter sufficit mediocris vigilantia custodis, ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Et

Et ob dictam rationem etiam est licitũ præbere Reo equum ad fugiendum, quia scilicet ea exhibitio est actio instrumentaria, & mediata, & secundaria, directa ad fugam licitam.

Difficult. XVII. Vtrùm Reus incarceratus teneatur fugere, si posit?

CONVENIVNT DD. iustè damnatum, vel damnandum, ad huc ad mortem non teneri fugere, quia ex eo quod non fugiat non operatur actiuè, sed tantum se habet paßiuè ad mortem quam potius ex insigni patientia expectat, quam prodigat vitam, quia dignus est morte.

Difficultas ergo tantum est, an teneatur, quando iniustè damnatus est, aut damnandus ad mortem.

Ratio difficultatis pro parte negatiua est, quia innocens laudabiliter permittit se occidi ab iniquo inuasore, ergo etiam incarceratus, id poterit permittere, & expectare.

Nihilominus, Vazq. 1.2. disp. 174. c. 4. Turrian. disput. 51. dub. 3. & Couar. 1. var. c. 2. n. 10. docēt, quòd teneatur fugere (excepto incarcerato ob causam fidei, vel ob aliam causam extrinsecam distinctam à patientia) quia tunc vitam prodigeret absque vtilitate aliqua, & ob eandem rationem tenetur appellare (vt aduertunt prædicti) si ea via se liberare potest. Et idem dicendum est, vt aduertunt Vazq. & Turrian. quando sententia est infamiæ, quia infamia nequit absque rationabili, & cõsiderabili causa prodigi. Addimus, posse in causa mortis, & in causa infamiæ non fugere, quando sententia est iusta secundum allegata, & probata, quamuis re ipsa sit iniusta, quia tunc adest causa rationabilis ad expectandam executionem sententiæ, nempè, vt ordo iuris seruetur, teneri tamen appellare, si ea via se poßit liberare.

Ad rationem autem difficultatis respondemus, tunc solum posse inuasum permittere se occidi ab inuasore, quando vt ab eo non occidatur, necessarium est eum occidere, ne eum occidat in peccato, quia si inuasus poßit fuga propria absque occisione inuasoris non potest id permittere.

Difficult. XVIII. Vtrùm Reo damnato ad pœnam corporalem licitum sit donis corrumpere custodem carceris, vt sinat eum fugere?

AZOR Lib. 13. dub. 3. Bonac. punct. 2. n. 21. & alij, docent, & meritò, non esse licitum Reo tradere custodi carceris donū aliquod directè petendo, vt sibi locum fugę concedat, vel permittat, quia id est inducere, seu prouocare custodem ad illicitum, seu peccatum, imò vt aduertit Azór non est licitum illi tradere donū ea intentione, vt concedat, vel permittat locum fugiendi, quia id est apponere medium, animo seu intentione inducendi custodem ad id quod est ipsi illicitum.

Addunt Azor, Angelus, Tabiena, Filliucius, Clauis Regia, & Bonac. incarcerato licitum esse tradere custodi donum, ad captādam eius beneuolentiam, quod nos verum existimamus, dum incarceratus media ea beneuolentia eo dono captanda non intendat, quod custos permittat fugam ipsius incarcerati, quod difficile est non intendere.

Diffi. XIX. Vtrùm Reus, qui iudici, aut custodi iurauit ad carcerem redire, teneatur eo iuramento?

CONVENIVNT DD. quòd quando carcer est iustus, & nō timetur iniusta sententia redeundum est vi iuramenti, quia tunc redire non est aliàs illicitum, imò potius est actus patientiæ, & quod etiam teneatur ex fidelitate, si id promisit, & ex ea sola, si non iurauit.

Est tamen diffic. an teneatur redire, quando carcer est iniustus, aut si est iustus, timetur tamen iniusta sententia?

Vazq. 1. 2. disp. 174. c. 5. docet, quòd in neutro casu redire teneatur, quia in neutro redire est actus virtutis, quia non est virtutis patientiæ, quia absque causa se offert iniustitiæ, nec est fidelitatis, quia tyranno, & iniustè postulanti fidem non est fides seruāda: imò redire potius videtur peccatum temeritatis, aut prodigalitatis, aut pusillanimitatis, quia fit absque causa honesta. Huic sententiæ consentit Nauar. c. 12. n. 18. quando carcer est iniustus.

Rr Caiet.

Caiet. verò, q. 84. art. 7. Suarez de iuramento, lib. 2. Toletus lib. 4. cap. 22. & Lessius cap. 42. docent, quòd in vtroque casu redire teneatur, & meritò, quia tunc redire non solum est licitum quôd sufficeret ad obligationem iuramenti, sed etiam est honestum, aut ex virtute fortitudinis, aut patientiæ, quia eo reditu completur redemptio maioris vexationis propriæ, quæ ab ipso iuramento, etiam cùm intentione implendi facto, fuit honestè inchoata, quia pro reditu, qui quando fit promissio, & iuramentum, nequit fieri, quia Reus nondum est extra carcerem, substituitur promissio, & iuramentum, ergo ex iuramento obligatur ad redeundum, sicut obligatur, qui iurauit latroni inuadenti reddere pecunias, ne ab eo occidatur; quia hæc redditio pecuniarum perficit redemptionem vexationis inchoatam à iuramento, quæ licitè fit, sicut licitè fieret tempore, quo inuaditur à latrone, ne ab eo occidatur. Huic sententiæ consentit Nauarr. quando carcer est iustus, quamuis timeatur iniusta sententia.

Ad rationem ergo, in oppositum constat, reditum ad carcerem iniustum, siue ratione sui, siue ratione sententiæ iniustæ quæ timetur, non solum esse licitum quòd sufficeret, sed etiam esse virtutis, aut fortitudinis, aut patientiæ, aut vtriusque, quia ex causa honesta se offert ad tolerandum: imò etiam erit fidelitatis, si promisit adhuc sine iuramẽto, quamuis ex ea non obligetur, quia tyranno etiam si possit fides seruari, non tamen est obligatio seruandi illam.

Difficult. XX. Vtrùm Reus possit sibi graue crimen falsò imponere, vt euitet grauia tormenta?

SVPPONIMVS, Quòd ea falsa impositio ad minus sit venialis contra veracitatem, & etiam quòd sit mortalis sacrilegij, si fiat cum iuramento, nisi Reus (vt potest ad euitanda grauia tormenta) se vindicet à mendacio restrictione aliqua mentali, aut æquiuocatione exteriori, quia tunc nec erit peccatum mendacij, nec sacrilegij, quamuis fiat cum iuramento.

Est tamen difficultas, an ea falsa impositio præter malitiam mendacij, & sacrilegij, si fiat cum iuramento, nec excusetur,

vt

vt potest, sit etiam mala, seu peccatum, quatenus est infamatio sui?

Caietan. quæst. 75. art. 2. Nauarr. cap. 18. num. 28. Molina disp. 37. & Reginaldus, docent, eam falsam impositionem, quatenus infamationem sui, esse peccatum mortale, quia est contra beneuolentiam sui in re graui; & contra iustitiam, in Rempublicam: quia non est dominus suæ famæ, sed Respublica.

Nauarr. verò, qui loquitur in causa mortis, quando scilicet Reus ob eam falsam impositionem occidendus est, id probat, quia id est præbere causam suæ occisioni.

Sotus verò, libro 5. de iustitia, quæst. 1. artic. 6. Corduba quæst. 3. concl. 4. dub. 2. Adrianus quodlibeto 11. Toletus lib. 5. cap. 66. Nauarr. lib. 2. cap. 4. num. 153. Bonacina disp. 2. quæst. 4. puncto 10. & Lessius cap. 51. dub. 7. docent, & meritò, eam falsam impositionem non esse peccatum, adhuc veniale, pusillanimitatis, ratione infamationis, quia ex causa satis rationabili, nempè, vt euitet grauia tormenta, aufert sibi famam: nec esse peccatum adhuc veniale, temeritatis contra fortitudinem, quamuis Reus ob eam falsam impositionem sit occidendus, quia vita non est digna tanto tormentorum cruciatu; non enim est digna tanto dolore salus: in ea ergo falsa impositione, nulla reperitur malitia, nec pusillanimitatis ex infamatione, nec temeritatis ex periculo mortis, quamuis reperiatur malitia mendacij, & malitia sacrilegij, quando non se vindicat ab eis. Ex quo deducimus, Reum non teneri postea illud reuocare, quamuis profuturum sit adhuc, vt familia non maneat infamata, si prudenter timet, quod iterum torquendus sit, imò nec ad id tenetur in extremo vitæ, quando iam non est torquendus, quando reuocatio non est considerabiliter profutura, sicut regulariter non prodest.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, eam falsam impositionem, vt infamationem sui non esse contra propriam beneuolentiam, nisi fiat ex displicentia sui, præter quam quod beneuolentia propria non est specialis virtus, vt diximus tractat. de spe, disput. 1. difficul. 5. & quamuis aliàs esset contra beneuolentiam propriam, non tamen posita ea circunstantia vitādi grauia tormenta; nec esse contra iustitiam, quia nullus nisi ipse est dominus suæ famæ, sed ex suo obiecto, quando nulla adest rationabilis causa, esse pusillanimitatē quandam cōtra magnanimitatē, quę pusillanimitas quāuis sit magna, nequit esse mortalis:

& quando adest aliqua rationabilis causa nullam in ea impositione reperiri malitiam pusillanimitatis ex informatione, nec temeritatis ex periculo vitæ, quia ex rationabili causa ei periculo se exponit, nec ex eo dicitur in rigore causa suæ mortis, sed se exponere periculo illius, quod ex rationabili causa fieri potest, sicut se exponere telis inimicorum, vt acerbissima tormenta euitet.

Et non solũ potest quis absque infamationis malitia, & temeritatis, crimẽ sibi falso imponere ad vitanda grauia tormenta propria, sed etiam ad euitanda grauia tormenta, vel mortem patris, vel amici, vt aduertit Sotus de tegendo secreto, membro 1. q. 3. conclus. 6. quia tunc ex causa satis rationabili aufert sibi famam, & se exponit periculo mortis si ei se exponit.

Sed quamuis possit quis sibi crimen falso imponere absque malitia infamationis, & temeritatis ad euitanda grauia tormenta, nequit tamen ad ea vitanda illud alteri falso imponere absq; malitia infamationis, & homicidij, si ob eam impositionem alter est occidendus; poterit tamen crimen occultum manifestare, quamuis illud nouerit sub secreto (excepto secreto cõfessionis) quia seruare secretum, non obligat cum tãto incommodo, ac proinde quando in promissione seruandi secretum non exprimitur iste casus, censetur promisisse sub ea tacita conditione, nempè, nisi illud seruare futurum sit grauiter perniciosum.

DISPVTATIO QVINTA.
De Aduocato.

Difficult. I. Vtrùm quilibet possit officio Aduocati fungi?

NOMINE Aduocati etiã cõprehendimus procuratorẽ, quia ex officio vtriusque completur officium defensoris Rei.

Certum ergo est, quemlibet ex natura rei, seu iure naturali posse officio Aduocati, seu procuratoris fungi. Iure tamen humano multi sunt prohibiti eo officio fungi, nempè, infidelis, excommunicatus, infamis, damnatus crimine capitali, vel calumniator in iudicio, & qui operas locauit ad pugnandũ cũ bestia, surdi, muti, cœci, furiosi, adolescẽtes vsq; ad decimũ octauũ annuũ,

serui,

serui, fœminæ, viri, qui passi sunt muliebria, & Religiosi, nisi pro conuentu, vel Religione sua, & ex mandato Prælati. Prohibentur etiam Clerici in sacris constituti, imò & in solis minoribus, si beneficiati sint coram iudice sæculari aduocare, & procurare, nisi in propria causa, aut suæ Ecclesiæ, aut miserabilium, aut sibi carnaliter coniunctorum vsque ad quartum gradum, quando hi alium habere non possunt, vel saltem æque idoneum. A Clericis excipimus Episcopos, qui nec in his quatuor casibus possunt coram iudice sæculari aduocare, nec procurare. Coram iudice autem Ecclesiastico possunt Clerici simpliciter aduocare, & procurare etiam extra dictos quatuor casus, exceptis Presbyteris, & Episcopis, quibus id prohibetur etiam coram iudice Ecclesiastico, nisi in prædictis quatuor casibus.

Obseruandum est, quòd quamuis qui prohibitus est, aduocet, aut procuret semel, aut iterum non peccabit saltem mortaliter, quia prohibitio hæc potius prohibet vsum, seu exercitium frequens quam actum, imò nullo modo peccabit, si ad id subsistat causa aliqua aliàs honesta. De hac re videndi sunt Reginaldus, lib. 25. num. 663. Filliucius tract. 40. cap. 10. quæst. 1. Laymann. lib. 3. tract. 4. capit. 26. & Bonacina disput. 10. quæst. 3. punct. 4.

Difficult. II. Qualis debeat esse Aduocatus, vt idoneus sit ad aduocandum?

GLOSSA In l. 1. ff. de postulando, docet, non esse necessarium quod sciat literas, sicut nec vt quis sit iudex.

Aragon verò, & Salon, art. 2. docent, necessariũ esse, vt sit iurisperitia præditus, aliàs non poterit clienti patrocinari, quia id fit ab Aduocato per seipsum, secus est de iudice, qui potest per Assessorem suo munere fungi, ex quo constat ad fundamentum Glossæ.

Quantitas autem scientiæ ad aduocandum requisita pensanda est ex qualitate litis, quam defendendam, suscipit, ita vt si ex defectu peritiæ, sicut, & diligentiæ cliens patiatur damnum in lite, Aduocatus tenetur ad restitutionem damni ex lata, aut ex leui, iuxta ea quæ diximus tract. de iust. disp. 5. dif. 5. & idem suo modo dicendum est de peritia procuratoris, tabellionis, & aliorũ officialium.

Difficult. III. Qualem causam posſit Aduocatus defendendam suſcipere?

CONVENIVNT Primò DD. Aduocatum non poſſe cauſam manifeſtè iniuſtam tueri, nec proſequi, poſtquam reperta eſt iniuſta, quia tunc irrogat iniuriam parti aduerſæ adiuuando clientem ad iniuriam illam, & conſequenter Aduocatum teneri ad recompenſationem damni, & expenſarum partis aduerſæ, imò & clienti, ſi eum bona fide procedentem non admonuit, quia id omiſsit contra obligationem iuſtitiæ, quam habet ratione officij, & forſan etiam poſitiuè decepit, nec tunc quando ſcilicet reperta eſt iniuſtitia, poteſt inducere ad compoſitionem, ſi cum damno partis aduerſæ facienda eſt.

Conueniunt ſecundò DD. Aduocatum poſſe cauſam firmiorem, ſeu probabiliorē tueri, & quando cauſa pro vtraque eſt ęque probabilis poſſe partem Rei tueri. Imò communiter conueniūt, poſſe cauſam actoris defendere, ſicut tunc actor poteſt litem cōteſtari, & ad iudicem confugere.

Addimus, vt optimè Vazq. Sanc. Azor. Salas, Lorca, Monteſinus, & Sayrus, contra Sotum, Toletum, Bañez, Aragonem, Salonem, Ledeſmam, Paz, & Mercadum, poſſe Aduocatum fauere cauſæ infirmiori, ſeu minus probabili, quamuis ſit actoris, vt diximus prima ſecundæ tract. de bonitate, & malitia, diſp. 4. dif. 20. quia tunc Aduocatus prudenter procedit, quia procedit probabiliter, quod etiam eſt verum, quamuis Aduocatus habeat contrariam opinionem, quia etiā tunc prudenter procedit, imò poſſe patrocinari, quando adeſt purum dubium abſque opinione probabili, quamuis agatur de pœna Rei pro delicto, & quamuis agatur de intereſſe, dum à nullo eorum inter quos eſt dubiū, ad quē ex ipſis pertineat poſsideatur pacificè, vt diximus in ea dif. 20. & idem ſuo modo dicendum eſt de procuratore.

Difficult. IIII. Quantum ſtipendium posſit Aduocatus pro patrocinio recipere?

CONVENIVNT Doctores, quòd poſsit ſtipendium recipere, quia patrocinium eſt opus propriū aduocati, & alijs vtile,

ſed

sed non posse vltra iustum siue lege taxatum, siue communi æstimatione, quando lex deficit.

Est tamen difficultas 1. an leges aliquæ nostri Regni Castellæ super stipendio latæ nunc vigeant, & vim habeant, nempè, 11. & 12. & 18. & 19. & 21. libri 2. Recopilationis, tit. 16. quia Saloni, & alijs, placet pars affirmatiua. Turriano verò, q. 71. art. 4. & alijs, non displicet negatiua, nec nobis, quia contraria consuetudine Regibus manifesta, & tolerata censendæ sunt reuocatæ.

Et sanè quamuis dictæ legis, quibus taxatum fuit stipendiũ iustissimæ fuerint pro tempore quo latæ fuerunt, iam tamen pretia rerum ita creuerunt, vt mirum non sit etiam pretium naturale Aduocati creuisse, & consequenter dictam legẽ in primæua æquitate non perseuerare: standum ergo est stipendio, seu pretio naturali attentis circunstantijs, nempè, qualitate negotij, laboris, peritiæ, curæ, & industriæ Aduocati, & alijs ad arbitrium prudentis. Et idem suo modo dicendum est de stipendio procuratoris.

Secundò est difficultas, an Aduocatus (& idem est de procuratore) posit pacisci de stipendio?

Supponimus, licitum esse illi pacisci de tanto stipendio soluẽdo, siue causa obtineatur, siue non, quia hoc nullo iure, nec naturali, nec positiuo prohibitum est.

Est tamen difficultas, an posit pascisci de quota parte litis, seu de certa quantitate, v.g. de tertia parte eius, quod ex victoria litis prouenturum est.

Nauarr. cap. 25. n. 30. Azor lib. 13. c. 29. dub. 8. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 26. & Bonacin. q. 3. punct. 4. docent, id non esse licitum, quod credimus verum vbi ius Cæsareum habet vim, quia iure Cæsareo prohibitum est, leg. *si qui*, C. de postulationibus, & leg. *sumptus*, ff. de pactis, & leg. *litem*, C. de procuratoribus, & lege 7. ff. mandati, id autem fuit prohibitum, ne detur occasio Aduocatis, & procuratoribus procurandi victoriã per fas, & nefas.

Addunt prædicti, illicitum esse Aduocato pascisci, vt victa litè certum quid sibi soluatur, v.g. quod si ager, de quo agitur valeat mille dentur illi centum, quia id est pacisci de quota, quamuis non expresè, non tamen esse illi illicitum pascisci, quod si lis vincatur, aliquid præter stipendium illi detur in præmium, dum moderatum sit (quod à Iuris peritis palmarium dicitur) quia id nõ est pacisci de quota litis.

Tertiò, est difficultas, an Aduocatus (& idem est de procura-

tore) possit integrum stipendiũ sibi absolutè pro lite promissum recipere quando cliens litem inchoatam deserit, & non ob defectum Aduocati?

Circa quam existimamus, quòd si lis ob legitimam causam deseritur, vel quia lis reperitur iniusta, vel quia fit compositione ob difficultatem vincendi partẽ aduersam, vel ob aliam legitimã causam, non possit Aduocatus integrum stipendiũ recipere, sed partem pro rata laboris in lite, vt aduertit Azor, dub. 9. contra Bonacinam, n. 11. quia absque dubio stipendiũ illud fuit assignatum pro litè, vsque in finem perseuerante, & non etiam prò parte litis ob legitimam causam desertæ, & absque dubio ea fuit mens saltem implicita Aduocati, & clientis, quando pacti sunt de stipendio, & id exprimerent in pacto si id ipsis offerretur tempore pacti, quia pactum sic factum esset æquissimum.

Et idem credimus, quando Aduocatus ob infirmitatem, vel ob aliud impedimentum fortuitum cessat fungi suo officio, quod scilicet non possit totum stipendium recipere, sed tantùm partẽ pro rata functionis, vt etiam aduertit Azor dub. 9. contra Glos. in leg. *post duos*, C. de Aduocatis, quia casus fortuitus eueniens Aduocato non efficit partem laboris ipsius dignam integro stipendio correspondente toti labori in lite.

Difficult. V. Vtrùm Aduocatus teneatur gratis pauperibus patrocinari?

SVPPONIMVS Primò, pauperem litigantem non potentem soluere stipendium posse in lite triplicem necessitatem pati, nempè, aut extremam, vt quando ex patrocinio dependet liberatio litigantis ab iniusta morte; aut grauẽ, vt quãdo ex patrocinio dependet liberatio ab iniusta, & graui, seu dura pœna, vt à triremibus, vel à flagellatione publica, vel à priuatione magnarũ diuitiarum, aut commodorũ, vt quando ex prtrocinio dependet liberatio ab iniusta, non tamen graui, seu dura sententia.

Supponimus secundò, superfluum respectu Aduocati in patrocinio esse duplex alterum status, quia occupatio in patrocinãdo pauperi non impedit necessaria ad suum statum, alterum naturæ, quia ea occupatio non impedit necessaria ad vitę sustẽtationẽ.

His suppositis, conueniunt DD. quòd in extrema necessita-

te pauperis teneatur Aduocatus ei gratis patrocinari,quando patrocinium est Aduocato superfluum omnino,id est,vitæ,& statui, quia tunc id exigit misericordia; & quod non teneatur , quando patrocinium impedit ei necessaria ad vitam,vt patet.

Est tamen difficultas, an teneatur, quando ei impedit necessaria ad statum?

Circa quam quibusdam probabiliter videtur , quod teneatur; alijs verò,& nobis,quod non teneatur, quia rigidum est cũ tanto damno proprio obligari ad prospiciendum vitæ alienæ, quamuis arctiori quàm sit status,de quo generaliter diximus tract.de charitate,disp. 5.difficult.7.

In graui autem necessitate pauperis, non potentis soluere stipendium,conueniunt DD.non teneri Aduocatum ei patrocinari, quando patrocinium ei impedit omnino necessaria ad vitam, aut ad statum,vt patet.

Est tamen difficultas. Primò, an teneatur quando patrocinium est omnino superfluum Aduocato?

Circa quam,quibusdam probabiliter videtur , quod non teneatur,alijs verò,& nobis,quod teneatur; quia contra misericordiam est proximo grauiter miserabili,& indigenti, non subuenire absque proprio detrimento,de qua re generaliter diximus disputatione illa 5.diffic.6.

Secundò,est difficultas, an teneatur in dicta graui necessitate,quando patrocinium,quamuis non impediat Aduocato necessaria simpliciter ad statum , impedit tamen necessaria secundum quid,vt scilicet commodè,& absque labore viuat?

Circa quam quibusdam probabiliter videtur , quod teneatur; alijs verò,& nobis,quod non teneatur : quia rigidum est obligare ad subueniendum necessitati non extremæ,quando nequit subueniri absque graui incommodo proprio,de qua re etiam generaliter diximus difficult.illa 6.

In communi verò necessitate pauperis,conueniunt DD. non teneri Aduocatum ei patrocinari , quando patrocinium impedit Aduocato necessaria ad vitam , vel ad statum , quamuis tantum necessaria secundum quid;& idem existimamus, quando patrocinium impedit lucrum aliquo modo considerabile , quamuis omnino superfluum.

Est tamen difficultas, an teneatur quando patrocinium nihil ei impedit?

Circa

Circa quam existimamus, vt optimè Bañez, & Aragon, & Salon, quæst. 71. art. 1. quòd teneatur in communi necessitate considerabili pauperis, quia tunc id videtur exigere misericordia, cùm Aduocatus tantum expendat verba; teneri tamen soluere sub veniali, quia necessitas illa in ratione necessitatis & miseriæ, est leuis.

Quæ in hac difficultate dicta sunt de Aduocato, etiam sunt vera de Procuratore, & de Relatore, & de Notario, & de alijs Ministris, & de Medico ad curandum pauperem.

Difficult. VI. Quæ sint requisita in Notario?

CONVENIVNT DD. in Notario, seu Scriba, tres conditiones requiri; nempè, scientiam, fidelitatem, & iustitiam.

Circa scientiam conueniunt DD. Notarium debere habere scientiam, saltem mediocrem, seu ordinariam eorum, quæ ad ipsius officium spectant. Vndè tenetur saltem mediocriter, scire omnia requisita ad valorem scripturæ, ne ex defectu alicuius requisiti damnum possit alicui euenire, quod si eueniat, tenebitur ad restitutionem, cùm ad id teneatur ex iustitia commutatiua ratione officij.

Circa fidelitatem, conueniunt DD. ad eam teneri, non solum generaliter ex virtute veracitatis, sicut quilibet tenetur, sed etiam specialiter ex virtute Religionis, ratione iuramenti, quòd in sui creatione præstat. Et ex iustitia commutatiua ratione sui officij, ac proinde, tenetur ad restitutionem damni, quòd euenit ex defectu illius, quia violatio iustitiæ commutatiuæ ad restitutionem obligat, quando contingit in materia quæ potest restitui, seu resarciri.

Fidelitas autem ad quam tenetur, saltem ex iustitia commutatiua ratione sui officij, in multis consistit. Primò, in veritate, ne scilicet fingat aliquid quòd contractum non est: non est autem contra eam veritatem scribere partē accepisse pecuniam, quamuis eam physicè non acceperit, quando partes asserunt fuisse acceptam; quia dum pars cedit iuri suo, & contenta est, moraliter accipit, secus est, quando fit scriptura contractus census; in quo ex lege ad eius valorem requiritur acceptio physica; quia tunc contra

contra fidelitatem, est scribere acceptam fuisse pecuniam, quando non accipitur physicè.

Secundò, fidelitas consistit in eo quòd apud se retineat registrum, seu originale, & tantum conferat transumptum, & non sufficit quòd retineat illud in albo, seu in forma breui, sed necessariū est, quòd illud extendat, & redigat in formam instrumenti completi, vt habeat auctoritatem sufficientem, dum adest periculum, quod si tardet non complebitur, vel ob mortem, vel ob obliuionem, vel ob aliud.

Tertiò consistit in eo, quòd non occultet instrumētum, quòd pars exigit, in cuius fauorem est, & etiam quando non exigitur, si non exigitur ob ignorantiam instrumenti.

Iustitia ad quam Notarius, seu Scriba specialiter tenetur, in duobus principaliter consistit, nempè, in instrumento, & in stipendio. Iustitia, quæ in instrumento consistit seruatur à Notario, quando non efficit instrumentum continens rem iniustam, siue contineat contractum iniustum, vel vsurarium, siue aliam rem iniustam, vt contra libertatem Ecclesiasticam, quia qui illud instrumentum efficit, peccat contra iustitiam: quia eo instrumento coöperatur voluntati intendentis inferre iniustitiam, & tenetur ad restitutionem, (quamuis non primo, sed secundo loco) si re ipsa, seu effectiuè, eo instrumento cogitur quis pati iniustitiam, si eam patiens non consensit effectioni instrumenti: imò, qui efficit instrumentum continens contractum vsurarium, expressum, est ipso facto excommunicatus, ex Clementina vnica, de vsuris, de qua re legendus est Suarez de censuris, disputat. 23. sectione quinta; excommunicatio. 9. Et ei qui efficit instrumentum contra libertatem Ecclesiasticam, imponitur excommunicatio, in capit. *grauamen*, & in capit. *nouerit*, de sentent. excommunicationis, non ipso facto incurrenda, sed quæ ferri possit.

Iustitia verò in stipendio, seu salario, consistens ad quam seruandam tenetur Notarius, seu Scriba, est duplex. Altera, ne accipiat stipendium pro eo quòd non potest, vt pro literis Ordinatorum, vbi consuetudo est, vt à Notarijs nihil accipiatur, vel vbi ipsis est constitutum salarium ab Episcopo, quia id prohibet Tridentinum Sect. 21. capite primo. Altera est, ne aliquid accipiat vltra stipendium taxatum, quando potest stipendium accipere. Quod si accipiat vltra taxatum, si

tamen

INDEX DISPVTATIONVM ET DIFFICVLTATVM QVÆ in hoc tomo continentur.

Tractatus de iustitia & iure.

Disputatio prima de Iure.



INDEX.

Disputatio II. De præscriptione.

Dif.

INDEX.

Disputatio III. De iustitia.

Disput. IIII. De restitutione in genere.

Disputatio V. De restitutione ratione iniustæ damnificationis.

Disp. VI. De restitutione ratione rei acceptæ.

Disput. VII. De ordine restitutionis.

Disp. VIII. De circunstantijs restitutionis.

Disput. IX. De causis ob quas differri, vel omitti potest restitutio.

Disputat. X. De restitutione ratione damni spiritualis.

Dif.

Disputat. XI. De restitutione ratione damni corporalis.

Disputatio XII. De restitutione ratione damni famæ, & honoris.

Dif.

INDEX.

Diputat. XIII. De restitutione ratione damni in bonis fortunæ.

Disput. XIIII. De tributis,& vectigalibus.

TRACTATVS DE CONTRACTIBVS.

Disput. I. De contractibus in genere.

Dispu-

INDEX.

Disput. II. De emptione, & venditione.

Disputatio III. De mutuo, & vsura.

Disputatio IIII. De censibus.

Dif.

Disputatio V. De cambio.

Disputatio VI. De locatione, conductione, emphyteusi, & feudo.

Disputatio VII. De contractu societatis.

Disputatio VIII. De ludo.

Dif.

Disputatio IX. De fideiussione, assecuratione, pignore, & hypoteca.

Disputatio X. De deposito, & commodato, & precario.

Dispu-

Disputatio XI. De donatione,

TRACTATVS DE IVDICIO forensi.

Disputatio prima, De Iudice.

Dif.

Disput. II. De accusatore, & denuntiatore.

Disputat. III. De teste.

Dispu-

 335

Disputatio IIII. De Reo.

Disputatio V. De Aduocato.

Finis tabullæ Difficultatum.

INDEX
PRÆCIPVARVM RERVM,
quæ in hoc operæ continentur.

Primus numerus Disp. 2 Diff. 3 Fol. indicat.

A.

Auxi-

INDEX.

Depositum.

Deterioratio.

Detractio.

G.

INDEX.

G.

Gabella.

H.

Habitatio.

Habitus.

Hæresis.

Homicidium.

Honor.

Horæ.

Hypotheca.

I.

L.

Laudemium.

Legatum.

Lex.

Libellus.

Locatio.

grum

N.

N.

O.

P.

Pre-

INDEX.

INDEX.

R.

Quot

INDEX.

Solici-

FINIS.